Alan Crooks
Cornh.

Joseph Tasker.
Middleton Hall, Essex

London.

Bequest of

Rev. H. C. Scadding, D.D.

to the Library

of the

University of Toronto

1901

QUINTI

HORATII FLACCI

OPERA.

EX TYPIS LEBEL, TYPOGRAPHI REGIS,
Viâ vulgo dictâ *d'Erfurth*, n° 1.

HORACE
LL
H8113Du

QUINTUS

HORATIUS FLACCUS

EX RECENSIONE ET CUM NOTIS

PETRI DUVIQUET,

OLIM IN UNIVERSITATE PARISIENSI,
NUNC IN UNIVERSITATIS REGIÆ ACADEMIA PARISIENSI
DOCTORIS ET PROFESSORIS AGGREGATI.

TOMUS PRIMUS.

52632
2/1/02

PARISIIS,
APUD CAROLUM GOSSELIN,
S. R. C. DUCIS BURDIGALENSIS BIBLIOPOLAM;
NEC NON APUD MAME ET DELAUNAY-VALLÉE.
M. DCCC. XXV.

Digitized by Google

PRÆFATIO.

Cum nullus inter Romanos poetas plurium quàm Horatius annotatorum aut interpretum industriam exercuerit, mirum fortassè videbitur nos in edendo novo prorsùs hoc commentario insudavisse. Qui enìm labores à tot eruditis viris anteà exantlatos, qui nomina utriusque Stephani, Mureti, Fabricii, Lambini, Cruquii, Torrentii, Heinsii, Joannis Bond, Minellii, Dacierii, Sanadonis, Juvencii, Bentleii, Cuningham, et, ne coætaneos injusto premam silentio, non minùs celebrata Mitscherlich, Dœring, Wetzell, De Wailly, Vanderbourg, Darù nomina memoriâ recollegerit, is facilè existimaverit, nos vel inutilem operam legentibus navavisse, si doctis eorum vestigiis insistere recusaverimus, vel omninò supervacaneam, si nihil hìc hodiè prodeat, quod non in superiorum commentariis prolatum anteà fuerit.

Diluenda igitùr ista vel temeritatis vel futilitatis accusatio; quod ut assequamur, necesse visum est brevitèr exponere quis fuerit nostri operis scopus, et quomodò, non neglectis, sed sedulò è contrà investigatis priscæ eruditionis opibus, novam tantummodò formam et ad nostros mores magìs ac-

commodatam eis indere tentaverimus; idem ferè molientes, quod qui, veterem monetam, pretiosam licèt, aut vetusta ex auro et argento vascula fornaci reddere non dubitant, ità ut ex illâ fusione opus oriatur, minori quidèm mole compactum, sed quotidiano usui magìs idoneum, et recentiori (absit omnis comparationi invidia!) elegantiâ perpolitum.

De primis Horatii interpretibus loquimur. Quòd si ab ingeniosissimis nostræ ætatis scriptoribus, quos suprà nominando laudavimus, quique in solvendis Horatii difficultatibus nonnihil temporis consumpserunt, idem ac nostrum laboris genus continuo tenore absolutum fuisset, nunquàm in animum incidisset rem perfectam reficere, et hoc unum nobis permisissemus, notas scilicet vernaculâ linguâ exaratas in latinum sermonem, auctoribus consentientibus, vertere, ut et Heynii Virgilio et Oberlini Tacito, in hâc Classicorum Latinorum collectione, dignus assecla, Horatius assisteret. Verùm nemo nescit poeticas clar. vir. De Wailly, Daru, Vanderbourg interpretationes, notulis aliquot identidèm distinctas, universæ Horatii interpretationi non sufficere, necque sàt abundantem præbere materiam, undè Horatii volumina cæteris aliorum Latinorum voluminibus, tùm rerum momento, tùm ipsâ etiàm amplitudine æqualia compingantur.

Ex alterâ parte, inter doctiores nostræ ætatis Horatii annotatores, eminent nonnulli eruditione magìs quàm delicatâ judicandi arte insignes, quos ut consulere optimum, sìc et imitari et verbo ad ver-

bum transcribere periculosissimum est. Illi quidèm veterum scriptorum indefessi exploratores, auctoris sui textum alienis textibus obruunt; nullum versum, imò nullam vocem prætermittunt, cui, explanandi, ut aiunt, gratiâ, similes aut similibus proximas sententias è Græcis aut Latinis depromptas non subjiciant; undè fit, ut poeta exundantis et intempestivæ eruditionis fluctibus quasi immersus vix enatet, et intentissima legentis diligentia, à præcipuo auctore, ad locos extraneos, solâ lectionis divisione, transferatur.

Nostra mens fuit hanc intemperantiam fugere, et eum servare modum, quo adhibito, et obscura pateant, et dubia ad probabiliorem sensum revocentur, et, quidquid sivè poeticâ, sivè philosophicâ laude commendandum apparet, majori, quantùm saltèm in nobis fuit, splendore illustratum, nullam tironum præcipuè et adolescentium ingeniis nubem offundi patiatur.

Neque tamèn diffitebimur quantum nobis auxilium labores eorum qui nobis præiverunt, attulerint; innumera quidem commentatorum exemplaria versavimus, et, sicubì aliquid aut doctè, aut facetè, aut utilitèr dictum occurrit, illud nostri arbitrii jurisque facere, et in nostrum opus assumere non recusavimus. Aliquandò etiàm, sed rarissimè evenit, ut textum ipsum alienum in nostrum transferre juverit; præsertìm in notis quæ ad historiam, mythologiam, astronomiam, etc., spectantes, diversam explanationem non admittunt; quam licentiam quotièscumque sumpsimus, notam pro-

prii auctoris nomine sedulò curavimus designari, ne injusti furti crimen incurreremus.

His exceptis, reliqua, qualiacumque à severissimis nostri laboris exactoribus æstimentur, nostra sunt; neque, si quid in eo boni inest, laudem abnuimus, neque, si quid mali, invidiam deprecamur. Rem apud nos hactenùs intentatam, saltèm in Horatio, efficere enisi sumus, commentarium scilicèt ab omni superfluæ eruditionis luxu liberum, in quo nihil ad explicationem necessarii omissum, studiosæ juventuti utile, maturioribus poetæ nostri admiratoribus gratum, quod memoriam adjuvet, non obruat; difficilia investiganti manum præbeat, non novas moras nectat, non moveat fastidium; latinâ gravitate gallicoque lepore benè mixtum ac compositum; ad normam denique ipsius poetæ redactum, qui, ut Romanæ poeseos magister, sìc facili verborum elegantiâ, cultissimâque sermonis negligentiâ *inter amabiles*, ut ipse ait, poetarum ætatis nostræ *choros*, J. Fontanium inter et Voltarium, sedem propriam, comes non inficiandus, obtineret.

Utinàm cum duobus illis excellentissimi ingenii vatibus illud saltèm commune non esset Horatio, quòd ejus carmina non sinè magno honestatis pudorisque detrimento identidèm legi possunt! Absolvat eum, si fas est, linguæ quâ usus est, temporum quibus vixit, religionis cui addictus fuit, licentia! Nobis verò, Musas severiores pudicasque magìs colentibus, in dubio aliquandiù fuit nùm loca evidentèr criminosa omninò eradere, aut nullâ saltèm interpretatione elucidare deberemus. Re attentiùs per-

pensâ, neutrum placuit. E duobus istis propositis, alterum, posterius scilicet, id secum afferret incommodi, ut ipsâ notarum lacunâ de textûs argumento et materiâ legentes admonerentur, et negatam sibi interpretationem sive à se ipsis, alacriori studio et altiori investigatione, peterent, sive ab aliis interpretibus periculosâ magìs curiositate sollicitarent. Alterum verò editioni nostræ sinè ullâ compensatione nocuisset, cùm tot et reverà innumeræ extent Horatii editiones, in quibus reperire facillimum quod in hâc nostrâ fuisset desideratum.

Fiduciam integrum Horatium edentibus auxit, quòd timidiores nos et nimìs anxiè rigidos exhibere pœnituisset, cùm, gravissimorum virorum exemplis præeuntibus, nihil novi, nihil intentati nobis arrogare videremur. Quis enìm nescit in iis ipsis Classicorum librorum editionibus quas instituendæ juventuti religiosa magistrorum auctoritas designavit, in Virgilio, verbi gratiâ, in Livio, in Tacito plures locos manere, quos ab adolescentium oculis et animis removere satiùs fortassè fuerat; manent tamèn, et quotidiè manibus juvenum teruntur; neque in antiquâ, neque in præsenti universitate quisquam hactenùs inventus est, qui scriptores illos, nonnisi mancos et mutilatos in scholas nostras introducere tentaverit.

Turpiora, fatemur, et obscœniora Horatium aliquandò dehonestant. Neque ideò dubitavit ea explicare Dacierius, et sedulò evolvere, vernaculâ linguâ usus; vir aliundè religionis probitatisque famâ non minùs quàm doctrinâ et eruditione com-

mendandus. Nos è contrà velum extranei idiomatis nostris annotationibus obtendimus, in id sempèr defixi, ut, sensum (quod erat necessitatis) interpretando, imaginum sententiarumque turpitudini detraheremus quidquid vividioribus coloribus adornatum, et eo ipso reformidandum magìs, poeticæ licentiæ audacia in textum immiserat.

Quamvis autèm nullatenùs fieri queat, ut gravissimum sub eo respectu vituperium non incurrat Horatius, illud tamèn intèr omnes convenit, demptis illis sordibus, nullum esse è veteribus poetis, qui, acuendæ legentium sagacitati, exhilarandis sæpè sæpiùs honestæ voluptatis picturâ ingeniis, exornandisque et perpoliendis moribus utiliùs consuluerit. Desipuit aliquandò; quid rem obviam et patentem dissimulare juvaret? Indignationi, odio, immodicis sensuum affectibus plura quàm jus et honestas sinunt, condonavit. Sed, ubi æstus deferbuit, ubi, sese, ut verbo Tulliano utar, recuperavit, tùnc vera et sincera apparet Horatii indoles, probumque et excellentem virum, post evanidos brevissimæ ebrietatis fumos, ubique reperias.

Bellorum civilium testis, in quibus Cassianas partes amplexus, militari glorià, quod ipse ingenuè et facetissimè fatetur, non inclaruit; in Italiam è Philippis redux, à pervicaci et evidentèr inutili constantiâ destitit, veniàque per Mæcenatem cum Octavio conciliatâ, gratiam apud supremum imperii administrum amplificavit, græcorum lyricorum palmas in patriam suam transferendo, et edendo carmina, laudatoria quidem, verùm ità laudatoria,

ut eum, quem victoria Diique summæ rerum præfecerant, ad rectum supremæ potestatis usum continuò excitarent, et amissam libertatem publicæ saltèm felicitatis prospectu solarentur. Ex illo scribendi et agendi consilio, quod Mæcenatis jussu susceperat, defluxisse credendum est magnifica illa religionis, legum, morum præconia, quæ tùm in lyricis, tùm in epistolis, tantâ vi, tantâ perseverantiâ celebrantur. In iis ipsis, in quibus poetica laudatio ad adulationem deflectere videri potest, nusquàm vatem nobilissimi propositi immemorem reperias. *Regum timendorum in proprios greges imperium* esse asserit; et quis seriò neget? Verùm, suprà reges eminet, et in eos exercetur *imperium Jovis*, cui omnis alia potestas, *gigantæa* licèt, impar; à quo jus igitùr omne derivatur; cujus deniquè fulmina, potestate quam à Jove solo mutuati sunt abutentibus, formidanda.

Vide, in Ode quartâ libri quarti, quàm vividè, quàm effusè, Augusto Romam redeunti gratulatus, acceptam ei referat agrorum securitatem, partam urbi abundantiam, assertam commercio tutelam, præsertìmque coarctata intèr cives probitatis vincula, restitutam privatis domibus castitatem, restrictam legum severitate adulteriorum frequentiam. Porrò virum principem sìc laudare quid aliud est, quàm suadere ea proptèr quæ laudatur, hortarique ut viam æqui et boni, à se semèl initam, pergat sequi, neque posteà ab eâ recedere meditetur?

Optimi igitùr civis munia adimplevit Horatius, dùm rem extrà suum arbitrium positam, supremam

scilicèt imperatoris potentiam, ad civium suorum felicitatem totis præstantissimi ingenii viribus vertere conatus est. Eum ad abolendam, suis benè faciendo, Octavianæ juventutis memoriam, maturum securumque impellere nunquàm destitit. Quis dicere queat, quantùm laudum illarum, quæ in omnium ore versabantur, stimulis excitatus imperator, ad eas factis promerendas adductus fuerit! Ut igitùr qui mala suadet, malorum conscius jure ac meritò reputandus est, sic in partem bonorum rectè venit qui, sivè eloquentiæ, ut Tullius; sivè poeseos, ut vates noster, pondere et gravitate, non aliam ob causam potestati, splendidus assentator, famulatur, quàm ut eam gloriæ, justitiæ, clementiæ, honestati deniquè et publicæ prosperitati, indissolubili nodo astringat. Vituperent Flaccum, qui nobilissimo Dejotari, Marcelli, Ligarii patrono injuriosam adulationis labem inurere ausi fuerint!

Rigidæ interdùm philosophiæ rugas explicat Horatius, neque sempèr in egregiis artis politicæ consiliis moratur. Bacchum intèr et ingenuos Amores, Musa ejus festiva ludit et innocens; in eo Socratem et Anacreontem reviviscere libentèr credideris. Nàm ea est apud illum propria ejusmodi carminum virtus, ut ferè nunquàm immodicâ hilaritate lasciviant, sed è contrà utili philosophicorum præceptorum condimento sæpiùs temperentur. Minervam primus inter veteres Veneri conciliavit; dùm canit intèr epulas, ipse convivii magister assidet, amicos delectat et monet, lætitiæ dator simùl et suasor sapientiæ.

Quem verò in lyricis felicissimum Pindari, Sapphûs et Alcæi æmulum, nùnc ad sublimia evolantem, nùnc de cœlo in terras reducem, et Epicureis dogmatibus Socraticas lectiones intermiscentem mirati sumus; eumdem videbimus in Satyris mores publicos privatosque severè redarguentem; in avaros, in nebulones, in adversarios suos Terentianâ comitate eâdemque prorsùs metri facilitate sævientem; mox in Epistolis cum magnatibus, cum patrono suo Mæcenate, cum Augusto ipso, familiari decentiâ conversantem; amicis, gratiâ quâ ipse fruebatur, vividissimè inservientem; artis suæ magnificum commendatorem, necnòn judicem aut potiùs legislatorem oculatissimum, ut legere est in aureâ illâ ad Augustum epistolâ, quæ prima secundi libri inscribitur, quâque nulla ferè dignior cujus ad exemplar sese componant quicumque poetarum ad propinandos regum potentiumque virorum auribus versus suos admittuntur.

Sìc præludebat Horatius celeberrimo illi libello, qui modestiorem formam epistolæ servans, et ad Pisones scriptus, præcipuas Artis Poeticæ leges docto compendio exhibet. Opus illud quidem quoàd præcepta absolutum, in quo tamèn fortassè generis libertate aliquantispèr abusus vates, non omnia ad didacticam severitatem redegit; undè lucidior rerum et partium dispositio à multis desiderata est. Legendus ille quidèm, et nocturnâ diurnâque poetarum manu versandus; eo præsertìm tempore quo salutare auctoritatis aut potiùs rationis jugum tot scriptores excutere conantur, propriâ et multotiès

repetitâ edocti tamèn experientiâ, nullum adhùc infractis recti judicii legibus opus superstitisse, *scribendi rectè sapere fontem esse et principium*, neque diuturnis eos gaudere successibus, qui, non dicam Horatio, (quid enìm putidius et contemptu dignius quàm *jurare in verba magistri?*) sed rationis interpreti, sed constantibus omnium ætatum maximorumque virorum exemplis adversantur.

Non solùm igitùr Horatii amatoribus, sed universis litterarum fautoribus artisque Apollineæ discipulis nos profuisse gloriabimur, si Horatiana præcepta, ex magno illo Aristotele translata, à Bolæo apud nos, à Popo apud Anglos, immortali carmine recantata, à præstantissimis in omni genere scriptoribus adoptata et sancita, ità illustraverimus, ut faciliùs intellecta, faciliùs quoque à legentibus arripiantur, et in animos recentiorum poetarum, non ut inania monita, sed ut scribendi norma successuum et veræ gloriæ ferax, remotis omnibus offendiculis, promptiùs descendant, iisque tenacitèr magìs adhærescant.

Ut laudari à laudato viro nihil, teste Cicerone, laudabilius, sìc nihìl à docto et perito edoceri ad persuasionem et ad solandam, imò ad erigendam humilitatem nostram, aptius. Quantâ autèm famâ quondàm floruerit Horatius hìnc colligere est, quòd in illo celebrando omnes consenserint, omnesque hodiè consentiant. Audiamus Ovidium exilii sui dolores ad cantus poetæ nostri sublevantem, exclamantemque:

> Et tenuit nostras numerosus Horatius aures,
> Dùm ferit Ausoniâ carmina culta lyrâ.

Audiamus Persium, satyrarum scriptorem egregium, antecessori suo egregiè gratulantem his notissimis et (quod non tàm felicitèr vulgò obtinet) intellectu facillimis versibus :

> Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
> Tangit, et admissus circùm præcordia ludit,
> Callidus excusso populum suspendere naso.

Prodeat quoque tàm emunctæ naris judex, Quintilianus : « Multò est, inquit, Lucilio tersior ac purus magìs Horatius, et ad notandos hominum mores præcipuus. Lyricorum idem ferè solus (de Latinis tantùm lyricis loquitur) legi dignus; nàm et insurgit aliquandò, et plenus est jucunditatis et gratiæ, et variis figuris et verbis felicissimè audax. » Quid alia, tùm è Martiale, tùm ex Ælio Lampridio, Ausonio, D. Hieronymo, Sidonio, desumpta testimonia referam, cùm ea sit intèr omnes qui de Horatio pronuntiaverunt concordia, ut nullus, quem sciam, alius poeta latinus, unanimi magìs consensu, artis suæ princeps declaratus sit; cùm nullus existat qui variis variorum conditionum affectibus necessitatibusque abundantiùs suppetat; nullus cujus plures versus memoriam suî gratam et utilem fecerint; nullus, qui adolescentium mentes igneis telis vividiùs feriat; nullus in quo matura ætas meditari, quem senili et tremulâ manu ætas provecta extremæ vitæ socium et solatorem tractare malit; et, si pauca dempseris, *virtutis veræ* qualitèr de seipso canit, *custodem rigidumque satellitem*.

Placet tamèn, jàm citatis veterum testimoniis, no-

va et recentiora testimonia addere, undè constet, quod aliundè nemini dubium est, Horatii famam vegetam sempèr et intactam per decem et octo secula interfluxisse, et quod de eo à priscis poetis et rhetoribus pronuntiatum, id à posteris denuò confirmatum manere.

Horatium à felicissimo ipsius imitatore et tùm in Satyris, tùm in Epistolis æmulo, in præscribendis Artis Poeticæ legibus forsàn victore, Bolæo nostro, dignè et honorificè nominatum nemo est qui nesciat: Bolæi enìm opera in manibus omnium; Bolæum tamen quis Horatii judicem ideò recusaverit, quòd, dùm vatem Romanum commendat, se quoque ipsum ipsi tàm similem, ab eo tot sententias mutuatum commendare videatur.

Popus satyras quoque nonnullas scripsit; Horatii tamèn discipulus magìs quàm imitator, cujus suffragium in opere cui titulus, *Essay on criticism*, hìc referre nullatenùs pigeat:

> Horace still charms vith graceful negligence,
> And without method talks us into sense,
> Will, like a friend, familiarly convey
> The truest notions in the easiest way.
> He, who supreme in judgment, as in wit,
> Migth boldly censure, as he boldly writ,
> Yet judg'd with coolness, tho' he sung with fire;
> His precepts teach but what his works inspire.

Habemus hìc, ut in Horatio Virgilii et Varii, sìc in anglicis versibus, expressam ad vivum Horatii imaginem.

Nèc minùs in delineandâ Nostri effigie felices

fuerunt critici poetæque gallici; quod qui noscere velit, adeat libros à celeberrimis rhetoribus Batteux, Laharpe, Marmontel, titulis sequentibus inscriptos: *Principes de littérature, Cours de littérature, Elémens de littérature*, et in memoriam revocet versus illos Gressetii in eleganti carmine, *La Chartreuse* :

Tantôt de l'azur d'un nuage
Plus brillant que les plus beaux jours,
Je vois sortir l'ombre volage
D'Anacréon, ce tendre sage,
Le Nestor du galant rivage,
Le patriarche des amours.
Épris de son doux badinage,
Horace accourt à ses accens,
Horace, l'ami du bon sens,
Philosophe sans verbiage,
Et poëte sans fade encens.

Quàm sincerum, quàm æquum in duobus postremis versiculis Horatii præconium, quo non alter, si ad græcam præsertìm prolixitatem attendatur, philosophica argumenta strictiori brevitate tractavit, laudesve coætaneis suis ità impertitus est, ut, quotiès è grati animi memoriâ profectas eas, acceptorumque beneficiorum mercedem judicaveris, factis tamèn approbatas et cùm publicâ utilitate concordes cogaris confiteri!

Extat notissima Voltarii ad Horatium epistola quam, quemadmodùm de Horatio severus Quintilianus sentiebat, in quibusdam aut transcribere aut interpretari nollem. Liceat saltèm subsequentia adducere :

Avec toi l'on apprend à souffrir l'indigence (1),
A jouir sagement d'une honnête opulence (2),
A vivre avec soi-même (3), à servir ses amis (4),
A se moquer un peu de ses sots ennemis (5),
A sortir d'une vie ou triste ou fortunée
En rendant grâce aux dieux de nous l'avoir donnée (6).

De parte typographicâ pauca. Ex innumeris Horatii editionibus intèr se collatis constat hæc editio; quamque sedulam curiositatem emendandis quæ jàm prodierunt Virgilii Tacitique operibus adhibuimus, eam, huic quæ, supra ut diximus, tota nostra est, non defuisse facilè existimabitur. Tentavimus aliquid novi, dùm variis artis typographicæ signis uti non reformidavimus, quæ in doctorum, ut aiunt, editionibus vulgò, veluti superflua, repudiantur. Verùm, in tractando auctore cui studendo omnes omnium ætatum conditionumque viri incumbunt, nos ad solam utili-

(1) Si celeres quatit
Pennas, resigno quæ dedit, ...
. . . . . probamque
Pauperiem sine dote quæro. *Od. III*, 29, 52.

(2) Aurea quisquis mediocritatem
Diligit. *Od. II*, 10, 5.

(3) . . . . . et meâ
Virtute me involvo. *Od. III*, 29, 55.
Quid verum atque decens curo et rogo, et omnis in hoc sum. *Epist. I*, 1, 11.

(4) Vellem in amicitiâ sic erraremus. *Satyr. I*, 3, 41.
Nil ego contulerim jucundo sanus amico. *Sat. I*, 5, 44.

(4) *Passim, et præcipuè in Satyris.*

(6) . . . . . exacto tempore vitæ
Cedat, uti conviva satur. *Sat. I*, 1, 119.

tatem legentium spectantes, ea signa, eas notas restituimus, per quas ablativi casus à nominativis, adverbia ab adjectivis, solâ paginæ inspectione, secernuntur; rati scilicèt eruditis multò minùs, quàm tironibus commentaria scribi. Ut autèm accentuum absentiam vituperare nullatenùs nobis in animo est, sìc neminem fore confidimus, qui crimini vertat, quòd, additâ quæ in scholis adhiberi solet interpunctione, nonnihil è poetæ nostri difficultatibus detrahere curaverimus.

P. DUVIQUET.

Parisiis, die kalend. april.
anno post Christum 1825.

Q. HORATII FLACCI VITA,

C. SUETONIO VULGO ADSCRIPTA.

Quintus Horatius Flaccus, Venusinus, patre, ut ipse quidem tradit, libertino[1], et exauctionum[2] coactore : (ut verò creditum est, salsamentario, quùm illi quidam in altercatione exprobrasset : *quotiens ego vidi patrem tuum cubito se emungentem?*[3]) bello Philippensi, excitus a Marco Bruto, imperatore, tribunus militum meruit; victisque partibus, veniâ impetratâ, scriptum quæstorium[4] comparavit. Ac primò Mæcenati, deindè Augusto insinuatus, non mediocrem locum in amborum amicitiâ tenuit. Mæcenas quantoperè eum dilexerit, satis demonstratur illo epigrammate :

> Ni te visceribus meis, Horati,
> Plus jam diligo, tu tuum sodalem
> Ninnio videas strigosiorem.[5]

1. *Libertino*, hinc Od. II, 20, 6 *pauperum parentum sanguinem* se vocat. cf. Sat. I, 6, 45. — 2. *Exauctionum coactore*, homine, qui, finitâ auctione, ab iis, quibus res in auctione attributæ fuissent, pretium exigeret et cogeret. — 3. Verba uncis inclusa pro panno assuto a viris doctis habentur. — 4. *Scriptum quæstorium*, h. e. manus scribæ quæstorii. vid. Liv. IX, 45; XL, 29. — 5. *Tu tuum sod. Ninn. vid. strigosior.*, tùm accidat mihi hoc, ut ego sodalis tuus ninnio fiam strigosior; per *ninniun*, vel

Sed multò magis extremis judiciis [6], tali ad Augustum elogio :

Horatî Flacci, ut meî, memor esto.

Augustus ei epistolarum officium obtulit, ut hoc ad Mæcenatem scripto significat : *Antè ipse scribendis epistolis amicorum sufficiebam : nunc occupatissimus, et infirmus, Horatium nostrum a te cupio abducere. Veniet ergò ab istâ parasiticâ mensâ* [7] *ad hanc regiam, et nos in scribendis epistolis adjuvabit.* Ac ne recusanti quidem aut succensuit quicquam aut amicitiam suam ingerere [8] desiit. Exstant epistolæ, ex quibus, argumenti gratiâ, pauca subjeci. *Sume tibi aliquid juris apud me, tanquàm si convictor mihi fueris ; quoniam id usûs mihi tecum esse volui, si per valetudinem tuam fieri possit.* Et rursus [9] : *Tuî qualem habeam memoriam poteris ex Septimio* [10] *quoque nostro audire ; nam incidit ut illo coràm fieret à me tuî mentio. Neque si tu superbus amicitiam nostram sprevisti, ideò nos quoque* ἀνθυπερφρονοῦμεν [11]. Prætereà sæpè inter alios jocos *putissimum penem* [12] et *homuncionem lepidissimum* appellat, unâque et alterâ liberalitate locupletavit. Scripta quidem ejus usque adeò probavit, mansuraque perpetuò opinatus est, ut non modo Sæculare carmen componendum injunxerit, sed et Vindelicam victoriam Tiberii Drusique, privignorum : eumque coegerit propter hoc, tribus carminum libris, ex longo intervallo, quartum addere : post Sermones quoque lectos suî

parvus equus sive mulus, vel homo quidam ignotus, *Ninnius*, qui admodùm macilentus esset, intelligendus est. — 6. *Extremis judiciis*, testamento. — 7. *Parasiticâ mensâ*, cui apud te et alios gratîs, h. e. nullo ei imposito officio, adhibetur. — 8. *Ingerere*, pro suggerere, h. e. probare. — 9. *Et rursùs*, parùm latinè pro, et alio tempore. — 10. *Ex Septimio*, vide de eo in Argum. ad II, 6. — 11. Ἀνθυπερφρονοῦμεν, vicissìm superbi sumus. — 12. *Putissimum penem*, refer ad eas appellationes, quibus apud Romanos familiares tantùm inter se per jocum in vitâ communi ute-

nullam mentionem habitam ita sit questus : *Irasci me tibi scito, quod in plerisque ejusmodi scriptis mecum potissimùm loquaris. An vereris, ne apud posteros tibi infame sit, quòd videaris familiaris nobis esse?* Expressitque Eclogam [13], cujus initium est :

> Cùm tot sustineas et tanta negotia solus :
> Res Italas armis tuteris, moribus ornes,
> Legibus emendes : in publica commoda peccem,
> Si longo sermone morer tua tempora, Cæsar.

Horatius habitu corporis brevis fuit, atque obesus : qualis a se ipso in satyris [14] describitur, et ab Augusto hac epistola : *Pertulit ad me Dionysius* [15] *libellum tuum, quem ego, ne accusem brevitatem, quantuluscumque est, boni consulo. Vereri autem mihi videris, ne majores libelli tui sint, quàm ipse es. Sed si tibi statura deest, corpusculum non deest. Itaquè licebit in sextariolo* [16] *scribas : quùm circuitus voluminis tui sit* ὀγκωδέστατος, *sicut est ventriculi tui.* Vixit plurimùm in secessu ruris sui Sabini aut [17] Tiburtini : domusque ejus ostenditur circa Tiburtini lucum. Venerunt in manus et Elegi sub titulo ejus, et Epistola prosâ oratione, quasi commendantis se Mæcenati : sed utraque falsa puto. Nam Elegi vulgares, Epistola etiam obscura : quo vitio minimè tenebatur. Natus est sexto Idûs Decembres, Lucio Cotta, et Lucio Torquato, consulibus. Decessit quinto Kal. Decemb., Caio Marcio Censorino, Caio Asinio Gallo, consulibus,

bantur; sic ferè ap. Catull. LIII, 5, *salaputium.* — 13. *Eclogam,* nempè Epist. II, 1. — 14. *In satyris,* Sat. II, 3, 309. — 15. *Dionysius,* servus vel libertus Augusti. — 16. *In sextariolo scribere,* sensus : Itaquè licebit tibi quidem breviore voluminis formâ uti, modò ipsum volumen æquè crassum ac corpusculum tuum, sit. Volumina, ut satis constat, convolvebantur super bacillo, cujus brevitas jàm per mensuram *sextarioli* designatur. Ὀγκωδέστατος, crassissimus. — 17. *Sabini aut Tiburtini :* villa Horatiana nempè ità sita fuit, ut tàm *Sabina* quàm *Tiburtina* vo-

post nonum [18] et quinquagesimum annum, herede Augusto palàm [19] nuncupato, quùm, urgente vi valetudinis, non sufficeret ad obsignandas testamenti tabulas. Humatus et conditus est extremis Esquiliis, juxtà Mæcenatis tumulum.

cari posset. — 18. *Nonum*, temporum ratio postulat, *septimum*. — 19. *Palàm*, voce coràm testibus.

Q. HORATII

METRA LYRICA.

PROOEMIUM.

Metra, quibus Horatius in odis usus est, exhibituro mihi visum est, quorumdam ad rem metricam pertinentium vocabulorum, tironum maximè causâ, præmittere brevem explicationem, omissis quæ notiora esse solent. In quod studium si cui altiùs penetrare in animo sit, duce utatur peritissimo Godofredo Hermanno V. Cl. (Handbuch der Metrik Leips. 1799.)

Versus iambicos et trochaicos Grammatici plerumque dipodiis (διποδίαις) h. e. binorum pedum seriebus (∪ – ∪ – aut – ∪ – ∪) metiuntur, et versum duarum dipodiarum s. ex quatuor pedibus constantem *dimetrum*, tribus dipodiis s. sex pedibus constructum *trimetrum* vocant. Versus enim iambici cùm in locis imparibus (primo, tertio cet.) ac trochaici in paribus (secundo, quarto) spondeum habere possint, rhythmus idem post singulas demùm dipodias redit. Sin verò de dactylicis, choriambicis ceterorumque generum versibus (exceptis tamen anapæsticis, quorum metra etiam κατὰ διποδίαν dispescuntur) sermo est, *dimeter* appellatur qui duobus, *trimeter* qui tribus continetur pedibus simplicibus.

Versus *catalectus* (στίχος καταλήκτος) est cujus pedi ultimo syllaba deest (num. 3). Si pedi aut trisyllabo aut

tetrasyllabo duæ syllabæ desunt, versus existit catalectus, aut in syllabam aut in disyllabum (num. 7 et 14).

Versus *brachycatalectus* est cui pes integer deest (num. 1); non nisi iambici et trochaici versus brachycatalecti sunt.

Versus *acatalectus* est in cujus ultimo metro nihil ad integritatem deest, neque quidquam abundat (num. 4).

Versus *hypercatalectus*, in quo una in fine syllaba abundat (num. 6).

Basis est pes duarum aut trium syllabarum à quibus versus quidam exorditur, antequàm series pedum versui illi propriorum incipiat (num. 6—9).

Horatii odæ per versus vel ejusdem usquè, vel duplicis vel triplicis generis decurrunt. Sunt igitur ποιήματα vel μονόκωλα vel δίκωλα vel τρίκωλα. Versus autem diversi generis, ex certo ordine semper redeuntes, *systemata* (nos : Strophen s. Stanzen) efficiunt sibi in vicem quoad rhythmum similia. Quodsi post seriem binorum versuum primum genus redit, systema est δίστροφον; ex quo quid sit τρίστροφον, μονόστροφον, τετράστροφον facile patet.

A. Versuum singulorum genera.

a. *Versus iambici.*

1. Versus Ityphallicus, qui est dimeter brachycatalectus.

$$\cup - \quad \cup - \quad \cup \overset{\cup}{-}$$

Cf. num. 19.

2. Versus iambicus dimeter acatalectus s. quaternarius.



Inarsit æstuosius. Epod. 3, 18.
Vel hædus ereptus lupo. Epod. 2, 60.
Imbres nivesque comparat. Epod. 2, 30.
Forti sequemur pectore. Epod. 1, 14.
Vide|re prope|rantes domum. Epod. 2, 62.
Ast ego | vicissim risero. Epod. 15, 20.

cf. de hoc versu num. 20 et 21.
Est in metro XV et XVI.

3. Versus iambicus trimeter catalectus.



Meâ renidet in domo lacunar. II, 18, 2.
Jàm te premet nox fabulæque manes. I, 4, 16.
Regum|que pue|ris nec satelles orci. II, 18, 34.

Est in metro XII et XVII.

4. Versus iambicus trimeter acatalectus s. senarius.



Suis et ipsa Roma viribus ruit. Epod. 16, 2.
Heu me per urbem, nàm pudet tanti mali. Epod. 11, 7.
Tibi hos|pitale pectus et pura manus. Epod. 17, 49.

* Pedes sub lineolâ punctatâ positi rariùs inveniuntur.
** Nota || locum cæsuræ designat.

Deripe|re lunam vocibus possim meis. Epod. 17, 78.
Infa|mis Hele|næ Castor offensus vicem. Ep. 17, 42.
Optat quie|tem Pelo|pis infidi pater. Epod. 17, 65.
Aliti|bus at|que cani|bus homi|cidam Hectorem.
Epod. 17, 12.
Vecta|bor hume|ris tunc | ego ini|micis eques.
Epod. 17, 44.

Sæpius cæsura neglecta est.

In epodon carm. 16 Horatius non nisi iambis puris usus est.

Est in metro XI, XIV, XV, XVII.

b. *Versus trochaici.*

5. Versus trochaicus dimeter catalectus.

– ◡ – ◡ – ◡ ⏑

Truditur dies die. II, 18, 15.

Horatius spondeum in secundâ sede non admittit.

Est in metro XVIII.

c. *Versus choriambici.*

6. Versus Pherecratius s. choriambicus monometer hypercatalectus cum basi in quâ apud Horat. semper spondeus est.

– – – ◡ ◡ – ⏑

Vis formosa videri. IV, 13, 3.

Est in metro IV.

7. Versus Glyconicus s. choriambicus dimeter catalectus in pyrrhichium aut iambum, cum basi, quam apud Horat. semper spondeus tenet.

– – – ◡ ◡ – ◡ ⏑

Nil mortalibus arduum est. I, 3, 37.

Bis in basi reperiretur trochæus si lectio servanda es-

set, *Teucer et* I, 15, 24 et *Ignis Iliacas* ibid. 36. Syllabæ ultimæ, quâ versus abundat, vocalem elisam reperis IV, 1, 35.

Est in metro II, III, IV.

8. Versus Asclepiadeus minor, s. versus choriambicus trimeter antecedenti similis, nisi quòd uno choriambo locupletior est.

– – ⏑ ⏑ – ‖ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑

Crescentem sequitur cura pecuniam. III, 16, 17.

Cæsura bis omissa est.

Dùm flagrantia detorquet ad oscula. II, 12, 25.

Non stipendia Carthaginis impiæ. IV, 8, 17.

Mirari licet, Bentleium, dum in not. ad vers. poster., ex pausâ in mediâ voce constitutâ argumentum versûs delendi petens, vehementior, uti solet, in tenebrionem illum, qui hunc versum contexuerit, invehitur, adjecisse: « Nunquàm, ne semel quidem (sciens hoc affirmo), discessit ab hâc (observandæ nempè cæsuræ) regulâ noster in Asclepiadeo. »

Semel in pausâ brevis est syllaba.

Quàm si quidquid arat impiger Apulus. III, 16, 26.

Hiatus est in pausâ I, 6, 15, nisi legas *Merionen.*

Est in metro I, II, III, IV.

9. Versus Asclepiadeus major s. choriambicus tetrameter, antecedenti similis, nisi quòd uno adhùc choriambo auctior est.

– – ⏑ ⏑ – ‖ – ⏑ ⏑ – ‖ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑

Quis post vina gravem militiam aut pauperiem crepat, I, 18, 5.

Semel tantùm cæsura post secundum choriambum abest.

Arcanique fides prodiga perlucidior vitro. I, 18, 16.

Est in metro V.

10. Versus Aristophanicus, s. choriambicus dimeter catalectus in amphibrachyn (⏑ – – ⏑) aut bacchium (⏑ – –).

– ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑

Cur neque militaris. I, 8, 5.

Est in metro VII.

11. Versus Sapphicus minor, constans ex dipodiâ trochaicâ et versu antecedenti.

– ⏑ – – – ‖ ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑

Ludit herboso pecus omne campo. III, 18, 9.

Sæpe cæsura est post syllabam brevem sextam,

Dauniæ defende‖decus Camenæ. IV, 6, 27.

præsertìm in IV, 2 et 6 et in Carm. sæcular. Semel neutro in loco : I, 2, 34. Græci quidem utuntur in exordio versûs tàm dipodiâ trochaicâ purâ (– ⏑ – ⏑) quàm epitrito secundo – ⏑ – –, qui solus Horatio placuit. Porro cæsuram observat, quam Græci ignorant. — Interdùm versus hypermeter est, i. e. ultima ejus syllaba superflua eliditur vocali à quâ subsequens incipit versus : II, 2, 18; IV, 2, 22 et 23; Carm. sæc. 48.

Est in metro VI.

12. Versus Sapphicus major. Oritur ex versu Sapphico præcedenti eodem modo ut Asclepiadeus major (num. 9) ex Asclepiadeo minori (num. 8), inserto nimirùm uno adhùc choriambo.

– ⏑ – – – | – ⏑ ⏑ – ‖ – ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑

Sæpè trans finem jaculo nobilis expedito. I, 8, 12.

Si rectè à Cl. Hermanno hic versus inter choriambicos numeratur, æquo jure Sapphicus præcedens locum inter illos obtinere posse videtur.

Est in metro VII.

d. *Versus dactylici.*

13. Versus Adonicus, s. dactylicus dimeter catalectus.

Terruit urbem.

Est in metro VI.

14. Versus Archilochius minor, s. trimeter hypocatalectus; s. penthemimeris (πενθημιμερὴς) dactylica.

Pulvis et umbra sumus. IV, 7, 16.

Horatius spondeis non utitur.

Est in metro IX. cf. num. 20 et 21, et quæ ibi præmissa sunt.

15. Versus dactylicus tetrameter catalectus, s. tetrameter heroicus.



Carmine perpetuo celebrare. I, 7, 6.

O fortes pejoraque passi. I, 7, 30.

Mensorem cohi|bent Ar|chyta. I, 28, 2.

Horatius cæsuram constituit post primam syllabam aut secundi aut tertii pedis; exceptis ter versibus odæ 28 lib. I.

Est in metro XIII.

16. Versus Alcmanius, qui est dactylicus tetrameter acatalectus.



Cf. num. 19.

17. Hexameter heroicus, qui est catalectus.



Vos quibus est virtus muliebrem tollite luctum. Epod. 16, 39.

Interdùm spondeus est in sede quintâ, I, 28, 21; Epod. 13, 9; 16, 17. Aliquoties cæsura non in initio pedis tertii sed secundi et quarti simul constituitur, I, 7, 29; 28, 5; Epod. 16, 21. Ter ne hic quidem observatur, I, 28, 15 et 29; Epod. 15, 9.

Est in metro IX, X, XIII, XVI, XVII.

e. *Versus logaœdici.*

Sic ii dicuntur versus in quibus seriem dactylicam subsequitur series trochaica. Nomen logaœdicorum indè acceperunt quòd rhythmus dactylicus ἀοιδῇ, trochaicus λόγῳ accommodatior est.

18. Versus Alcaicus inversus decasyllabus.

– ∪ ∪ – ∪ ∪ – ∪ – ⏑

Purpurei metuunt tyranni. I, 35, 12.

Est in metro VIII.

19. Versus Archilochius major.

– ∪ ∪ – ∪ ∪ – || ∪ ∪ – ∪ ∪ || – ∪ – ∪ – ∪

Solvitur acris hyems gratâ vice veris et Favoni. I, 4, 1.

Ex duobus compositus est membris sive κώλοις, nimirùm

a) ex versu Alcmanio (num. 6).

b) ex versu Ityphallico (num. 1).

Græci quidem hos ità jungunt, ut ultima syllaba membri prioris perindè quasi integrum claudat versum, et brevis et longa esse et hiatum quoque efficere queat. Contrà Horatius nec pedem creticum – ∪ – neque spondeum in quarto loco posuit neque hiatu usus est; ideòque hoc metrum Horatianum à subsequenti versuum genere asynartetorum, inter quos numerari solet, excludendum videtur.

Est in metro XII.

f. *Versus asynarteti.*

Versus asynarteti (ἀσυνάρτητοι) s. inconnexi nominantur

qui duobus aut pluribus membris constant, quæ tamen inter se non magìs connexa sunt quàm versus cum versu. Cujusque igitur membri ultima syllaba, eodem jure ac si esset ultima versûs, et longa et brevis esse potest neque eliditur. Hoc versuum genus invenisse Archilochus dicitur. A multis Horatii editoribus singuli versus in binos dividuntur illos ex quibus compositi sunt. Et sanè, ut Gesnerus observat, commodissima esset divisio. Sed acriter pro versûs integritate pugnat Bentleius, Hephæstionis aliorumque grammaticorum auctoritate fretus. Cf. num. antecedentem. Ex Horatio hùc pertinent:

20. Versus elegiambus, compositus nempè ex elegiaci versûs dimidio s. penthemimeri dactylica (num. 14) et versu iambico dimetro acatalecto (num. 2).

— ◡ ◡ — ◡ ◡ — ◡ || ◡ — — ◡ — ◡ — — ◡ —

Desinet imparibus certare submotus pudor. Ep. 11, 18.
Libera consilia nec contumeliæ graves. Epod. 11, 26.
Inachia furere sylvis honorem decutit. Epod. 11, 6.
Fervidiore mero arcana promorat loco (cum hiatu). Epod. 11, 14.

Est in metro XI.

21. Versus iambelegus præcedenti similis, nisi quòd inverso ordine membrum iambicum præcedit et elegiacum subsequitur.

◡ — — — ◡ — ◡ — — ◡ — ◡ || — ◡ ◡ — ◡ ◡ —

Tu vina Torquato move consule pressa meo. Ep. 13, 16
Levare duris pectora sollicitudinibus. Epod. 13, 10.

Est in metro X.

g. *Versus ionici.*

Sic dicti ob pedes ionicos* ex quibus constant. Unum

* ◡ ◡ — — ionicus à minore, — — ◡ ◡ ionicus à majore.

tantùm apud Horatium talium versuum genus reperitur :

22. Versus ionicus à minore (ἀπ' ἐλάσσονος) tetrameter acatalectus.

⏑ ⏑ – – ⏑ ⏑ – – ⏑ ⏑ – – ⏑ ⏑ – –

Miserarum est nec amori dare ludum neque dulci. III, 12, 1.

Alii editores aliter odæ alligatæ versus ordinant, suntque qui et tetramétros ionicos aliosque versus exhibeant.

Est in metro XIX.

h. *Versus ex diversis rhythmis mixti.*

23. Versus Alcaicus hendecasyllabus.

– – ⏑ – – || – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑

Dulce et decorum est pro patriâ mori. III, 2, 13.

Tumultuosum sollicitat mare. III, 1, 26.

Rarius tamen ab iambo incipit. — Quinquies cæsuram neglectam reperies : I, 16, 21; 37, 5 et 14; II, 17, 21; IV, 14, 17; quibus locis adde in hâc editione correctum III, 2, 5. — In cæsurâ hiatus II, 20, 30; III, 2, 30; et brevis syllaba III, 4, 53. — Legitur II, 15, 17 versus sequens :

Nec fortuitum spernere cespitem.

Horatius vel à regulâ versûs discessit, vel syllabam penultimam vocis *fortuitum* produxit.

Est in metro VIII.

24. Versus Alcaicus enneasyllabus.

– – ⏑ – – – ⏑ – ⏑ –

Si fractus illabatur orbis. III, 3, 7.

Ŏlentis uxores mariti. I, 17, 7.

Rarius tantùm iambo utitur in primâ sede. — Versus longè plurimi cæsuram habent post syllabam sextam.

Hunc versum præcedenti similem esse patet. Errant

qui eum versum iambicum hypercatalectum esse putant et (uti Wetzelius quoque) sic ordinant,

⏑ – ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑
– – – – –

cùm in 317 versibus hujus generis apud Horatium obviis ne unus quidem (sciens hoc affirmo) iambum in tertiâ sede habeat.

Ultima syllaba superflua à vocali subsequenti versus eliditur in II, 3, 27.

Est in metro VIII.

B. Systemata.

I. Metrum Asclepiadeum primum, μονόκωλον μονόςροφον, versum Asclepiadeum minorem (num. 8) usquè repetens.

– – – ⏑ ⏑ – || – ⏑ ⏑ – ⏑ –⏑

I, 1.
III, 30.
IV, 8.

Quâ ratione hoc metrum Wetzelius τετράςροφον appellaverit non liquet, cùm numerus versuum odæ 8 lib. IV, non quaternarius sit; continet enìm carmen illud 34 versus.

II. Metrum Asclepiadeum secundum, δίκωλον δίςροφον, quòd ex versu Glyconico (num. 7) et versu Asclepiadeo minori (num. 8) alternatìm se excipientibus compositum est.

– – – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑
– – – ⏑ ⏑ – | – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑⏑

I, 3, 13, 19, 36.
II, 9, 15, 19, 24, 25, 28.
IV, 1, 3.

III. Metrum Asclepiadeum tertium, δίκωλον τετράςροφον

constans ternis versibus Asclepiadeis minoribus (num. 8), quos subsequitur versus Glyconicus (num. 7).



I, 6, 15, 24, 33.
II, 12.
III, 10, 16.
IV, 5, 12.

IV. Metrum Asclepiadeum quartum τρίκωλον τετράστροφον etc. Constat ex Asclepiadeo versu minori (num. 8) bis posito, versu Pherecratio (num. 6) et Glyconico (num. 7).



I, 5, 14, 21, 23.
III, 7, 13.
IV, 13.

V. Metrum Asclepiadeum majus, μονόκωλον μονόστροφον; cf. num. 9.

— — — ⏑ ⏑ — || — ⏑ ⏑ — || — ⏑ ⏑ — ⏑ —

I, 11, 18.
IV, 10.

VI. Metrum Sapphicum δίκωλον τετράστροφον. Ter repetit versum Sapphicum minorem (num. 11) sequenti Adonico (num. 13).



Quater vocem tertiæ lineæ ultimam dissectam invenies: I, 2, 19, 25, 11; II, 16, 7; III, 27, 60.

I, 2, 10, 12, 20, 22, 25, 30, 32, 38.
II, 2, 4, 6, 8, 10, 16.
III, 8, 11, 14, 18, 20, 22, 27.

IV, 2, 6, 11.
Carmen sæculare.

VII. Metrum Sapphicum majus, δίκωλον δίτροφον. Habet versum Aristophanicum (num. 10) et Sapphicum majorem (num. 12) alternatim positos.



I, 8.

VIII. Metrum Alcaicum, τρίκωλον τετράτροφον. Binos exhibet versus Alcaicos hendecasyllabos (num. 23), versum Alcaicum enneasyllabum (num. 24), denique versum Alcaicum decasyllabum (num. 18).



I, 9, 16, 17, 26, 27, 29, 31, 34, 35, 37.
II, 1, 3, 5, 7, 9, 11, 13, 14, 15, 17, 19, 20.
III, 1, 2, 3, 4, 5, 6, 17, 21, 23, 26, 29.
IV, 4, 9, 17, 15.

IX. Metrum Archilochium primum, δίκωλον δίτροφον. Hexametro heroico (num. 17) subjectus est versus Archilochius minor (num. 14).



IV, 7.

X. Metrum Archilochium secundum, δίκωλον δίτροφον. Hexametro heroico (num. 17) subjectus est versus iambelegus (num. 21).



Epod. 13.

XI. Metrum Archilochium tertium, δίκωλον δίσροφον. Post versum iambicum senarium (num. 4) sequitur versus elegiambus (num. 20).



Epod. 11.

XII. Metrum Archilochium quartum, δίκωλον δίσροφον, compositum ex versu Archilochio majori (num. 19) et versu iambico trimetro catalecto (num. 3).



I, 4.

XIII. Metrum Alcmanium δίκωλον δίσροφον. Hexametro heroico (num. 17) subjectus est versus dactylicus tetrameter catalectus (num. 15).



I, 7, 28.
Epod. 12.

XIV. Metrum iambicum primum μονόκωλον μονόστροφον, quod semper versum senarium (num. 4) repetit.

Epod. 17.

XV. Metrum iambicum secundum, δίκωλον δίσροφον, in quo versus iambicus senarius et quaternarius (num. 4 et 2) alternâ vice se invicem sequuntur.



Epod. 1—10.

XVI. Metrum pythiambicum primum, δίκωλον δίσροφον. Hexametrum heroicum, qui et versus pythius nominatur (num. 17), excipit versus quaternarius (num. 2).



Epod. 14, 15.

XVII. Metrum pythiambicum secundum, δίκωλον δίσροφον. Hexameter heroicus (num. 17) cum versu senario (num. 4).



Epod. 16.

XVIII. Metrum trochaicum, δίκωλον δίσροφον. Ex versu constat trochaico heptasyllabo (num. 5) et iambico trimetro catalecto (num. 3), quos si ἀσυναρτήτως (cf. supra sub lit. f.) connectis tanquàm seriem trochaicam novem pedum recitare potes.



II, 18.

XIX. Metrum ionicum à minore, μονόκωλον μονόστροφον, usquè revolvens versum ionicum à minore tetrametrum (num. 22).

III, 12.

Alii sic versus carminis laudati digesserunt, parùm solliciti, in fine versuum quinquies vocabula dividi.



ità ut systema τρίκωλον τετράστροφον esset. Alii in duos tri-

metros quos sequitur tetrameter carmen redigunt, dissectis nonnullis vocibus. Rursùs alii in duos tetrametros cum uno dimetro distribuerunt. Vide, si tanti est, Bentleium ad h. l. et Jani Excurs. I ad lib. III.

INDEX ODARUM,

Adjecto metro cui quæque conveniunt.

Lib.	Od.	Metrum.	Lib.	Od.	Metrum.
I.	1	I.	I.	29	VIII.
	2	VI.		30	VI.
	3	II.		31	VIII.
	4	XII.		32	VI.
	5	IV.		33	III.
	6	III.		34	VIII.
	7	XIII.		35	VIII.
	8	VII.		36	II.
	9	VIII.		37	VIII.
	10	VI.		38	VI.
	11	V.	II.	1	VIII.
	12	VI.		2	VI.
	13	II.		3	VIII.
	14	IV.		4	VI.
	15	III.		5	VIII.
	16	VIII		6	VI.
	17	VIII.		7	VIII.
	18	V.		8	VI.
	19	II.		9	VIII.
	20	VI.		10	VI.
	21	IV.		11	VIII.
	22	VI.		12	III.
	23	IV.		13	VIII.
	24	III.		14	VIII.
	25	VI.		15	VIII.
	26	VIII.		16	VI.
	27	VIII.		17	VIII.
	28	XIII.		18	XVIII.

Lib.	Od.	Metrum.
II.	19	VIII.
	20	VIII.
III.	1	VIII.
	2	VIII.
	3	VIII.
	4	VIII.
	5	VIII.
	6	VIII.
	7	IV.
	8	VI.
	9	II.
	10	III.
	11	VI.
	12	XIX.
	13	IV.
	14	VI.
	15	II.
	16	III.
	17	VIII.
	18	VI.
	19	II.
	20	VI.
	21	VIII.
	22	VI.
	23	VIII.
	24	II.
	25	II.
	26	VIII.
III.	27	VI.
	28	II.
	29	VIII.
	30	I.
IV.	1	II.
	2	VI.
	3	II.
	4	VIII.
	5	III.
	6	VI.
	7	IX.
	8	I.
	9	VIII.
	10	V.
	11	VI.
	12	III.
	13	IV.
	14	VIII.
	15	VIII.
Epod.	1-10	XV.
	11	XI.
	12	XIII.
	13	X.
	14	XVI.
	15	XVI.
	16	XVII.
	17	XIV.
Carm. sæc.		VI.

Q. HORATII FLACCI

CARMINUM

LIBER PRIMUS.

ODE PRIMA

AD MÆCENATEM.

Alios aliis rebus duci; unicum Horatio studium inter lyricos poetas à Mœcenate, patrono suo, annumerari.

Mæcenas, atavis edite regibus [1],
O et præsidium et dulce [2] decus meum!
Sunt, quos [3] curriculo pulverem Olympicum [4]
Collegisse juvat, metaque fervidis [5]

1. *Atavis edite regibus*, proprio et stricto sensu, ut infrà lib. III, 29, *Tyrrhena regum progenies*, et Propertius lib. III, 7: *Mœcenas eques, Etrusco de sanguine regum.*

2. *O, et præsidium, et dulce decus meum!* Nota hanc vocem, *dulce*, quâ non durum potentis viri patrocinium, sed blandam et honestam familiaritatem significat.

3. *Sunt quos....* De variis hominum studiis dignus est qui cùm Horatianis versibus comparetur locus classicus apud Virg. Georg. II, 503 et sqq.: *Sollicitant alii remis freta cæca, ruuntque In ferrum....*

4. *Pulverem Olympicum collegisse juvat.* Sunt qui ludis delectantur, Olympiacis scilicet, vel aliis quibuslibet celeberrimis.

5. *Metaque fervidis evitata rotis:* rotæ curruum rapidissimè agitatæ fervent, et aliquandò inflammantur. Summa autem ars currentium metam evitare, curru circà eam proximè acto, nec tamen alliso.

Evitata rotis, palmaque nobilis
Terrarum dominos evehit ad Deos [6] :
Hunc [7], si mobilium turba Quiritium
Certat tergeminis tollere honoribus [8] :
Illum [9], si proprio condidit horreo
Quidquid de Libycis verritur areis.
Gaudentem[10] patrios findere sarculo
Agros, Attalicis conditionibus
Nunquàm demoveas, ut trabe Cypriâ
Myrtoum, pavidus nauta, secet mare.
Luctantem[11] Icariis fluctibus Africum

6. *Terrarum dominos evehit ad deos :* diis æquiparat terrarum dominis ; absurdè *Terrarum dominos* referunt nonnulli ad Romanos; hìc enim non de uuius gentis, sed de generis humani moribus agitur.

7. *Hunc*, sub. *juvat.* — *Mobilium ;* quià plebs naturâ suâ inconstans. Sic infrà III, 2 *arbitrio popularis aurœ;* et Ep. I, 19, *Ventosœ plebis suffragia.*

8. *Certat tollere*, cum studio extollit. — *Tergeminis honoribus :* summis, amplissimis; non, ut quidem voluerunt, primis Romanorum dignitatibus, consulatu, prœturâ, ædilitate, quod esset poetæ verba ad frigidam pedestris orationis diligentiam exigere.

9. *Illum*, sub. *juvat.* — *Si proprio....* non ut possessor, quod opulentissimo civi nunquàm contigit, sed ut mercator immenso lucro inhians, et cogitans de egestate publicâ. — *Verritur :* fruges flagello tritæ, scopis in cumulos rediguntur. Hìc, prima hujusce odes phrasis concludi debet; sensus est absolutè terminatus, et quæ sequuntur ad præcedentia nullatenùs referenda sunt.

10. *Gaudentem....* Aviditati mercatoris nùnc opponit Horat. modestiam rusticani avito agello contenti, fœneratore cui illudit in ode 2 lib. V multò sapientioris, et quem nulla quæstûs spes a paterno rure abstrahet. — *Attalicis*, id est, maximis, ab Attalo, Pergami rege, cujus nomen, ut Crœsi, in proverbium transierat. — *Nunquàm demoveas :* doctà brevitate, pro : deducas à beato otio, et moveas ut.... — *Myrtoum mare*, sic dictum ab insulâ Myrto Eubœæ contiguâ ; ponitur autem pro quolibet mari, scopulis et parvis insulis differto. — *Trabe Cypriâ*, nave è trabibus Kypriis compactâ, pro quâlibet nave.

11. *Luctantem :* tranquillæ coloni vitæ præclarè subnectit vitam hominis cupidissimi, maritima pericula, pro quæstu, lacessentis. — *Icariis fluctibus :* pars maris Mediterranei procel-

Mercator metuens, otium et oppidi
Laudat rura sui : mox reficit rates
Quassas, indocilis pauperiem pati.
Est [12], qui nec veteris pocula Massici,
Nec partem solido demere de die
Spernit, nunc viridi membra sub arbuto
Stratus, nunc ad aquæ lene caput sacræ.
Multos castra juvant [13], et lituo tubæ
Permixtus sonitus, bellaque matribus
Detestata. Manet sub Jove frigido [14]

losa, inter Samum sita, et Icariam, à celebrato Icari casu sic appellatam. — *Africum :* ventus ab occasu flans; *creberque procellis*, ut ait Virg. Æneid. I, 85. — *Quassas :* laceras. — *Indocilis pati ;* hellenismus à poetis vulgò usurpatus : qui non edoctus est, qui non didicit pauperiem pati. — *Oppidi rura sui* : rura oppido suo adjacentia; secessum in suburbano suo; hinc intelligas per *pauperiem*, non turpem egestatem notari, sed eam mediocritatem quæ avido et ambitioso homini panpertatis loco est.

12. Per miram oppositionum seriem pergit Hor. Nihil enim magis agitatissimæ navigatoris vitæ contrarium, quàm illa quam nunc adumbrat viri verè epicurei effigies. — *Est qui non spernit :* qui gaudet, qui valdè delectatur; tropus quem λιτότης appellant, et quo res per modum extenuationis amplificatur. Sic in egregiâ Cornelii tragœdiâ (*le Cid*) : *Va, je ne te hais point*, vividissimum Chimenæ amorem testatur. — *Nec veteris..... nec partem.....* junge quod poeticè disjungit Hor. ità ut sensus sit : est qui non spernit *demere*, adimere rebus gerendis, et hilaritati dare *partem de die solido*, qui solidus, qui totus, qui sine intermissione rebus seriis impendi debuerat. — *Arbutus :* genus arboris (*l'arbousier*), pro quâlibet arbore. — *Stratus membra*, græcè, pro, membris stratis. — *Nunc ad aquæ....* fontes suum numen habebant : sic Virg. Ecl. I, 53, *et fontes sacros.*

13. *Multos castra juvant :* mollem hominis quieti et comessationibus addicti vitam excipit bellatoris imago. Sic continuo illo dictionis temperamento μονοτονίαν effugit Hor., vitium Charitibus infensissimum. — *Lituus* equitum est et incurvus; *tuba*, peditum et directa. — *Bellaque matribus detestata ;* sic infrà V, 16, *Parentibusque abominatus Annibal.* Sic Virg. Æn. XI, 215 : *Hic matres, miseræque nurus, hìc cara suorum Pectora mœrentum, puerique parentibus orbi Dirum exsecrantur bellum.*

14. *Manet sub Jove frigido,*

Venator, teneræ conjugis immemor,
Seu visa est catulis cerva fidelibus,
Seu rupit teretes Marsus aper plagas.
Me doctarum ederæ præmia frontium[15]
Dîs miscent superis : me gelidum nemus
Nympharumque leves cùm Satyris chori
Secernunt populo : si neque tibias
Euterpe cohibet, nec Polyhymnia
Lesboum refugit tendere barbiton.
Quodsi me lyricis vatibus inferes[16],

sub Jove, sub aere, ὑπὸ Διὸς, unde Latini, eodem sensu, sub dio. — *Teneræ conjugis*, quam diligit; venationis studium et venatoris pertinacia sic augetur.— *Teretes plagas*, retia tenui et rotundo filo contexta.

15. *Me doctarum ederæ :* me, non *te*, ut nonnulli, contrà omnium mss. fidem, restituere tentaverunt, rati Horat. mox sibi contradicturum, dùm uni Mæcenatis suffragio debere se fatebitur, quòd sublimi feriat sidera vertice. Speciosa tantùm contradictionis objectio. Per has voces : *Dîs miscent superis*, significat Hor. non se diis æqualem esse quòd versus scribat, sed cum diis commercium instituere. Sic Ovidius Fast. lib. VI, vers. 7 : *Fas mihi præcipuè vultus vidisse deorum, Vel quia sum vates, vel quia sacra cano.* Nunc igitur commune poetis privilegium jactat Horatius; sed mox sibi multò insigniorem à Mæcenate, et verè peculiarem laudem vindicabit. — *Ederæ*, quia Baccho sacræ, decent poetam vini et voluptatis amantem. — *Me gelidum nemus :* sylvestres secessus poeticum ingenium excitant. Sic noster Bolæus, Epist. VI ad Lamonium : *Pour animer ma voix J'ai besoin du silence et de l'ombre des bois.* In his autem secessibus sibi ipse videtur nympharum Satyrorumque choris frui, et suavissimâ illâ contemplatione secernitur à populo, cujus hebetes oculi, terræ affixi, nunquàm ad divinum illud spectaculum attolluntur. — *Si neque tibias ;* eâ tamen conditione ut Musæ mihi favere non dedignentur; omnes autem Musas complectitur, dùm nominat tantummodò Euterpen et Polyhymniam, invocaturus quoque Melpomenen, lib. IV, 3. — *Lesboum barbiton :* qualem lyram Sappho et Alcæus in insulâ Lesbo tendere solebant.

16. *Quòd si me lyricis.* Delicatissimum Mæcenatis encomium, quasi diceret : frustrà deorum consiliis intervenio, gelidos nemorum frequento recessus, Satyrorum nympharumque choros mihi admirari concessum est; una hæc est via quâ possim cœ-

Sublimi feriam sidera vertice.

lum contingere, si tibi, Mæcenas, placuerim. — *Sublimi feriam sidera vertice.* Hâc metaphorâ frequenter utuntur poetæ, quâ summum intelligunt gloriæ fastigium. *Sic itur ad astra,* Virg. Æneid. VI, et passim. Deridendus igitur hic derisor Voltarius qui in hunc versum : « Je ne » vois pas quel mérite il peut y » avoir à dire à son ami Mæce- » nas, que, s'il est mis par lui » au rang des poètes lyriques, il » frappera les astres de son front » sublime. » Dùm nimis fidus interpres, verbum verbo curat reddere, in parodiam incidit, quod tanto et tàm sagaci ingenio prorsùs indignum, et impar attenuandæ Horatii nostri gloriæ.

ODE SECUNDA

AD AUGUSTUM CÆSAREM.

Deos omnes iratos esse Romanis ob Cæsaris cædem; unam imperii spem in Augusto constitutam.

Hæc ode videtur scripta anno U. C. 732, quo facta ingens in agris Romanis Tiberis inundatio, et exorta tempestas insolitâ nivis copiâ, grandinis et fulminum jactu memorata.

Jam satis terris nivis [1] atque diræ
Grandinis misit Pater, et rubente
Dexterâ sacras jaculatus arces
Terruit urbem,
Terruit [2] gentes, grave ne rediret
Sæculum Pyrrhæ, nova monstra questæ,
Omne quum Proteus pecus egit altos
Visere montes,

1. *Nivis :* nivem advertit, quià parùm frequens in urbe, prodigii loco facilè haberi potest. — *Diræ grandinis;* ominosæ, et cœlestem iram portendentis. Eodem sensu, et cædi Cæsaris alludens pariter Virgilius, Georg. I, 488 : *Nec* diri *toties arsere cometæ.* — *Pater,* Jupiter. — *Rubente dexterâ;* manu splendore fulminis quod tenet irradiatâ : ornatè et graphicè. — *Sacras jaculatus arces :* poeticâ ellipsi, dicit *jaculari arces* pro, *arces* jactu fulminis ferire. Sic Ovidius, Amor. III, 3, 35 : *Jupiter igne suo lucos jaculatur et arces.*

2. *Terruit gentes :* cùm vi repetita vox *terruit;* id est, metum injecit gentibus, ne.... — *Sæculum Pyrrhæ :* notissimum in fabulis Deucalionis et Pyrrhæ uxoris ejus diluvium. — *Nova monstra :* res hactenùs inauditas, quæ mox enumerabit. — *Questæ :* monstris muliebriter attonitæ. — *Proteus,* Neptuni pas-

Piscium [3] et summâ genus hæsit ulmo,
Nota quæ sedes fuerat columbis,
Et superjecto pavidæ natarunt
Æquore damæ.
Vidimus flavum [4] Tiberim, retortis
Litore Etrusco violentèr undis,
Ire dejectum monumenta Regis
Templaque Vestæ;
Iliæ dùm se [5] nimium querenti
Jactat ultorem, vagus et sinistrâ
Labitur ripâ, Jove non probante, uxorius amnis.

tor, *immania cujus Armenta, et turpes pascit sub gurgite phocas.* Virg. Georg. IV, 395. — *Egit visere*, poeticè magis quàm grammaticè, pro, *egit visum.*

3. *Piscium et summâ....* has magnæ calamitatis circumstantias, ut nimìs tenues, et gravissimæ ipsius odes materiæ minùs consentaneas multi critici, inter quos *hypercriticus* Scaliger, vituperavere; neque ab eorum severitate dissentiam, nisi tamen poetarum ingenio nonnulla esse condonanda fateri malim.

4. *Vidimus flavum Tiberim :* semper turbidæ et flavæ Tiberis undæ; quem colorem tempestas et nives auxerant. — *Retortis undis litore Etrusco :* undis violenter repulsis sive à dextrâ ripâ quæ ad Etruriam spectat, et sic in sinistram ripam quâ Romæ mœnia alluit refluentibus, sive à Tyrrheno mari in quod naturaliter influit, ad Ostiam, hodiè *Civita Vecchia.* — *Monumenta regis*, regiam Numæ Pompilii. — *Templaque Vestæ :* fuit Vesta Saturni filia, ex Ope, foci custos et præses, cui Numa Pompilius ædem condidit regiæ suæ contiguam. Plutarch. in Vitâ Numæ.

5. *Iliæ dùm se....* sensus est : dùm Tiberis, ut uxori suæ satisfaciat, immodicus exsurgit ultor, et, præter Jovis voluntatem, sinistrâ ripâ evagatur. — *Iliæ*, Ilia Romuli mater, ficta uxor Tiberis, quòd in eum fluvium Amulii jussu demersa fuerat. — *Querenti :* scilicet ob necem Cæsaris, cognati sui, cùm ille, ut ipsa Ilia, ab Iulo sive Ascanio, originem suam duceret. — *Nimium*, non adverbialiter ad *querenti*, sed adjectivè ad *ultorem*, referendum puto. — *Labitur :* vulgò *labi* de placido aquarum cursu intelligitur; verùm vim addit epitheton *vagus.* — *Uxorius :* uxori nimìs indulgens; ut Virg. Æneid. IV, 266, *pulchramque uxorius urbem Exstruis.* — *Jove non probante*, quià majori deo

Audiet cives [6] acuisse ferrum,
Quo graves Persæ meliùs perirent;
Audiet pugnas, vitio parentum
Rara juventus.
Quem vocet divûm [7] populus ruentis
Imperî rebus? prece quâ fatigent
Virgines sanctæ minùs audientem
Carmina Vestam?
Cui dabit partes scelus expiandi [8]
Jupiter? Tandem venias, precamur,
Nube candentes humeros amictus,
Augur Apollo;
Sive tu mavis, Erycina [9] ridens,
Quam Jocus circumvolat et Cupido;
Sive neglectum genus [10] et nepotes
Respicis, auctor,

(Octavio scilicet) reservata ultio de Cæsaris nece. Adulatorie.

6. *Audiet cives....* non nova bella civilia, ut recentiores vo-unt interpretes, his quatuor verbis portendit vates, sed ex præteritis vastitatem. — *Graves Persæ* : Persarum nomine Parthos significat, Crassi cæde, et Cæsaris nece qui ultionem Crassi parabat, ferocientes. — *Audiet Pugnas;* sensus : *rara juventus*, id est, posteri nostri, pauci admodùm ex bellorum civilium relliquiis, et ideò, *culpâ parentum*, rari, audient....

7. *Quem vocet divûm imperî rebus?* subaud. *sustentandis.* — *prece quâ fatigent;* repetitis precibus infensam et *minùs audientem*, id est, *audire recusantem* Vestam flectant? — *Vestam :* in cujus peculiari tutelâ posita erat Romanæ reipublicæ salus. *Vestaque mater Quæ Tuscum Tiberim et Romana palatia servas.* Virg. Georg. I, 500.

8. *Partes expiandi scelus :* munus, officium. — *Tandem;* longiorem moram accusat, et adventum numinis propitium urgere videtur. — *Nube candentes :* refulgentes nimbo lucido. Præclara imago Apollinis propitii! Nimbus lucidus deorum favorem, ater iram nuntiat. Homerus Iliad. α, 47, de irato Apolline : ὁ δ' ἤιε νυκτὶ ἐοικώς, *descendit autem nocti similis.* — *Augur,* vates, qui præsentit futura, qui oracula fundit.

9. *Erycina :* Venus, sic dicta ab Eryce, Siciliæ monte, in quo templum ei exstructum nobilissimum fuit. Virgil. Æncid. V, 759.

10. *Neglectum genus :* stirpem tuam, ô Mavors, Romuli

Heu! nimis longo satiate ludo[11],
Quem juvat clamor, galeæque leves,
Acer et Marsi peditis cruentum
Vultus in hostem;
Sive mutatâ[12] juvenem figurâ
Ales, in terris imitaris, almæ
Filius Maiæ, patiens vocari
Cæsaris ultor:
Serus in cœlum redeas, diùque
Lætus intersis populo Quirini[13];
Neve te nostris vitiis iniquum
Ocior aura
Tollat. Hìc magnos potiùs triumphos[14],
Hìc ames dici pater atque princeps;

pater, cui opem ferre negligis, quam ex oculis, ex animo tuo videris rejecisse.

11. *Longo ludo :* bellis, quæ sunt Martis quasi ludi et oblectamenta. — *Galeæque leves,* expolitæ. — *Marsi peditis :* in vet. ed. pro *Marsi* legebatur *Mauri;* placet T. Fabri emendatio, quià Marsi Romanorum fuerunt fortissimi; infrà lib. II, od. 20, *Et qui dissimulat metum Marsæ cohortis,* et III, 5, *Marsus et Appulus.*

12. *Sive mutatâ :* Augusto assentatur poeta, dùm innuit non hominem, sed deum, Mercurium scilicet sub figurâ Augusti vindictam Cæsaris dignè mox procuraturum. Sensus autem hic est : sive tu, alate deus (ab alis talaribus), qui Cæsarem ulciscendi consilium non dissimulas, depositâ divinæ formæ majestate, sub juvenis Augusti personâ quam induisti, in terris versaris.

13. *Populo Quirini :* Quirinus, cognomen Romuli, undè posteà *Quirites* Romani appellati. — *Ocior aura :* ne nimiùm citò avoles; Mercurium alatum, ventisque adeò in cœlum sublatum etiàm hìc respici, vix est ut moneam.

14. *Hìc, magnos potiùs triumphos :* hunc accusativum regit verbum *ames* quod in versu sequenti cum infinitivo conjungitur; notandum potiùs quàm imitandum. — *Hìc, ames dici pater atque princeps :* dignitas imperatoria benignitate paternà temperata, pulcherrimum Augusti, et viri principis cujuslibet encomium? Augustus autem S. C. Pater Patriæ fuerat appellatus.— *Medos :* id est, Parthos, ut suprà *Persæ.* — *Euqitare :* equitando nobis insultare; ex equis enìm pugnabant Parthi peritissimè; infrà, Ode XIX, 11, *et versis animosum equis Parthum.* —*In-*

Neu sinas Medos equitare inultos,
Te duce, Cæsar.

ultos, impunitos, seu recentiorem hujus populi insolentiam, seu potiùs Crassi cladem iterùm innuat vindicandam.

ODE TERTIA

AD P. VIRGILIUM.

Ad navem quâ Virgilius, Athenas invisurus, vehebatur.

Navi Virgilium Athenas vehenti incolumitatem precatur. Deindè, occasionem nactus, in hominum temeritatem insurgit, eosque in vetitum niti ostendit.

Sic[1] te Diva potens Cypri,
Sic fratres Helenæ [2], lucida sidera
Ventorumque regat pater [3],
Obstrictis [4] aliis præter Iapyga,

1. *Sic :* optationis, appositâ tamen certâ quâdam conditione, usitatissima apud Latinos formula. vid. Virgil. Ecl. IX, 30 : *Sic tua Cyrneas fugiant examina taxos, Sic cytiso pastæ distendant ubera vaccæ.* Et Tib. I, IV, 1 : *Sic umbrosa tibi contingant tecta ;* et passim, *sic te deus adjuvet.* Sensus autem est : cà tantùm lege, ô navis, tibi salutem tutelamque deorum imprecor, ut Virgilium reddas incolumem finibus Atticis. — *Potens Cypri :* regina Cypri; vide infrà Carmen sæculare : *Phœbe, sylvarumque potens Diana.* Venerem invocat, quià, ut ait Ovidius, Hero. XIX, 161, *Sternet et æquoreas, æquore nata, vias,* vel quià Veneris stella nautis utilissima; quod nobilissimis versibus lyricus noster, in ode ob ortum ducis Britanniæ illustravit :

Ainsi, durant la nuit obscure,
De Vénus l'étoile nous luit,
Favorable et brillant augure
De l'éclat du jour qui la suit.

2. *Sic fratres Helenæ* : Dioscuri, Castor et Pollux, navigantibus propitii.

3. *Ventorum pater*, Æolus.

4. *Obstrictis aliis*; vel in utre, Hom. Odyss. IX, vel in antro, Virg. Æneid. I. — *Præter Iapyga :* Iapyx, ventus occidentalis, ab incolis Apuliæ, qui Iapyges vocantur, ità dictus, ex Italiâ in Græciam navigantibus secun-

Navis, quæ tibi creditum [5]
Debes Virgilium finibus Atticis,
Reddas incolumem, precor,
Et serves animæ dimidium meæ [6].
Illi robur [7] et æs triplex
Circà pectus erat, qui fragilem truci
Commisit pelago ratem
Primus [8], nec timuit præcipitem Africum
Decertantem Aquilonibus,
Nec tristes Hyadas; nec rabiem Noti [9],
Quo non arbiter Hadriæ [10]
Major, tollere seu ponere vult freta.
Quem mortis timuit gradum [11],
Qui siccis oculis [12] monstra natantia,

dus. Gallicè : *ouest-nord-ouest.*

5. *Creditum, debes, reddas :* tres sunt voces è re pecuniariâ translatæ, et sibi invicem apprimè respondentes.

6. *Et serves animæ dimidium meæ;* mira summi affectûs declaratio, ut infrà ad Mæcenatem ægrotum, II, 17 : *Ah! te meæ si partem animæ rapit maturior vis.*

7. *Illi robur :* per locum communem ex re ipsâ natum invehitur in inventorem funestissimæ artis navigandi, quæ amicos ab amicis tàm longo, tàm periculoso discidio separat. — *Robur :* genus quercûs aut ilicis durissimum. — *Æs triplex :* erat pectore aheneo, ferreo.

8. *Primus :* notetur artificium quo dominans illa vox et præcipua in periodo, versum inchoet, et sensum quasi suspendat; hoc dictum tironibus. — *Præcipitem Africum :* ventus flans ex Africâ, ex parte meridionali, colluctans cum Aquilone, qui flat ex boreali parte.

9. *Hyadas;* stellæ in fronte Tauri, ortu et occasu suo pluviam excitare creditæ, sic appellatæ à verbo græco, ὕειν. — *Rabiem Noti;* Notus, ventus est quoque meridionalis, qui solus, nec cum oppositis ventis colluctans hìc consideratur.

10. *Quo non arbiter Hadriæ major,* qui summum in mare Hadriaticum jus et imperium exercet. — *Hadriaticum mare;* hodiè, *Golfe de Venise.*

11. *Quem mortis timuit gradum ?* quod genus timuit mortis, quæ ad nos properat quasi per gradus, quos accelerare videntur qui pericula lacessunt.

12. *Qui siccis oculis;* sic in Phars. IX, 1044 : *Qui sicco lumine campos Viderat Æmathios.*

Qui vidit mare turgidum et
  Infames scopulos Acroceraunia[13]?
Nequidquàm deus abscidit
  Prudens oceano dissociabili[14]
Terras, si tamen impiæ[15]
  Non tangenda rates transiliunt vada.
Audax omnia perpeti[16]
  Gens humana ruit per vetitum nefas.
Audax Iapeti genus[17]
  Ignem fraude malâ gentibus intulit.
Post[18] ignem ætheriâ domo
  Subductum, macies et nova febrium
Terris incubuit cohors :
  Semotique priùs[19] tarda necessitas
Leti, corripuit gradum.

13. *Acroceraunia :* alti montes, in litore Epiri, inter Hadriaticum et Ionicum mare, prominentes, fulmine sæpè icti.

14. *Oceano dissociabili :* qui terras dissociaret, activo sensu; si passivo malis, qui cum terris sociari nequit, ità ut contrà rerum naturam, contrà prudentiam deorum egerit primus inventor navigationis, quâ Oceanus reipsâ cum terris jungitur et commercium iuit. Uterque sensus placet; elige.

15. *Impiæ :* quæ audent quod dei consilio vetitum est.

16. *Audax omnia perpeti;* hellenismus jàm notatus, et adeò frequens ut cum silentio ulteriùs transigere non dubitemus.

17. *Iapeti genus :* Promethens, Iapeti filius, qui ignem solis currui detractum terræ primus intulerat; cujus audaciæ crudeles pœnas luit, in summo Caucasi vertice rupi affixus, et laniatus à vulture viscera ejus, pœnis fecunda et ad supplicium renascentia, depascente.

18. *Post;* indicat mala quibus obnoxium est humanum genus, sacrilegi furti pœnam fuisse. — *Macies;* ad egestatem et ciborum maximè necessariorum indigentiam referri debet. — *Nova cohors :* hactenùs omninò ignota. — *Incubuit;* quo verbo mirè notatur pervicacia et assiduitas malorum homines obsidentium.

19. *Semotique priùs;* sensus obvius est : hominibus, qui anteà diutiùs vivere solebant, vita brevior contigit, mors acceleratiùs advenit. Expende poeticæ dictionis ornatum. Viden' ut lentè fluat prior versus, quo tarditatem mortis incesûss poeta significet, dùm ipsi, per rapidum il-

Expertus vacuum Dædalus[20] aera
Pennis non homini datis.
Perrupit Acheronta Herculeus labor[21]
Nil mortalibus arduum est :
Cœlum ipsum petimus stultitiâ[22], neque
Per nostrum patimur scelus[23]
Iracunda Jovem ponere fulmina.

lud, *corripuit*, in versu sequente quasi alas addere videatur.

20. *Dædalus ;* vide Dædali fabulam, initio lib. VI Æneid. et VIII Metamorph. Ovid. 183. — *Vacuum*, hominibus infrequentem.

21. *Herculeus labor :* andacia Herculis, qui per vim vivus ad Inferos descendit, et indè Alcesten Admetæ conjugem et tricipitem Cerberum ad superos retraxit.

22. *Cœlum ipsum petimus stultitiâ :* seu, ut nonulli credunt, ad Gigantas et Phaetonta alludat, seu potiùs, et cum versibus seqq. multò aptiùs connexum, intelligat homines, per dementes conatus et insanam ambitionem, cœlo ipsi et diis insultare.

23. *Per nostrum scelus :* per nostram impietatem, quæ omnia scelera complectitur. — *Iracunda fulmina ;* metonymicè : fulmina quibus majestatem suam iratus ulciscitur. Sic Claudian. de R. Pros. III, 60 : *Sentiet iratam procul ægida*, et Juvenal. XIII, 220 ; *Iratus cadat in terras, et judicet ignis.* — *Ponere*, deponere.

ODE QUARTA

AD L. SESTIUM[1].

Ex veris reditu occasione sumptâ, et propositâ communi moriendi conditione, Sestium ad gaudia et voluptates hortatur.

Solvitur acris hiems gratâ vice veris et Favonî [2],
Trahuntque siccas [3] machinæ carinas.
Ac neque jàm stabulis gaudet pecus, aut arator igni;
Nec prata canis albicant [4] pruinis.
Jàm Cytherea choros [5] ducit Venus, imminente lunâ; 5

1. *L. Sestium,* non Sextium, ut in multis edit. L. Sestius Bruti partes secutus, consulatum tamen ab Augusto, seu constantis ergà infelicem amicum fidei pretium, seu politicæ ipsius severitatis delinimentum, quod multò verisimilius, acceperat.

2. *Solvitur acris hiems :* veris adventu mollescit et relaxatur terra quæ fuerat hiemis frigore adstricta. Sic infrà Od. IX, 5, *Dissolve frigus.* — *Gratâ vice veris :* vere in vicem redeunte. — *Favonî,* alterum Zephyri nomen, quod naturæ favere videatur.

3. *Trahuntque siccas;* sub finem autumni, et per totam hiemem naves extrà aquam retractæ, in navalibus conquiescebant, et redeunte vere, machinarum vi et mole reductæ in portum, navigationem instaurabant.

4. *Albicant :* delicatissimum illud verbum, quo non absolutam pratorum canitiem, ut in borealibus terris, ubì nix per plures menses solum tegit, sed illam levium pruinarum superfusionem, à quibus Italia ipsa, hieme durante, non immunis est. Sic *albicare* dicitur vir cujus caput raris canis distingui incipit.

5. *Jàm Cytherea choros;* vitæ humanæ instituta ad deos usitatum referre apud poetas; quid verò jàm aptius, quàm ità vernas voluptates describere, ut illis præsidentes deas introducat? — *Imminente lunâ,* desuper lucente, et adeò nocte serenâ. Omnibus notum, quid irrita-

Junctæque Nymphis Gratiæ decentes [6]
Alterno terram quatiunt pede, dùm graves Cyclopum [7]
Vulcanus ardens urit officinas.
Nunc decet aut viridi nitidum caput [8] impedire myrto,
Aut flore [9], terræ quem ferunt solutæ.
Nunc et in umbrosis Fauno decet immolare [10] lucis,
Seu poscat agnâ [11], sive malit hædo.
Pallida Mors [12] æquo pulsat pede pauperum tabernas,
Regumque turres. O beate Sesti [13],
Vitæ summa brevis spem nos vetat inchoare longam.

menti et lasciviæ nox choris et saltationibus addere solcat.

6. *Gratiæ decentes :* quas *componit furtìm subsequiturque decor.* Tibull.

7. *Dùm graves Cyclopum :* mira oppositio, et rationi consentanea, quià scilicet cùm, veris tempore, crebriora existant fulmina, diligentiùs ea tùm fabricari Vulcanum convenit, ne Jovi tela desiut.—*Urit officinas :* inflammat; ignis ardorem poeta vehementer exprimit, quo metalla liquescunt. — *Graves,* epitheto à duris ferri subigendi laboribus, ad officinam ipsam translato.

8. *Nitidum caput,* unguento delibutum et splendescens.

9. *Flore :* singul. pro plur. poeticè. — *Terræ solutæ;* eodem sensu quo suprà : *Solvitur acris hiems.*

10. *Fauno decet immolare,* tanquàm agrorum et gregum custodi; porrò incidebant Romanorum Faunalia in Id. Febr. (Ovid. Fast. II, 193); eaque profusiori, utì omnium deorum agrestium sacra, lætitiâ celebrabantur.

11. *Seu poscat agnâ :* aliter, *agnam, hædum;* quam lectionem æquè probaverim.

12. *Pallida Mors :* nexus gravissimæ et celebratissimæ sententiæ cum præcedentibus, hic est : Nùm, nunc, ô Sesti, dùm licet, perfruere vitæ voluptatibus; frustrà enim opibus diffluis; frustrà summis magistratibus, vir consularis, defunctus es; mors tibi, ut Iro, ut servis tuis imminet. Post mortem verò nec comessationibus, neque amoris lusibus indulgere licebit. — *Pulsat pede :* intellige simpliciter : accedit ad pauperum tabernas, intrat in regum turres et palatia. Sic Statius, Achill. I, 10 : *Neque enìm Aonium nemus advena pulso.* Notior Malherbii imitatio quàm ut hic inseratur.

13. *O beate Sesti,* opulente. — *Vitæ summa brevis,* eodem sensu quo infrà IV, 7, 17 : *Quis scit an adjiciant hodiernæ crastina summæ Tempora dî superi?* — *Spem nos vetat inchoare longam :* vetat inchoare opera, consilia quibus absolvendis vi-

Jàm te premet nox, fabulæque Manes [14],
Et domus exilis Plutonia : quò simul mearis,
Nec regna vini [15] sortiere talis,
Nec tenerum Lycidan mirabere [16], quo calet juventus
Nunc omnis, et mox virgines tepebunt.

ta, propter brevitatem suam, non sufficiat : *Quittez le long espoir et les vastes pensées.* Lafontaine.

14. *Fabulæque Manes :* non fabulosi, commentitii, ut nonnullis placuit : sibi enim poeta contradiceret, dùm asserit Sestium mox à Manibus premendum. Ergò *Manes* sunt aliquid, reverà existunt, habitant domum Plutoniam, *exilem* dictam ab habitantium umbrarum tennitate; hìc, per vocem *fabulæ*, intellige Manes de quibus multus sermo inter vivos.

15. *Nec regna vini :* in conviviis eligebatur, sorte judice, talorum vel tesserarum jactu (*des osselets* ou *des dés*) cœnæ rex et bibendi magister, cui leges constituenti parere inter cæteros convivas convenerat.

16. *Lycidam mirabere*, puerum pulchritudine insignem. — *Quo calet juventus nunc omnis :* cujus amore juvenes nunc ardent. — *Et mox virgines tepebunt ;* nota duorum verborum *calent, tepebunt,* delicatissimam temperationem. Dùm juvenes effrenatè in indignos turpissimosque amores prorumpunt, licito amori, non sine pudore, et servatâ sexûs sui verecundiâ, vix ac ne vix quidem virgines indulgent. *Tepent* tantummodò. Juvenes, *In furias ignemque ruunt.* Virg. Georgic. lib. III, vs. 244.

ODE QUINTA

AD PYRRHAM.

Memor perfidiæ quam olim expertus fuerat à Pyrrhâ, libertinâ quâdam, quam deamaverat, eamdem novo ejusdem amatori sortem prædicit. Persequitur hoc suavissimâ allegoriâ, à mari desumptâ; se eodem naufragio deprehensum; ex eo tamen satis salvum evasisse.

Quis multâ gracilis te puer in rosâ [1]
Perfusus liquidis urget odoribus
Grato, Pyrrha, sub antro?
Cui flavam religas comam [2]
Simplex munditiis? Heu! quoties fidem [3]
Mutatosque Deos flebit, et aspera [4]

1. *Quis multâ in rosâ?* te reclinantem in rosis quibus humus constrata est; malim tamen referre ad puerum ipsum rosis coronatum, quod aptiùs congruit cum liquidis odoribus quibus perfusus erat. — *Gracilis puer: puer*, de ætate, quià inexpertus, fœminarum levitatem ignorat; *gracilis*, de pulchritudine intelligendus est. Sic Ganymedem gracilem vocat Martial. XI, 44, 4. — *Urget;* avidè et arctè amplectitur. — *In antro:* in speluncâ sive per naturam, sive per artificium, ad voluptatem accommodatâ.

2. *Cui flavam religas comam:* cujus gratiâ crines flavos in nodum religas. — *Simplex munditiis:* non operoso variove cultu onerata, sed ità compta atque ornata, ut cura et studium videantur abesse: *La négligence est sa dame d'atours.* Lafontaine.

3. *Heu! quoties fidem?* fidem nunc à te illi obligatam et mox à te quoque violandam. — *Mutatosque deos*, qui ejus favebant amoribus, quos tunc propter inconstantiam tuam adversos habebit.

4. *Et aspera Nigris æquora ventis.* Hìc incipit allegoria; *va-*

Nigris æquora ventis
Emirabitur insolens,
Qui nunc te fruitur credulus aureâ [5];
Qui semper vacuam [6], semper amabilem
Sperat, nescius auræ [7]
Fallacis. Miseri, quibus [8]
Intentata nites! Me tabulâ sacer [9]
Votivâ paries indicat uvida
Suspendisse potenti
Vestimenta maris deo.

rium et mutabile semper Fœmina Virg., Æn. IV, 569, quod de mari etiam frequentèr dictum est. — *Insolens :* qui tale quid non timuerat, stupens ob improvisam rei insolentiam.

5. *Qui nunc te fruitur credulus aureâ :* aurum nitore et pondere ab aliis metallis discernitur; te igitur gravem æquè ac amabilem hodiè credulus arbitratur, et sic verè *auream ;* cras levitatem tuam experturus.

6. *Qui semper vacuam :* sibi soli vacantem et paratam, aliorum juvenum contemptricem.

7. *Nescius auræ fallacis;* continuatur allegoria.

8. *Miseri quibus nites?* quibus formæ tuæ nitore places? — *Intentata :* qui, pulchritudine tuâ allecti, nondùm usu cognoverunt quàm mutabili sis animo.

9. *Sacer paries :* sacellum vel templum Neptuno dicatum. Ritum veterem tangit, quo è naufragio servati, vota diis in ipso naufragii periculo facta persolvebant, tabulamque quæ hujus rei memoriam servaret cum vestibus quibuscum enatassent templi parietibus affigebant; qui mos in ritus christianos defluxit. Innuit autem se diis gratiam habere, quòd periculosissimis inconstantissimæ amasiæ laqueis, tanquàm è naufragio, sanus evaserit.

ODE SEXTA

AD M. VIPSANIUM AGRIPPAM.

Agrippa, magnus ille et præcipuus Augusti amicus, idem qui posteà Juliam imperatoris filiam uxorem accepit, insignium victoriarum et inprimìs Actiacæ pugnæ gloriâ clarus, Horatio exprobraverat quòd nulla suî in ipsius carminibus facta esset mentio. Hìc Horatius se excusat Agrippæ, et, dùm negat tàm sublimi argumento venam suam sufficere, Agrippam et ipsum Augustum splendidissimè laudat. Eâdem laudandi formâ utitur Od. II, 12, IV, 15; et eam quoque multis in locis usurpavit, felicissimus Horatii imitator, Bolæus noster.

Scriberis Vario [1] fortis et hostium
Victor, Mæonii carminis [2] aliti,
Quam rem cumque ferox navibus aut equis [3]

1. *Scriberis Vario : Vario*, in dativo casu; Varii autem ut insignis poetæ epici tàm noster, Sat. I, 10, 44; Art. Poet. 55, quàm Virg. Ecl. IX, 35, honorificam mentionem facit.

2. *Mæonii carminis :* Homerici, quià Homerus, secundùm probatissimam opinionem, aut ex Mæoniâ oriundus, aut cujusdam Mæonis filius creditur. — *Aliti ;* vel aquilæ, propter volatûs sublimitatem, vel cycno, ob eloquii dulcedinem. Quidquid sit, Varius, epici poematis princeps hìc designatur, ut infrà Sat. I, 10, 44 : *Fortè epos acer, ut nemo, Varius ducit.* Nondùm Æneida Virgilius scripserat cùm protinùs subnectat Hor. : *Molle atque facetum Virgilio annuerunt gaudentes rure Camœnæ*, ubì pastoralis et georgicus poeta solùm laudatur. Varii opera ferè omnia periêre, quorum fragmenta reperire est, sed mutila et malè cohærentia in libro cui titulus : *Corpus poetarum.*

3. *Quam rem cumque ferox navibus aut equis : navibus*, non solùm propter operam Actii feliciter Augusto præstitam, sed

Miles, te duce, gesserit.
Nos, Agrippa, neque hæc dicere, nec gravem
Pelidæ stomachum [4] cedere nescii,
Nec cursus duplicis [5] per mare Ulixei,
Nec sævam Pelopis domum [6]
Conamur, tenues [7] grandia : dùm pudor,
Imbellisque lyræ musa potens vetat
Laudes egregii Cæsaris et tuas
Culpâ deterere ingenî.
Quis Martem tunicâ tectum adamantinâ [8]
Dignè scripserit? aut pulvere Troico
Nigrum Merionen? aut ope Palladis
Tydiden Superis parem?

quòd præfectus classi fuerat contrà Sext. Pompeium, magni Pompeii filium, ac post victoriam, rostratâ coronâ donatus. — *Equis :* antequàm classi Siculæ præficeretur, equitatum duxerat in Gallos et Germanos.

4. *Pelidæ stomachum ;* Veteres stomachum iræ sedem putabant, quià illîc bilis, undè ira, coquitur; infrà Od. XVI, 16 : *Et insani leonis vim stomacho apposuisse nostro.* — *Cedere nescii,* inexorabilis, Art. P. 121.

5. *Nec cursus duplicis :* errabundam Ulyssis navigationem, quam Homerus cecinit in Odyssea. — *Duplicis,* vafri, astuti, versiformis.

6. *Nec sævam Pelopis domum,* domesticis cladibus cruentatam. Œnomaüs enìm à genero Pelope, Thyestæ liberi ab ejus fratre Atreo, Atreus ab Ægystho, Agamemnon à Clytemnestrâ, hæc et Ægysthus ab Oreste Clytemnestræ filio occisus; Orestes ipse furiis agitatus. Fecundam poetis tragicis omnium ætatum materiam! Alludere videtur ad tragœdiam Varii, Thyestæ nomine inscriptam, de quâ Quinctilianus, X, 1 : *Varii Thyestes cuilibet Græcorum comparari potest.*

7. *Tenues;* nos tenui ingenio, et ad leviora argumenta nati. — *Imbellisque lyræ musa potens :* musa quæ nihil aliud nobis commisit quàm lyram imbellem, id est, non rebus bellicis, sed jocosis et ludicris aptam! — *Egregii Cæsaris :* eximii, unici; cum vi dictum, ut infrà III, 25, 4. — *Deterere,* extenuare, obscurare. — *Culpâ ingenî,* tenuitate.

8. *Quis Martem tunicâ tectum adamantinâ?* Augusti et Agrippæ laudem bellicam celebrare, hoc idem esset ac si Martem, aut Merionem, aut Tydeum laudare velles. Indirectè, et eò exquisitiùs, Augustum et Agrip-

Nos convivia, nos prælia virginum [9]
Sectis in juvenes unguibus acrium,
Cantamus, vacui [10], sive quid urimur,
Non præter solitum leves.

pam cum heroibus Homericis, Varium cum Homero comparat. — *Tunicâ tectum adamantinâ*, imago ab Homero mutuata. — *Merionen :* apud Homerum Idomenei aurigam. — *Tydiden*, Diomedem, Tydei filium. — *Ope Palladis :* à Minervâ adjutus, Diomedes Venerem et Martem ipsum vulneravit, undè meritò, par Superis appellatur.

9. *Nos prælia virginum;* ut bella, Martis ludos, suprà Od. II, 37, sic lusus et innocuas amantium rixas, prælia hìc nominat. — *Acrium;* acriter sese defendere videntur virgines, et unguibus in protervorum juvenum vultus desævire ; sed eas ungues præsecuisse juvit, ne graviùs offenderent eos à quibus provocari et lacessi non adcò displicet.

10. *Vacui*, sive ab omni amore liberi simus. — *Sive quid urimur*, sive levi amore detineamur. — *Non præter solitum leves;* secundùm consuetudinem nostram inconstantes, de more nostro.

ODE SEPTIMA

AD MUNATIUM PLANCUM.

Munatius Plancus, vir fuit dignitatibus insignis, sed, durante bellorum civilium æstu, summæ levitatis et inconstantiæ, ità ut varias contendentium partes nimiâ facilitate amplecteretur vicissim et desereret. Postquàm Augustus summâ rerum potitus est, in gratiam principis venit, quanquàm Augustum sibi non ex animo favere aut satis fidere Plancus intelligeret. Indè cùm magnam animi contraxisset ægritudinem, voluntarium in Græciam exsilium meditari cœpit. Quod consilium dùm approbare amico suo videtur Horatius, temperat tamen, hortaturque Plancum, ut, relictis quidem Romæ deliciis, relicto rerum publicarum tumultu, potiùs in Tiburtinum agrum quàm in Græciam secedat, eumque ad spem meliorem erigit, exemplo Teucri, qui jussu Telamonis patris sui à Salaminâ profugus, sortem suam constanti animo tulit. Hunc Munatium Plancum conditorem urbs Lugdunum agnoscit.

Laudabunt alii [1] claram Rhodon [2], aut Mitylenen [3],

1. *Laudabunt alii :* notanda ab odes initio mira verborum in exprimendâ ferè eâdem sententiâ varietas, *laudabunt alii; — sunt quibus unum opus est celebrare; — plurimus dicit.*

2. *Claram Rhodon :* stricto et proprio sensu dicit *claram*, quòd insula Rhodos, è regione Ciliciæ in mari Mediterraneo sita, olim Soli sacra, nunquàm ejus radiis et luce prorsùs carere credebatur. Erat autem amœnissimo situ, portu amplissimo, in quo visebatur ingens Solis statua, quam Colossum vocabant. Eodem sensu scripsit Lucanus, Phars. VIII, 248 : *Claramque reliquit Sole Rhodon.*

3. *Mitylenem;* Mitylene, hodiè *Mételin*, urbs primaria insulæ Lesbi in mari Ægæo, *et naturâ et descriptione ædificiorum et pulchritudine inprimis nobilis;* Cic. Orat. contrà Rullum c. 14.

Aut Ephesum [4], bimarisve Corinthi [5]
Mœnia, vel Baccho Thebas [6], vel Apolline Delphos [7]
Insignes, aut Thessala Tempe [8].
Sunt quibus unum opus est, intactæ Palladis arces [9]
Carmine perpetuo [10] celebrare, et
Undiquè decerptæ frondi præponere olivam.[11]
Plurimus in Junonis honorem

4. *Ephesum;* nobilissima Ioniæ, in Asiâ Minore, civitas est, magnificentissimo Dianæ templo celebrata.

5. *Bimarisve Corinthi Mœnia;* Corinthus, prisco nomine Ephyra, isthmum occupat qui *duo maria*, Ægæum scil. et Ionium, *ab occasu et ortu solis finitima, arctis faucibus dirimit.* Livius XLV. Sic Ovid. Fast. IV, 501 : *Hadriacumque patens latè, bimaremque Corinthum.*

6. *Baccho Thebas;* Thebæ à Cadmo in Bœotiâ ædificatæ, cujus filia Semele Bacchum peperit ex Jovis complexu, Bacchi, Pindari, Pelopidæ, Epaminondæ patria.

7. *Vel Apolline Delphos;* Delphi, Phocidis civitas, propè Parnassum, templo et oraculo Apollinis percelebris.

8. *Thessala Tempe,* Τέμπεα, *n.* Valles in Thessaliâ amœnissimæ, ad Penenm amnem. Ea vox *Tempe*, neutrius generis, et pluralis numeri, in utrâque linguâ, singulari caret.

9. *Intactæ Palladis arces;* Athenas, Palladi, Minervæ intactæ, id est virgini, sacras.

10. *Carmine perpetuo :* carmen intelligit, quòd universam Atheniensium rerum seriem, à primâ origine, scil. à certamine Neptuni et Minervæ, ad historiam usquè coætaneam complectatur. Eodem sensu, Ovid. Metam. I, 5 : *Ad mea perpetuum deducite tempora carmen.*

11. *Undiquè decerptæ frondi præponere olivam.* Longùm et maturè attendenti potior visa est hæc lectio, quam Juvencius non respuit, quæ se doctis Hensii et Dacierii nominibus tuetur. Nonnulli legunt : *Undiquè decerptam fronti præponere olivam;* et sic interpretantur : *fronti suæ imponere olivam undiquè decerptam,* quià, ut aiunt, mos erat poetis in publicum prodeuntibus præferre antè se aut in capite coronam sacram deo cujus laudes celebrabant. Ità sit; quid ad rem hæc verba? *Undiquè decerptam,* quasi olivæ ramos et folia decerpturi hùc et illùc vagarentur. Neque minùs repugnat quòd per, *fronti præponere,* intelligant, *imponere capiti,* cujus interpretationis verbi *præponere,* nullum aliud exemplum omninò reperire est.

Absurditatem senserunt, saltem in parte, recentiores Horat. interpretes Mitscherlich et Dæring. Itaquè textum, contrà om-

Aptum dicit equis Argos, ditesque Mycenas [12].
Me nec tàm patiens Lacedæmon [13],
Nec tàm Larissæ percussit [14] campus opimæ,
Quàm domus Albuneæ resonantis [15],
Et præceps Anio [16], ac Tiburni lucus [17], et uda
Mobilibus pomaria rivis [18].

nium mss. fidem, adulteraverunt, suppressâ conj. *et* in versu præcedenti, et sequenti sic mutato, *indèque decerptam*, id est, decerptam ex ipsis Athenis, ex ipsâ olivâ quæ in Partheno religiosè colebatur. Multò meliùs quidem, sed absque satìs gravi auctoritate facta immutatio, et servato intolerabili sensu verbi *præponere* pro *imponere*. Quàm ut interpretationem tutetur, quis credat Mitscherlich inniti hisce Lucretii versibus, ad quos asserit Horat. respexisse : *juvatque novos decerpere flores, Insignemque meo capiti petere indè coronam*. I, 926, et IV, 3. Quis non videt à se ipso damnari doctiss. interpretem, cùm verba *petere indè* sint tàm recta, tàm clara, quàm absona est et obscura illa vox, *præponere*, eodem sensu usurpata?

Legamus igitur cum Heinsio et Dacierio : *Undique decerptæ frondi præponere olivam;* id est, omnibus omnium locorum arboribus olivam anteponere, quod laudatori patriæ suæ vati admodùm convenit, qui ejus insignia cæteris longè præstantiora jactitare debet; sic poeta gallicus lilia aliis floribus antecellere caneret.

12. *Aptum dicit equis Argos ditesque Mycenas.* Duas Peloponnesi civitates, Junoni sacras, pascuis feracissimas.

13. *Patiens Lacædemon;* dicitur patiens, ob severitatem disciplinæ et morum publicorum. Sic Virg. Georg. II, 472, de pube rusticanâ : *et patiens operum, parvoque assueta juventus.*

14. *Nec tàm Larissæ percussit :* Larissa est urbs in Thessaliâ, Achillis patria.—*Percussit*, permovit, affecit.

15. *Quàm domus Albuneæ resonantis :* nemus Albuneæ nymphæ consecratum : per *domum*, intellige antrum à nymphâ habitatum, undè oritur magno cum strepitu rivulus Albula. Virgil. Æneid. VII, 83, de Albuneâ, *nemorum quæ maxima sacro Fonte sonat.* Propè Tibur, hodiè : *Bains de Tivoli.*

16. *Anio;* fluvius Tiburtinum agrum irrigans, et in Tiberim influens : hodiè, *le Téveron.*

17. *Tiburni lucus;* Tiburnus vel Tiburtus, cum fratribus suis Catillo et Corâ Tibur condidit. Infrà, Od. XVIII, 2, *Circà mite solum Tiburis, et mœnia Catili.*

18. *Et uda mobilibus pomaria rivis. Mobilibus;* ad ornatum, ut *lympha fugax*, II, 3,

Albus ut obscuro deterget[19] nubila cœlo
Sæpè Notus, neque parturit imbres
Perpetuos : sic tu sapiens[20] finire memento
Tristitiam, vitæque labores
Molli, Plance, mero : seu te fulgentia signis
Castra tenent, seu densa tenebit
Tiburis umbra tui[21]. Teucer Salamina patremque[22]
Quùm fugeret, tamen uda Lyæo[23]
Tempora populeâ fertur vinxisse coronâ,
Sic tristes adfatus amicos :
« Quò nos cumque feret melior fortuna parente[24],
Ibimus, ô socii comitesque.
Nil desperandum Teucro duce et auspice Teucro[25];
Certus enim promisit Apollo,

12. — *Pomaria;* loca arboribus quibuslibet frugiferis sata.

19. *Deterget;* verrit, expellit, à *detergeo* idem ac *detergo* : utrumque usitatum.

20. *Sic tu sapiens.... molli mero.* Solus inter innumeros Horat. annotatores videtur hunc locum rectè interpretari Sanado : *molli*, inquit, non adject. ad *merum* referri debet; imperativum est è verbo, *mollire.* Vinum enim, finit tristitiam; *Bacchus lætitiæ dator*, Virg. Æn. I, 837. Vitæ autem laboribus modum duntaxat et temperamentum, non finem affert. Ergò sic interpretare : vino finire tristitiam et vitæ labores mollire, attenuare sis memor. Sanadoni me toto animo assentire non diffiteor.

21. *Tiburis umbra tui. Tui* hìc notandum; ruri degere jucundum; villam *suam* habitare, colere, adornare, in primis est deliciis. *L'arbre qu'on a planté rit plus à notre vue Que le parc de Versaille et sa vaste étendue.* Volt.

22. *Teucer Salamina patremque Quum fugeret:* exemplo calamitosi exulis consilii sui utilitatem confirmat, quasi diceret : Non es infelicior quàm Teucer ille patris aspectu interdictus, alludens ad secretam Augusti ergà Plancum invidiam ; et tamen ille Telamonis filius, infortunii sui solatium, non solùm sibi, sed sociis quoque exilii, quæsivit.

23. *Uda Lyæo tempora;* nàm multo vino hausto, potatores tument, incalescunt, ac tempora eorum sudore madent. — *Populeâ coronâ :* corona ex frondibus populi arboris, quæ Herculi sacra, animi denotat fortitudinem.

24. *Melior fortuna parente :* parens patriam abstulit; fortuna alteram patriam reddet.

25. *Nil desperandum Teucro*

Ambiguam[26] tellure novâ Salamina futuram.
O fortes, pejoraque passi[27]
Mecum sæpè viri, nunc vino pellite curas :
Cràs ingens iterabimus[28] æquor. »

duce et auspice Teucro ; versus vehemens et animosus, quo lecto redit in memoriam dictum illud Cæsaris ad navigii rectorem tempestatis vi dejectum : « Ne ti- » meas, Cæsarem et Cæsaris for- » tunam vehis! » Repetitio vocis *Teucro.... Teucro* vim miram addit sententiæ. Nequidquàm autem insudant interpretes, ut explicent quâ ratione Hor. verbum omninò Romanum, *auspice*, homini Græco præbeat; nihil enìm usitatius inter poetas quàm locutiones à moribus propriis depromptas ad mores antiquiores referre. Condonatur facilè vatibus tàm parvi momenti anachronismus. Virgilius loquentem Æneam, Trojanum, inducit, simili utentem licentiâ : *Me si fata meis paterentur ducere vitam Auspiciis.* Æneid. IV, 340.

26. *Ambiguam Salamina :* constituit enìm Salamina novam in insulâ Cypro, ità ut quoties posteà de Salamine sermo habendus esset, ambigeretur an Atticam, an Cypriam intelligerent.

27. *Pejoraque passi :* in Trojanâ sc. obsidione ; sic Virgil. Æneid. I, 199 : *O passi graviora.*

28. *Iterabimus ;* rectè concludas Teucri socios ad terram appulisse, sacra, ut credunt, Herculi facturos. Post diem religioni et lætitiæ datum, naves rursùs conscendemus.

ODE OCTAVA

AD LYDIAM.

Lydia, quam ipse Horatius deamaverat, quamque sæpiùs infidam repererat, ut ex hâc ode et XIII^a hujusce libri, et lib. III ode XXV^a patet, hìc vividissimè increpatur, quòd nobilem quemdam juvenem, sive nomine, sive patriâ Sybarin, ità corrupisset, ut ille, omissis nobilibus studiis et exercitationibus, totum se mollitiei traderet, et in ejus domo turpiter et effeminatè delitesceret. Carmen est poetæ amore non minùs quàm zelotypiâ laborantis.

Lydia dic, per omnes
Te deos oro, Sybarin cur properes [1] amando [2]
Perdere? cur apricum [3]
Oderit campum, patiens pulveris atque solis? [4]
Cur neque militaris [5]

1. *Properes*, rectè; non *properas*, cùm sequatur *oderit* in modo subjunct. Vim autem habet hæc vox, *properare;* meretrices enìm, ut ad alia spolia evolent, festinant *perdere* amantes, id est, non solùm vires eorum corporis frangere, sed etiam bona abligurire.

2. *Amando*, passivo sensu; ità agendo per astutias, perfida artis tuæ delinimenta, ut tuî amore depereat. *Uritque videndo Fœmina*. Virg. Georg. III, 216. Dùm *videtur*, non, dùm *videt*.

3. *Apricum Campum:* Campus Martius, ubì locum habebant juvenum Romanorum ludi et exercitationes.

4. *Patiens pulveris atque solis;* cùm præ corporis robore possit pati, cùm reverâ, antè te cognitam, passus sæpissimè fuerit pulverem atque solem.

5. *Cur neque militaris equitet.* Juvenes Romani per turmas distributi, ludos equestres edebant, militari more, quos à Trojanis in Italiam translatos tàm graphicè descripsit Virg. Æneidos V.

Inter æquales equitet, Gallica nec lupatis
Temperet ora frænis? [6]
Cur timet [7] flavum Tiberim tangere? cur olivum [8]
Sanguine viperino
Cautiùs vitat? neque jàm livida [9] gestat armis
Brachia, sæpè disco,
Sæpè trans finem jaculo nobilis expedito?
Quid latet, ut marinæ
Filium dicunt Thetidis [10] sub lacrimosa Troiæ
Funera [11], ne virilis
Cultus in cædem et Lycias proriperet catervas? [12]

6. *Gallica nec lupatis Temperet ora frænis.* Ora gallicorum equorum, qui, ferociores habiti, difficillimè temperabantur, regebantur, compescebantur. — *Lupatis frænis :* fræna instructa quibusdam asperis, lupinorum dentium instar, aculeis, non nisi equis vividissimis adhibebantur. *Duris parere lupatis*, Virg. Ge. III, 208. *Asper equus duris contunditur ora lupatis*, Ovid. Amor. I, 2, 15.

7. *Cur timet tangere :* hìc novam phrasim incipere docet mod. indicativ. Verbum autem ipsum *tangere* eximiæ est concinnitatis ; non enìm transnare Tiberim, sed vel summam aquam pedum plantis delibare reformidat.

8. *Cur olivum :* qui se luctæ accingebant, olivo ungebantur. Sybaris luctam refugit. — *Sanguine viperino*, qui inter efficacissima venena habebatur.

9. *Neque jàm livida....* ordo est; ille, qui sæpè sæpiùs jaculum aut discum ultrà metam emittendo sese nobilitaverat, non jàm brachia gestat, id est, habet armis liventia; quià scil. id armorum vel instrumentorum genus longo loro circà brachium illigabatur, undè livor.

10. *Filium Thetidis marinæ ;* Achillem, cui mater Thetys una ex Oceani deabus : filium suum antè Trojam periturum cognoverat, eumque fœmineâ veste indutum in aulâ Lycomedis regis insulæ Scyri absconderat, ubi ab Ulysse detectus, ad bellum profectus est. Vide elegantem hujus facti descriptionem in oratione Ulyssis contrà Ajacem Achillea arma contendentis, apud Ovid. Metam. XIII, 162, et multò locupletiorem in Statio, Achill. IV. Nec legere dedigneris octavum Bionis Idyllium, amœnissimâ voluptate conditum, de Achillis et Deidamiæ amoribus.

11. *Sub lacrimosa Troiæ funera :* instante Trojæ ruinâ.

12. *In Lycias proriperet catervas :* quas Sarpedon rex Ly-

ciæ ad Priamum adduxerat. Per *Lycias* autem, omnes Trojanas opes intelligo, ut universi Græci nomine Achæorum et Danaorum apud poetas designantur. —*Proriperet;* hæc vox mirè exprimit innatum Achilli ardorem, qui vix habitus viriles induit, et arma tractavit *: nusquàm mandata parentis, Nusquàm occultus amor, totoque in pectore Troja est.* Stat. loc. cit.

ODE NONA

AD TALIARCHUM.

Juvenem quemdam, Græcum, ut ex nomine ejus apparet, hortatur Horatius ad hiemem hilariter transigendam.

Vides [1], ut altâ stet [2] nive candidum [3]
Soracte [4], nec jàm sustineant onus

1. Tres primæ strophæ ità connectendæ sunt, ut tertiæ sensus per duas præcedentes explanetur. Hanc igitur interpretationem nulli, quod sciam, Horatian. commentator. subodoratam sequutus sum : Regnat hiems, inquit poeta : debacchantes in silvis Aquilones, ornos sub nivium pondere depressas agitant et concutiunt. Deorum est sereniorem jucundioremque tempestatem reducere, non nostrûm : dùm igitur ad eorum nutum ver redierit, intereà, quod per nos licet, hiemis sævitiam, foco admoti, inter mensæ et vini delicias, fallamus! Quod autem amico suo, non sinè Epicureâ quâdam facilitate, suadet Horatius, id de agricolarum moribus narrator amœnissimus attingit Virgilius Georgicon I, 301 : *Frigoribus parto agricolæ plerùmque fruuntur, Mutuaque inter se læti convivia curant; Invitat genialis hiems, curasque resolvit.*

2. *Stet :* energicè et poeticè, pro vulgari, *sit.* Sic de Didone Virg. Æneid. VI, 471 : *Quàm si dura silex, aut stet marpesia cautes.*

3. *Candidum;* aliud est *candidum* esse, id est, quasi nitenti luce perfusum, aliud *album*, quod pallori constat esse vicinum (Servius). Quamvis igitur nix *alba* propriè dicatur, mons compactis nivibus refulgens, solisque radios vividissimè reflectens, *candidus* rectè appellari potuit.

4. *Soracte*, neutrius generis; mons in Faliscis, hodiè, *Mont Saint-Sylvestre.*

Silvæ laborantes [5], geluque
Flumina constiterint [6] acuto.
Dissolve frigus [7], ligna super foco
Largè reponens; atque benigniùs [8]
Deprome quadrimum Sabinâ,
O Thaliarche, merum diotâ.
Permitte Divis cætera : qui simul
Stravere ventos [9] æquore fervido
Deprælìantes, nec cupressi
Nec veteres agitantur orni.
Quid sit futurum [10] cras, fuge quærere; et

5. *Silvæ laborantes;* exquisito loquendi usu, poetis ea *laborare* dicuntur, quæ, sub gravi aliquo onere fatiscentia, illud vix tolerare videntur.

6. *Constiterint :* fluere desiernt, frigoris vi in solidam massam concreta.

7. *Dissolve frigus;* vid. suprà notam ad Od. IV, 1, *Solvitur acris hiems.* — *Largè :* sinè parcimoniâ, copiosè, pro frigoris asperitate.

8. *Atque benigniùs :* gradationem nota; *largè* in positivo; *benigniùs* in comparat. Pellere enim frigus, necessitatis; vino indulgere, voluptatis est. *Benigniorem* igitur se præstat, id est munificentiorem, qui Bacchum in partem lætitiæ abundantèr vocat. — *Quadrimum vinum :* vinum quatuor annorum, jàm veterascens, et ideò delicatius. — *Diotâ;* vas erat vinarium, duabus ansis instructum, et quasi auritum; à vocibus græcis, οὖς, ὠτος, *auris*, et δὶς, *bis.* — *Sabinâ;* non quæ in Sabinâ regione confecta est, sed quæ vinum Sabinum continet. Frustrà objicias, quòd infrà Od. XX, 1, Mæcenatem ad convivium invitans, vinum Sabinum *vile* nominet : vile quidem, si ad dignitatem convivæ respexeris, melioribus vinis assueto; nec enim probabile est Horatium Mæcenati vinum, reverà, contemnendum propinavisse : porrò, optimum est privato adolescenti, quod respuere potuisset Augusti vicarius. Videbimus inf. od. III, 16, 35 *Læstrygonia amphora*, pro amphorâ vinum Læstrygonium, id est Formianum continente. Sic gallicè dicimus : *un tonneau de Bordeaux, une bouteille de Chambertin.*

9. *Stravere ventos :* sedavere, composuere. — *Æquore fervido,* æstuanti. *Fervetque fretis spirantibus æquor.* Virg. Georgic. I, 327.

10. *Quid sit futurum ;* ignoras enim an futurum tempus tibi illucere debeat.

Quem fors dierum cumque dabit[11], lucro
Appone : nec dulces amores
Sperne puer[12], neque tu choreas,
Donec virenti canities abest
Morosa. Nunc et campus et areæ[13],
Lenesque sub noctem susurri
Compositâ repetantur horâ;
Nunc et latentis[14] proditor intimo
Gratus puellæ risus ab angulo,
Pignusque dereptum lacertis[15],
Aut digito malè pertinaci.

11. *Quem fors dierum cumque dabit;* per tmesim : quemcumque dierum.

12. *Puer;* juvenis, adolescens : eodem sensu quo, in versu sequenti, *virenti;* tibi viribus et flore ætatis vigenti.—*Canities morosa :* senectus enim difficilis et querula. Ars Poetic. 173.

13. *Nunc et campus et areæ repetantur :* Campus Martius et aliæ urbis plateæ, in quibus puellæ et juvenes, *horâ compositâ,* id est, antèà constitutâ, præsertim noctu, conveniebant. — *Repetantur;* Taliarchus in villâ degit; suadet ut Romam, repetendis amatoriis lusibus, redeat. — *Lenes susurri;* sermones amantium inter se submissâ voce, ne fortè à vicinis audiantur, garrientium. Ψιθυρίσματα vocat Theocritus.

14. *Nunc et latentis....* ordo est : nunc quoquè repetatur gratus risus, proditor et index puellæ latentis in angulo; id est, in angulum se abdentis, ac delitescere simulantis. Ridet enim puella, ne diù quæratur, et ut seipsam prodat.

15. *Pignusque dereptum lacertis :* sese felices, puellarumque victores amasii arbitrabantur, si illis armilla, aut alia quæcumque ornamenta, è brachiis deripuissent. — *Aut digito malè pertinaci. Malè,* id est, *vix* resistente; repugnat quidem puella, sed annulum ità defendit, ut illum à digito suo detrahi, sinè irâ, patiatur. Annulus autem fidei pignus. Juven. VI, 27 : *digito pignus fortassè dedisti.*

ODE DECIMA

AD MERCURIUM.

Mercurii laudes,

A variis ejus attributis, à facundiâ, à parentibus, à palæstræ et lyræ inventione, à calliditate, ab iis deniquè quibus fungitur muneribus.

Mercuri [1], facunde nepos Atlantis,
Qui feros cultus [2] hominum recentûm
Voce formasti catus, et decoræ
More palæstræ :

1. Mercurius, græcè Ἑρμῆς, Latino nomine mercium et mercatorum curæ præpositus. — *Facunde;* eloquentiæ quoquè præerat. — *Nepos Atlantis :* genitus à Jove et Maiâ, Atlantis filiâ. Fuit autem Atlas rex Mauritaniæ, astrologiæ addictus; quam ob causam cœlum humeris sustinuisse dicitur : mutatus in ingens saxum à Perseo, qui ei Medusæ caput prætenderat. De Mercurii genere vide Virg. Æn. VIII, 135 et sqq.

2. *Qui feros cultus :* lyræ inventor, eloquentiæ magister, gymnasticarum exercitationum parens, rectè Mercurius laudatur ab Hor., quasi genus humanum formavisset et expolivisset. In eo enim consistit maxima hominis perfectio, ut sit *mens sana in corpore sano;* mentem verò informare artium liberalium et eloquentiæ est; corpus fingere, ad labores indurare, præmunire contrà morbos, gymnasticæ. Cui consentaneum est quod asserere Plato non dubitat, musicâ scilicet ac gymnasticâ, si modò rectè exerceantur, totius reipublicæ salutem contineri. — *Hominum recentûm* : primos homines memorat, quibus, antequàm expolirentur, feri cultus, mores immanitate pleni erant. — *Catus,* quasi *cautus :* vox antiqua; providens, astutus, solers. — *More palæstræ :* subaudi inducto. Sic Lucan. IV, 614 : *Olympiacæ servato more palæstræ.*

Te canam, magni Jovis et Deorum
Nuntium, curvæque lyræ parentem [3];
Callidum, quicquid placuit, jocoso
Condere furto.
Te, boves olìm [4] nisì reddidisses
Per dolum amotas, puerum minaci
Voce dùm terret, viduus pharetrâ
Risit Apollo.
Quin et Atridas [5], duce te, superbos,
Ilio dives Priamus relicto,
Thessalosque ignes [6] et iniqua Trojæ
Castra fefellit.
Tu pias lætis animas reponis
Sedibus [7], virgâque levem coerces

3. *Curvæque lyræ parentem :* inventorem lyræ, convexæ augendi soni gratiâ. — *Jocoso furto :* innocenti furto, nullam ob aliam causam tentato, quàm ut risum moveret, et calliditatis suæ faceret experimentum.

4. *Te boves olìm ;* rem duobus exemplis illicò confirmat; vix tribus diebus natus, boves ab Admeto Apollini commissas amoverat Mercurius; Apollo iratus *puero* minatur, nec à risu tamen temperare potest, cùm in ipso momento, se pharetrâ viduum, id est privatum, sentit ab eodem Mercurio, quam ille nihil intelligenti solertissimè detraxerat. vid. Homer. Hymn. in Merc. 19.

5. *Quin et Atridas :* Agamemnonem et Menelaum qui Priamo moram afferre potuissent, regi Trojano ob Paridis ejus filii culpam, vel post mortem Hectoris, infensissimi. v. narrationem Il. ω, 336. — *Dives Priamus :* qui magnam vim auri, ad redimendum Hectoris corpus, curru secum asportaverat.

6. *Thessalos ignes :* excubias quæ antè Achillis tentoria ad ignium nocturnorum lucem agebantur. — *Fefellit :* sic latuit, ut à nemine cognitus, ac ne visus quidem fuerit.

7. *Tu pias lætis animas reponis sedibus :* tu deducis ad beatas sedes piorum animas. Undè à Græcis passìm ψυχαγωγὸς, πομπαῖος, nominabatur. — *Virgâque*, caduceo, qui proprium erat Mercurio sceptrum et insigne. Hìc, eo, tanquàm pastor, pedo utitur, ad coercendum, id est, ad agendum, ad compellendum in unum levium umbrarum gregem. — *Superis deorum gratus et imis ;* cœli enìm diis inservit, dùm eorum jussa, celer

Aureâ turbam, superis deorum
Gratus et imis.

nuntius exequitur; inferorum numinibus famulatur, dùm nos illis subditos quotidiè adducit.

ODE UNDECIMA

AD LEUCONOEN.

A vanis astrologiæ explorationibus deterret Leuconoen, hortaturque ut, perspectâ vitæ brevitate, futurorum omittam curam, voluptatique indulgeat.

Tu ne quæsieris (scire nefas!) [1], quem mihi, quem tibi [2]
Finem Dî dederint, Leuconoe; nec Babylonios
Tentaris numeros. Ut meliùs, quicquid erit, pati! [3]
Seu plures hiemes [4], seu tribuit Jupiter ultimam,
Quæ nunc oppositis debilitat pumicibus mare [5]

1. *Scire nefas!* Scripsi has duas voces intrà parenthesim, quanquàm Lambinus et alii interpretes eas separaverint.

2. *Quem mihi, quem tibi;* innuit Horat. quàm dulci affectu ergà se Leuconoe devinciatur, cùm amatoriè tantùm, fœmina quælibet de viri sorte non minùs quàm de suâ sollicita esse possit. — *Finem :* vitæ terminum. — *Babylonios numeros :* sortes mathematicas, Chaldaïcas computationes, quæ numerorum arithmeticorum cum siderum aspectu collatione locum habebant; Babylonios autem vocat, quòd astrologia, è Chaldæâ, cujus Babylon urbs primaria erat, Romam advecta fuerat. Hinc qui fallacissimam illam artem profitebantur, Chaldæi erant appellati. *Chaldæis sed major erit fiducia.* Juven. VI, 552.

3. *Ut melius, quidquid erit, pati! Ut*, quantò meliùs, ως, ὅσον βέλτιον φέρειν.

4. *Hiemes*, annos. — *Quæ nunc debilitat :* quæ desæviendo et tempestates concitando facit, ut Tyrrheni fluctus (poeticè, pro aliis omnibus fluctibus), ad exesos scopulos multâ cum vi allidantur et frangantur. Pumex autem est propriè lapis foraminibus pertusus, aridus, levis et siccus. *La pierre ponce.* Hic usurpatur pro cautibus littori objectis.

Tyrrhenum, sapias [5] : vina liques, et spatio brevi
Spem longam reseces [6]. Dùm loquimur, fugerit invida
Ætas [7]. Carpe diem [8], quàm minimùm credula postero.

5. *Sapias;* evidenter ad phrasim præcedentem referri debet. *Seu.... seu.... sapias;* redi ad sapientiam, abjice insanam curiositatem, et, quod multò prudentius et utilius, — *vina liques :* vinum liquare, est vinum per tenue linum ità in vas subjectum transfundere, ut fæx et pars crassior lino adhærcat, pars purior et delicatior sola fluat. Breviorem perfectioremque vini defæcandi artem hodiè cognoscimus.

6. *Et spatio brevi spem longam reseces :* noli sperare quæ ob vitæ brevitatem assequi nequis. Frequenter enim homines ultrà communioris vitæ terminum spes suas extendunt; jàm ætate provecti arbores serunt, non paternà ergà nepotes providentiâ, sed ex iis umbram et fructus sibi pollicentes, quibus nunquàm fruituri sunt; vina trigesimo post anno tantùm potabilia in cellis coacervant, viginti annos ad summum victuri, et sic de cæteris. Tàm longæ spes igitur resecandæ sunt, ad rationis normam; multum de illis detrahendum; mensura autem detractionis, solitum vitæ humanæ spatium. Vid. not. suprà, od. IV, in hunc versum : *Vitæ summa brevis Spem nos vetat inchoare longam.*

7. *Dùm loquimur, fugerit invida ætas. Fugerit*, multò meliùs quàm si dixisset, *fugit.* Jàm elapsa, jàm longè à nobis est. *Le moment où je parle est déjà loin de moi.* Boil. — *Invida :* quæ nobis vitæ usuram invidere et quasi furari videtur.

8. *Carpe diem;* exquisitissimum illud, *carpe;* floribus aut fructui diem comparat, quos, nisi ipso maturitatis puncto decerpseris, mox in nihilum, quoad utilitatem vel amœnitatem, rediguntur. Fruere igitur die præsenti; illum vel voluptati vel lucro appone. — *Quàm minimùm credula postero*, sub. *diei.* Parùm fiduciæ locans in *postero*, crastino, qui tibi utrùm concessus fuerit, ignoras.

ODE DUODECIMA

AD AUGUSTUM.

Ode sequens, splendidissimis Horatii carminibus annumeranda, scripta videtur aliquantò post Actiacam pugnam, quo tempore senatus jusserat ut hymni Augusto perindè ac diis immortalibus scriberentur. Solenni igitur cantu laudes principis aggreditur vates, non tamen statìm et ab exordio, sed ità ut postquàm deos, heroas, magnosque Romæ viros enumeraverit, brevi unumquemque præconio decoratos, isti splendidæ seriei ad extremum annectat Augustum et societ, neque solùm sìc illis parem, sed uno Jove inferiorem celebret. Hanc igitur oden, tantâ imaginum dignitate, tanto poeseos ornatu, tàm magna et sublimia spirantem, verum hymnum esse et unum ex iis quos senatoria adulatio præscripserat, non absurdè quis præsumpserit.

Quem virum aut heroa [1] lyrâ vel acri
Tibiâ sumis celebrare, Clio?
Quem Deum? cujus recinet jocosa
Vocis imago [2],

1. *Quem virum aut heroa?* Viri, qui cæteros cives virtute ac meritis antecellunt; heroes, semidei, qui in cœlo sedem meruerunt obtinere. Illorum numero, Regulus, Paulus Æmilius, Fabricius, etc.; horum, Alcides, Dioscuri, Romulus, quorum laudes mox audias. — *Lyrâ vel tibiâ:* utràque lyricis versibus aptâ; — *acri*, fortiter resonante, ut in gravissimo argumento decet.—*Clio;* non sinè delectu Clio nominatur; historiæ Musam invocare debet qui viros et heroas posteritati in annalibus historicis commendatos jamjàm percurret.

2. *Cujus recinet jocosa Vocis imago:* Echo, vocem et sonum quemlibet, quasì *jocando*, reddit, repræsentat, et cùm poetam audit canentem, verè et propriè recinit; est igitur ut speculum

Aut in umbrosis Heliconis [3] oris,
Aut super Pindo, gelidove in Hæmo,
Undè [4] vocalem temerè insecutæ
Orphea silvæ,
Arte maternâ [5] rapidos morantem
Fluminum lapsus, celeresque ventos,
Blandum et auritas fidibus canoris
Ducere quercus.

rei objectæ, ità vocis et soni *imago. Vocisque offensa resultat imago.* Virg. Georg. IV, 50.

3. *Heliconis;* Helicon, mons Bœotiæ, non procul à Parnasso, Apollini et Musis sacer. — *Pindo :* mons Thessaliæ, Musis quoque dicatus. — *Hæmo;* mons qui Thraciam à Mœsiâ dividit, nunc à Lyrico vate celebratus, Orphei commemoratione et cantibus, post mortem Eurydices, insignis, *gelidus*, non propter nives et pruinas : quid enim inspirando poetæ minùs aptum! sed propter densa arborum tegmina : *O quis me gelidis in vallibus Hæmi Sistat et ingenti ramorum protegat umbrâ?* Virg. Georg. II, 488.

4. *Undè ;* transitio quâ explicat cur Hæmum montibus sacris miscuerit. — *Vocalem*, vocem lyræ sonis maritabat; lyra autem et ipsa *vocalis*; teste Tibullo, *nunc te vocales impellere pollice chordas*, II, 5, 3. — *Temerè ;* sinè ordine, quasi impetu quodam rapido, non spontaneo abreptæ.

5. *Arte maternâ;* Orpheus Calliopes, unius ex Musis, filius erat, à quâ musicam edoctus fuerat. Calliope autem sic nominata à græco, Καλλιόπη, quod nomen à καλὸς, et ὄψ, ὀπὸς, ἡ, pulchram vocem habens. — *Rapidos morantem fluminum lapsus;* nihil grandius ad exprimendam poeseos cum musicâ conjunctæ vim et potentiam, quàm illa quæ perstringit prodigia. Flumina et venti consistunt ut Orphea canentem audiant; quidni? cùm majora in Inferis miracula edidisset. vid. Georg. IV, in fin. Fidem inauditis hactenùs monstris addidit temporibus nostris Gluckius, dùm insuetâ vocis et instrumentorum dulcedine, non solùm in Theatro Orphea exhibuit, Furias Larvasque domantem, sed extrà scenam, quoque invidiæ silentium imponentem. — *Rapidos lapsus ; labi* non per se, ut ait Mitscherlich, sed per adjunctum epithet., citatum cursum innuit. v. suprà, II, 14, 2. — *Blandum ducere :* ità blandè fides canoras agitantem, ut duceret. Sic Od. X, suprà : *callidum condere.* — *Auritas :* audactèr et lyricè, pro, auscultantes, cantùs suavitate delinitas.

Quid prius dicam [6] solitis Parentis
Laudibus, qui res hominum ac deorum,
Qui mare ac terras, variisque mundum
Temperat horis?
Undè [7], nil majus generatur ipso,
Nec viget quidquam simile aut secundum :
Proximos illi tamen occupavit [8]
Pallas honores.
Præliis audax [9], neque te silebo,

6. *Quid prius dicam :* à quo justiùs, digniùs, decentiùs carmina exordium ducant, quàm à *solitis* Jovis *laudibus?* Erat autem usitatum in solennibus, Jovis nomen, ut optimi, maximi, ut cæterorum deorum regis, et totius naturæ *parentis*, antè omnia laudibus efferre. *Ab Jove principium, Musæ ; Jovis omnia plena.* Virg. Ecl. III, 60. —*Variisque mundum temperat horis.* Cùm *mare* et *terras* priùs nominaverit, per *mundum*, intellige solem, lunam et alios systematis nostri planetas, quorum cursus et aspectus cum *variis* anni *horis*, id est alternis tempestatibus variantur. — *Temperat :* regit, moderatur.

7. *Undè ;* quarè, id est, cùm supremum in omnia jus et imperium exerceat. — *Nil majus generatur ipso. Generatur,* γίγνεται, pro, est, existit. — *Simile aut secundum :* Horatium sibi tantillùm contradicere, cùm mox precari debeat, v. 52, ut *secundo* Cæsare Jupiter regnet, non negaverim; contradictionem nimis evidentem frustrà tollere conatur Dacierius, dùm asserit hìc de Jovis naturâ, inferiùs de auctoritate agi; potestas enim eminentissimum est divinitatis attributum, et cum ejus naturâ conjunctum. Nonne satius est levissimum maximi poetæ errorem confiteri, quàm contrà verum et evidentiam obniti?

8. *Proximos illi tamen occupavit :* proxima tamen, non secunda Jovi qui solus regnat, proxima, sed longo intervallo, Pallas est, quià Jovis filia sinè matre, sapientiam patris sui repræsentat. — *Occupavit :* Heinsius *occupabit* restituere voluit, subaudiens, in nostro carmine. Retinenda communis lectio, *occupavit;* ab ortu suo, primas Minerva obtinuit.

9. *Præliis audax Liber; Liber,* Bacchus, sic dictus, quòd animum curis liberet. *Præliis audax*, quòd præcipuas partes egerit in prælio adversùs Gigantas. vid. Od. II, 19, 21. Celebratur quoque ejus expeditio in Indiâ, undè Gangis victor passim appellatur. — *Virgo*, Diana venatrix.

Liber, et sævis inimica Virgo
Belluis : nec te, metuende certâ,
Phœbe, sagittâ.
Dicam et Alciden[10], puerosque Ledæ,
Hunc equis, illum superare pugnis
Nobilem : quorum simul alba nautis
Stella refulsit,
Defluit saxis[11] agitatus humor;
Concidunt venti, fugiuntque nubes;
Et minax, nàm sic voluere, ponto
Unda recumbit.
Romulum post hos priùs, an quietum
Pompilî regnum memorem, an superbos
Tarquinî fasces[12], dubito, an Catonis
Nobile lethum[13].

10. *Alciden*, Herculem, Alcæi, à matre suâ Alcmene, nepotem. — *Puerosque Ledæ :* Castorem et Pollucem, Dioscuros, filios Jovis et Ledæ, de quibus sat fusè in not. suprà III, 2. — *Hunc equis, illum* — Castor equorum domitor, Pollux cæstuum certamine illustris. — *Stella*, pro, stellæ, constellatio; stellæ enim geminæ serenitatem, unica tempestatem denuntiat. *Gnossiaque ardentis decedat stella Coronæ.* Virg. Georg. I, 222.

11. *Defluit saxis :* per enumerationem partium graphicè serenitatis reditum exornat. *Defluit saxis :* delabitur unda quæ, per vim procellæ, scopulos vulgò, præ celsitudine, apertos et siccos, operuerat. *Pontus — scopulosque superjacit undam Spumeus.* Virg. Æneid. XI, 625.— *Ponto unda recumbit; ponto*, in dativo casu; mare sternitur, explanatur. —*Nàm sic voluere;* aliàs, *Dî sic, quod sic, quòd sic, quà sic;* parvi momenti variant : Mitscherlich et Dæring secutus sum. Magnificum est illud, *nàm sic voluere*, solo eorum nutu hæc omnia fiunt.

12. *Superbos Tarquinî fasces :* Tarquinium, non quidem Superbum et ultimum Romanorum regem memorat, sed Priscum, qui fasces, regni insignia, ab Etruriâ petivit. *Superbos* autem dicit, quòd non solùm ad regium apparatum, sed ad severam quoquè et cruentam legum ultionem inserviebant. Quis non intelligit quàm indecorè Tarquinium, crudelem tyrannum, inter summos Romæ viros Horat. collocavisset, quorum seriem Augustus terminabit?

13. *Catonis nobile lethum;*

Regulum[14], et Scauros, animæque magnæ
Prodigum Paulum[15], superante Pœno,
Gratus insigni referam Camœnâ,
Fabriciumque[16].
Hunc[17], et incomptis Curium capillis,
Utilem bello tulit, et Camillum,
Sæva paupertas, et avitus apto
Cum lare fundus.

laudat, nec imprudentèr, Catonem Uticensem, etsi Cæsari adversum, et lethum quod sibi ipse paravit, ne vultum tyranni aspiceret, ut ait Cic. Off. I, 31. Augustus enim ultimos libertatis Romanæ propugnatores magni facere se jactitabat, seque amicum pristini reipublicæ statûs profitebatur.

14. *Regulum;* de celeberrimo illo duce ampliùs ad Od. III, 5 dicendum erit, quam vide. — *Scauros;* Scaurorum gens multos dedit Rom. reipubl. magnos ac nobiles viros, in quibus eminent M. Æmilius Scaurus, princeps senatûs, ejusque filius M. Scaurus, ædilitatis magnificentiâ clarus; uterque consilio, gravitate, constantiâ clarissimus; quos amplissimis laudibus extollit Cic. passim in Orat. pro Fonteio, et honorificè quoque memorat, pro Murenâ, VIII.

15. *Paulum;* Paulum Æmilium, qui, post Cannensem cladem, culpâ collegæ suæ Terent. Varronis, acceptam, sese ultrò perimendum hostibus præbuit, undè meritò vitæ et *magnæ animæ prodigus*, dicitur. — *Gratus:* publicæ gratitudinis interpres. — *Insigni Camœnâ:* non carmine quod sit ipsum insigne, sed quod laudatos viros insigniat, eorumque famam augeat.

16. *Fabriciumque;* idem de quo Virgilius Æneid. VI, 845, *parvoque potentem Fabricium.* Consul Romanus frugalitate et integritate notissimus. Contrà Pyrrhum Epirotarum regem et contrà Samnites gravissima bella gessit hostium armis et muneribus semper invictus. Vide sublimem Fabricii epistolam ad Pyrrhum in Plut. vita Pyrrhi.

17. *Hunc*, Fabricium. — *Et incomptis Curium capillis;* M. Curius Dentatus, Fabricio coætaneus, quamvis Romani cœpissent tonsorum ministerio uti, (Plin. VII, 59,) retinuit tamen antiquæ severitatis morem; Samnitum munera dedignatus est, et Pyrrhum acie victum ex Italiâ expulit. — *Camillum:* ille Romanam rem contrà victores Gallos sustinuit: dictator factus, Veios cepit, Româ Gallos ejecit, et eosdem posteà penitùs delevit. — *Sæva paupertas:* aspera, quâ corpus induratur, roboraturque animus. — *Et avitus apto Cum lare fundus.* Agellus à majori-

Crescit, occulto[18] velut arbor ævo, 45
Fama Marcelli. Micat inter omnes
Julium sidus, velut inter ignes
Luna minores.

bus traditus, cum exiguâ domo, quæ angustioribus patrimonii terminis conveniret.

18. *Crescit occulto;* maxima in hanc strophen inter innumeros Horat. interpretes controversia quem Marcellum memoret. An veterem illum qui, quinquiès consul, Gallos superavit, cepit Syracusas, et Annibalis ad Nolam victor, tandem Pœnorum insidiis circumventus et oppressus est? An egregium illum juvenem superioris Marcelli abnepotem, Octaviæ, Augusti sororis, filium, imperatoris generum et ab eo adoptatum, cujus præmatura mors, Romanis et Augusto luctuosa, Virgilii versibus celebrata, Æn. VI, 860? Porrò, *Julium sidus,* quid? Marcellus adolescens ille, per nuptias et adoptionem, in gentem Juliam insitus? Nonne potiùs Cæsar ipse, inter astra, secundùm vulgarem opinionem adulatione confirmatam, post necem relatus? In illâ sententiarum diversitate, ad metam propiùs Sanadonem accessisse arbitror, cujus opinioni, maximâ saltem ex parte, assentio.

Tàm longam magnorum Romæ virorum seriem ideò tantùm percurrit Horatius, ut ab iis ad Augusti laudes naturali quodam tenore delaberetur. Undè transitione illi opus fuit, quâ magnifica illa ennmeratio, à primis Romæ temporibus ad suam ætatem continuata, per Augustum facilè terminaretur. Jàm verò quis, inter veteres Romanos, ad finem illum obtinendum aptior, quàm magnus ille Marcellus à quo Augusti gener ducebat originem? Vix priscum Marcellum nominavit, ecce redit in mentem adolescens egregius, ejusdem nominis, Cæsareæ domûs nunc decus, imperatoriæ potestatis hæres designatus, novi rerum statûs per Augustum iutroducti tutamen, patriæ spes et amor. Quæ postquàm levissimè, ut decebat, attigit, (nàm de cujuslibet imperii hærede sobriè dicendum) jàm in Julii Cæsaris ipsius, in Augusti laudes effunditur; hæc omnia adducit et connectit solum Marcelli nomen. Adde quòd istud artificium evidentissimè æmulatus est Virg. in fine lib. VI Æneid. Clandit et ipse insignium Romanorum enumerationem per prioris Marcelli encomium, cui continuò subjicit illustrissimam alterius Marcelli funeream laudationem, cui finem simul et cumulum imponit per hæc verba : *Tu Marcellus eris,* id est, tu ad M. Marcelli secundo punico clari nomen ac gloriam es perventurus. Nec mirum quòd plura Virg. de mortuo, quàm Horat. de eodem vivente disseruerit.

Sic igitùr universum hunc locum interpretare : Fama veteris

Gentis humanæ pater atque custos,
Orte Saturno, tibi cura[19] magni
Cæsaris fatis data; tu secundo
Cæsare regnes.
Ille, seu Parthos Latio imminentes[20]
Egerit justo domitos triumpho,
Sive subjectos Orientis oræ
Seras et Indos,
Te minor[21] latum reget æquus orbem :
Tu gravi curru quaties Olympum;
Tu parùm castis inimica mittes
Fulmina lucis.

Marcelli, similis arbori quæ *occulto ævo*, id est, occultè cum ævo crescit, augetur nunc et amplificatur per juvenem nominis ejus hæredem, qui tanquàm novus ex antiquâ stirpe surculus efflorescens, novum ei honorem conciliat. Hæc de utroque Marcello sufficiant.

Nunc ad Cæsarem transit, cujus *sidus*, *inter omnes ignes*, præ cæteris sideribus fulget, ut *Luna*, cujus ad lucem aliæ stellæ *minores* fiunt, minori splendore coruscant. Quis reverâ crediderit, in illâ tot virorum à se laudatorum congerie, poetam Julii Cæsaris obliturum esse? At, Hercules, malè Augusto Noster palpatus fuisset.

19. *Cura*, tutela. — *Fatis :* fata enim, secundùm Stoicorum opinionem, ipsi Jovi superiora. — *Tu secundo Cæsare regnes :* ità regnes, ut Augustus post te sit secundus, tui vices in terris gerat. v. not. in vs. 14 hujusce odes.

20. *Latio imminentes : Latium* ponit pro, *imperii Romani fines*. In corpore enim rectè constituto, dolor vel extremarum partium ad caput ipsum pertinet. — *Seras :* Seres regionem hodiè dictam Tartariam Sinensem habitabant. vid. Danville.— *Indos :* regionis ultrà vel citrà Gangem sitæ accolæ.

21. *Te minor*, ut suprà, *tu secundo Cæsare regnes.*—*Latum ;* in nonnullis mss. legitur, *lætum*. — *Tu gravi curru* : tonitru, Jovis est currus. vid. infrà 34, 8. *Gravi*, graviter per tonitrua minante, tremendo. — *Parùm castis :* per flagitia et adulteria aut alia stupra pollutis, quæ non patiuntur *Jovem iracunda ponere fulmina*. v. suprà III, 40.

ODE TERTIA DECIMA

AD LYDIAM.

Telephum, juvenem protervum, vino ultrà quàm licet deditum, sibi à Lydiâ anteponi dolet et indignatur.

Cum tu, Lydia [1], Telephi
Cervicem roseam, cerea Telephi
Laudas brachia, væ! meum
Fervens difficili bile tumet jecur.
Tunc nec mens mihi, nec color [2]

1. *Lydiâ*, de quâ priùs Od. VIII. — *Cervicem roseam :* collum roseo colore imbutum, quod in utroque sexu, pulchritudinis signum. *Roseâ cervice refulsit*, Virg. Æneid. I, 402; et infrà, Od. IV, 10, 4, *Nunc et qui color est puniceæ flore prior rosæ.* — *Cerea brachia :* candida, nàm de colore tantùm illa vox, *cerea*, intelligenda est; aliter, poeta non satìs sibi constaret. Candidam autem ceram veteribus cognitam atque in usu fuisse constat ex illis Theocr. VIII, 19 : λευκὸν κηρὸν, et ex Ovid. Art. am. III, 199 : *Scitis et inductâ candorem quærere cerâ.* Nota repetitionem nominis *Telephi, Telephi*, quâ indignationem testatur, quòd illud semper in ore Lydiæ sit. — *Væ!* interjectio dolentis. — *Jecur;* sedes et receptaculum bilis, quâ incalescente, in iram prorumpimus. — *Difficili bile*, ut in Hom. Iliad. σ, 119, ἀργαλέῳ χόλῳ; quæ difficilem, morosum, furentem etiam facit. — *Fervens tumet :* rectè connectuntur duo verba; humor enim quilibet fervens, agitatus, calore dilatatus plùs loci occupat, undè vas in quo continetur, *tumet* aut exundat.

2. *Tunc nec mens mihi, nec color;* admiranda vividissimi affectùs descriptio. Confer in Senecâ tragico furorem et zelotypiæ Medeæ signa, 858; in eodem, Herculis OEt. 250. cf. et divinam Sapphûs oden in Latinum sermonem à Catullo, in Gallicum à Bolæo versam, et tandem aureum illum Phædræ Racinii nos-

Certâ sede manet : humor et in genas [3]
Furtim labitur, arguens
Quàm lentis penitùs macerer ignibus.
Uror [4], seu tibi candidos
Turpârunt humeros immodicæ mero
Rixæ; sive puer furens
Impressit memorem dente labris notam.
Non, si me satìs audias [5],
Speres perpetuum, dulcia barbarè
Lædentem oscula, quæ Venus
Quintâ parte sui nectaris imbuit.

tri locum a. I, sc. III, *Je le vis, je rougis, je pâlis à sa vue*, etc.

3. *Humor et in genas;* alii de lacrymis, alii de sudore, interpretantur; lacrymæ enìm et sudor violenti amoris æquè indicium. — *Furtìm*, invito me. — *Lentis;* vox cum illâ, *macerer*, aptissimè congruens; quàm lentè, et quasì gradatìm amore consumar. Ad hæc refer hæc de Didone, Æneid. IV, 66 : *Est mollis flamma medullas*, et in Æneid. VI, 442, *Hìc, quos durus amor crudeli tabe peredit*, et passìm in poetis.

4. *Uror*, indignor, excrucior. — *Seu tibi candidos;* notat inurbanos et planè rusticos rivalis sui amores. Postquàm mero Telephus incaluit, cum amicâ non lepidè et amabiliter jocatur; non illi innocuas, et inter amantes usitatas rixas movet; sed ultrà modum erumpens in insolitas objurgationes, non ictibus quidem, sed inhumanis blanditiis candidos Lydiæ humeros ità attrectat, ut liveant; qui sensus per sequentes versus luce clarior apparet. — *Puer*, juvenis. — *Furens*, non magno aliquo amore, sed verâ rabie incensus. — *Dente*, quod ferarum, et paucarum quidem est. — *Memorem notam;* maculam quæ memoriam osculi servat; Telephi ferocitatem anget. infrà Od. lib. IV, 14, v. 4, *per titulos memoresque fastos*.

5. *Si me audias :* si mihi credis. — *Speres perpetuum;* subaudi, *in amore;* te semper et constanter amaturum. — *Dulcia barbarè;* pulcherrima antithesis, et apta verborum oppositorum juxtà-positio. — *Lædentem oscula;* poetica et suavissima ellipsis pro, lædentem os et labra ex quibus tàm blanda fluunt oscula. — *Quæ Venus quintâ parte :* locus subobscurus, nec sinè difficultate. Per *quintam partem*, Mitscherlich et Dæring intelligunt, bonam, magnam partem, quod evidenter verborum significationi repugnat; quinta enìm pars, si ad totum respicias, exi-

Felices ter et ampliùs [6],
Quos irrupta tenet copula, nec malis
Divulsus querimoniis
Supremâ citiùs solvet amor die.

gua est. Alii succum nectaris subtilissimum, quintam, ut gallicè dicimus, essentiam (*la quintessence*), interpretantur; vix feliciùs; prorsùs enim veteribus ignota ars liquores igne quinquiès successivè admoto, ad exprimendos ex illis vehementissimos et delicatissimos succos, fermentandi. Multò absurdiùs qui quintam nectaris Venerei partem, de concubitu intelligunt. Quinque enim, inquiunt, amoris partes : aspectus, colloquium, tactus, osculum, concubitus. Quid verò osculis concubitu repletis magis ridiculum? In sententiam doctiss. et elegantiss. Horatii interpretis descendere malim, De Wailly nuper litteris et juventutis educationi acerbâ morte prærepti, qui nihil aliud hìc vidit, quàm allusionem ad veterem loquendi modum, à quibusdam poetis Græcis sæpè usurpatum. Testibus enim Ibico et Pindaro, decima erat in melle ambrosiæ pars; unde oscula melle imbuta, quâlibet idcircò vel ambrosiæ, vel nectaris parte imbui quoque dicebantur. Catull. XCIX, 2 : *Suaviolum dulci dulciùs ambrosiâ.* Cùm quintam decimæ nectaris partem hìc noster subjecerit, Lydiæ oscula, cæterarum osculis bis suaviora esse innuit.

6. *Felices ter et ampliùs :* sortis suæ felicitatem secum indirectè reputat, si Lydiam in amore constantem expertus fuisset; Lydiam simul periculi imminentis admonet, quæ juvenem violentum à cujus amore mox, etiàm invita, distrahetur, cùm fieri nequeat ut *irruptâ copulâ*, indissolubili vinculo, *malas* quotidiè agenti *querimonias* longùm ipsa adhæreat. — *Nec malis;* verba sic expedienda : et quos amor, malis querimoniis divulsus, nunquàm *solvet*, disjunget, separabit *supremâ citiùs die*, antè diem supremum.

ODE QUARTA DECIMA

AD REMPUBLICAM.

Navis nomine Rempublicam significari, odenque totam esse meram allegoriam constat ex Quinctiliani auctoritate (institut. Or. VII, 6) apud quem legere est: « At allegoria.... totus ille Horatii locus, quo navim pro republicâ, fluctuum tempestates pro bellis civilibus, portum pro pace atque concordiâ dicit. » Quinctiliano contradicere ausi sunt recentiores Horatii interpr., Muretus, Lefebvre, Dacier, et Bentlei, carmen hoc purè et simpliciter interpretando de navi quâ Horat. à Philippis in Italiam revectus fuerat, quæque amicos suos ad Sext. Pompeium bellum civile reparantem iterùm revehebat. Qui multò potiorem Quinctiliani sententiam sequuntur, de speciali carminis objecto non consentiunt. Si nonnullis fides, de ortis inter Antonium et Octavianum dissentionibus hìc agitur, quibus res Romana penitùs labefactari et pessumdari poterat. Ut alii opinantur, inter quos præcipuus Sanado, quo tempore de principatu deponendo deliberabat Augustus, Horat. veris Augusti consiliis et sensibus adulatus, eum per translucidam allegoriam dehortatur ne imperii statum in nova bellorum pericula abdicatione sua mittat. Plurimi ad Brutum, post prius Philippense prælium, ad arma rursùs currentem alludere Horat. credunt. Nec defuit unus, Jos. Duhamel, qui putet Horatium patrem hâc allegoriâ filium suum ad deserendas Bruti patres invitare. Quidquid sit, allegoricum esse poema hodiè non dubitatur, et eo sensu illud interpretabimur.

O Navis [1]! referent in mare te novi
Fluctus! O! quid agis? fortiter occupa

1. *O Navis!* Respublica. — *Referent in mare:* rursùs mare procellosum lacessitura es. — *O! quid agis?* Repetitur cum vi et

Portum. Nonne vides, ut
Nudum remigio latus [2],
Et malus celeri saucius Africo
Antennæque gemant? ac sinè funibus
Vix durare carinæ
Possint imperiosius
Æquor? Non tibi sunt integra lintea [3],
Non Dî, quos iterùm pressa voces malo :
Quamvis Pontica pinus [4],
Silvæ filia nobilis,
Jactes et genus et nomen inutile.
Nil pictis timidus navita puppibus

consilio exclamatio. — *Fortiter occupa portum :* summâ virium contentione annitere ut *portum*, id est pacem et concordiam retineas.

2. *Nudum remigio latus ;* allegoriam servat, et per enumerationem rerum quæ ad navim instruendam necessariæ illi per tempestates detractæ sunt, rempublicam designat bellis civilibus exhaustam et suis orbatam præsidiis. — *Malus celeri saucius Africo :* ventorum vi concussus et mutilus. — *Antennæque gemant : nonne vides ut gemant ?* Non videntur gemitus, inquit Sanado ; undè interpunctionem mutare maluit, qui severiorem se in eâ re et poetico sermoni non satis indulgentem præstitit. — *Sinè funibus :* vel sinè funibus cujuscumque generis, vel potiùs, sinè illo præcipuo fune qui anchoram alligat, ut ex sqq. fas est concludere. — *Vix durare :* vix perferre, tolerare, eodem sensu quo Virg. Æneid. VIII, 577, *patiar quemvis durare laborem.* — *Imperiosius*, cujus imperio, aut potiùs tyrannidi navis lacera impar est.

3. *Integra lintea*, vela. — *Non Dî ;* ut enim sui cuique navi dii tutelares, sic quoquè suos agnoscit respublica, Jovem, Martem, Romulum, Vestam, etc. Porrò dii illi tutelam civitatis respuent, quæ tot ac tantis infortuniis frustrà admonita, in novos bellorum civilium furores eruptura sit.

4. *Quamvis Pontica pinus ;* continuatur allegoria. Naves è ligno, quod in piniferâ Ponti regione natum erat, confectæ in optimis nobilissimisque habebantur. Quid autem Româ nobilius, quæ à Marte, et per Martem à Jove originem ducit ? — *Silvæ filia nobilis ; nobilis* in genitivo casu. — *Nil pictis timidus navita puppibus Fidit.* «*Navis bona dicitur non quæ pretiosis coloribus picta est, nec cujus tutela ebore cælata, sed stabilis et fir-*

Fidit. Tu, nisì ventis
Debes ludibrium [5], cave!
Nuper sollicitum quæ mihi tædium [6],
Nunc desiderium, curaque non levis,
Interfusa nitentes [7]
Vites æquora Cycladas.

ina. » Senec. Epistol. LXXVI, et Voltar. in 1° poetic. serm. de æqualitate conditionum, in variant. : *Qu'importe, quand l'orage a soulevé les flots, Que ta poupe soit peinte, et que ton mât déploie Une voile de pourpre et des câbles de soie?*

5. *Nisi ventis debes ludibrium :* nisì tibi fatale sit à ventis dilacerari, à bellis civilibus funditùs subrui. — *Cave :* quod prudenter, quod humanè potest fieri ut tnæ te sorti subducas, saltem operare.

6. *Nuper sollicitum quæ mihi tædium;* tædebat Horatium, dùm Bruti partes secutus, militiæ ad quam natus non erat, labores et pericula toleraret; nunc verò, cùm Respublica sub Augusti imperio vires ac sanguinem reficere videatur, pro continuandâ hujus rerum statûs felicitate vota nuncupat, curasque gravissimas suscipit; *desiderium* enìm, non solùm de rerum amissarum dolore, sed de vividissimo quoquè affectu quo rem aliquam amplectimur. Eo sensu Catullus Lesbiam *desiderium suum* vocat, et in Cicerone legimus : *voluntas est quæ quid cum ratione desiderat.*

7. *Interfusa nitentes*, vites *æquora fusa inter Cycladas nitentes.* Vites quæ tibi imminent pericula. Porrò Cycladæ sunt insulæ in Ionio mari, sìc appellatæ, quòd in circuli formam dispositæ sunt. Resumit allegoriam; per mare illud naufragum et æstuosum, civilium discussionum fluctus significat. Nitentes autem insulas dicit niveo marmore nobiles : sic Stat. Theb. V, 182, *Et Paros, et nemorosa Thasos, crebræque relucent Cyclades.*

ODE QUINTA DECIMA

NEREI DE TROJÆ RUINA VATICINIUM.

Plures exstitere Horatii interpretes qui in hoc quoque carmine, ut in præcedenti, allegoriam reperísse sibi viderentur, quique sub personâ Paridis M. Antonium, sub Helenæ nomine Cleopatram intelligerent. Quam opinionem speciosis potiùs quàm solidis argumentis defensam, fusè Sanado explicuit. Hanc interpretationem ut nimìs duram, nec sat gravi innixam auctoritate, Mitscherlich et ferè omnium comment. exemplo respuimus. Satìs sit obvio sensu hanc admirandam oden legere, ut insigne lyricæ poeseos specimen, in quo totas vires poeta voluit experiri, et æmulari, ne dicam superare Bacchylidem inter lyricos Græcos celeberrimum, qui, ut Horat. hìc Nereum, ità Cassandram belli Trojani eventus vaticinantem introduxit.

Pastor [1] cùm traheret per freta navibus

1. *Pastor perfidus*, Paris, Priami Trojanorum regis et Hecubæ filius : appellatur hìc pastor, quià Priamus, cùm è somnio uxoris, quæ facem ardentem parere sibi visa fuerat, atque ex hariolorum responsis cognovisset, Paridem Trojani excidii causam fore, jusserat eum, ubì primùm in lucem editus foret, exponi feris in silvâ : sed eumdem mater clàm inter pastores in Idâ monte curavit educandum. Ibì ortâ inter deas, Junonem, Venerem et Palladem rixâ et contentione de formæ præstantiâ, judex adhibitus, causam Veneri adjudicavit. Aliquot post annis agnitus et receptus à patre, in Græciam navigavit, Helenæ, uxoris Menelai, amore captus; quam cùm abduxisset in Phrygiam, Græcorum proceres Aulidem, quæ civitas est Bœotiæ maritima, convenerunt, ibìque de Trojâ evertendâ, nisì Helena redderetur, conjurârunt. Paris deniquè Achillem per dolum interfecit (lib. IV, od. 6), et à Pyrrho, Achillis filio, est occisus. Post ejus obitum, Helena Deiphobo uni è Priami filiis nup-

Idæis Helenen perfidus hospitam,
Ingrato [2] celeres obruit otio
Ventos, ut caneret fera
Nereus fata : « Malâ ducis avi [3] domum
» Quam multo repetet Græcia milite,
» Conjurata tuas rumpere nuptias
» Et regnum Priami vetus.
» Eheu! [4] quantus equis, quantus adest viris
» Sudor! quanta moves funera Dardanæ
» Genti! Jàm galeam Pallas et ægida
» Currusque et rabiem parat.

sit, eoque in promiscuâ Trojanorum strage interfecto, demùm à Menelao recepta est. Juvenc. — *Traheret*, vim raptoris energicè indicat : Helena enìm, quamvìs Paridem spontè secuta, tamen Menelao marito violenter abrepta fuerat. — *Idæis :* navibus fabricatis ex arboribus quas produxerat mons Ida, Trojæ vicinus.— *Perfidus hospitam :* nota exquisitam epithetorum contignitatem; quæ duo unâ voce comprehendit Euripides, dùm Paridem ξεναπάτην vocat, Troad. 866. — *Hospitam :* cujus hospes erat non minùs quàm Menelai.

2. *Ingrato :* molesto ventis qui strepere quàm silere malunt; undè dicuntur *obrui otio*, id est, gravari, deprimi. Nereus ergò, non propriâ in ventos auctoritate, sed solâ majestate orationis, ventis, totique adeò naturæ silentium imponit. Nereus autem, Oceani et Thetydis filius, sponsus Doridis, Nereidum pater, vaticinandi facultate, ut Proteus et alii dii marini, præditus. — *Fera freta :* sæva, terribilem exitum habitura.

3. *Malâ avi*, infausto omine; præsagia enìm ex avium volatu, et è certis quibusdam avibus, vel bona, vel mala ducebantur. Infrà III, 3, 61 : *Trojæ renascens alite lugubri Fortuna.* — *Nuptias*, illicitas, adulteras, innuptas, ut citat ex vetere poetâ Cic. de orat. III, 16, *quâ tempestate Paris Helenam innuptis junxit nuptiis.* — *Vetus Priami regnum;* à Scamandro qui primus à Cretâ in Phrygiam appulit, et ideò Trojæ verus conditor appellandus est, ad Priamum trecenti anni effluxerant, quod temporis spatium sufficit, ut regnum Priami *vetus* appellari queat.

4. *Eheu! quantus equis, quantus adest viris sudor!* Per vividam hypotyposim, Nereus cujus oculis futura pro præsentibus habentur, varios Trojani belli graphicè exprimit eventus. Nota igitur hæc verba, *adest*, *moves*,

» Nequicquam, Veneris præsidio ferox [5],
» Pectes cæsariem, grataque fœminis
» Imbelli citharâ carmina divides :
» Nequicquam thalamo [6] graves
» Hastas, et calami spicula Gnosii
» Vitabis, strepitumque, et celerem sequi
» Ajacem : tamen, heu serus! adulteros
» Crines pulvere collines.
» Non Laertiaden [7], exitium tuæ
» Gentis, non Pylium Nestora respicis?

parat in præsenti tempore. — *Quanta moves funera!* paulò fortassè audaciùs, pro : quantum bellum moves, ex quo tot funera orientur! Hunc locum imitatus est Stat. Theb. III, 210 : *Quantus equis, quantusque viris in pulvere crasso Sudor! io! quantùm crudele rubebitis amnes!* — *Pallas,* Paridi, ob celebre inter tres deas judicium, et Trojanis, ob Paridem, infensissima. — *Rabiem parat,* ut, *seque armat et instruit irâ,* Ovid. Met. XIII, 544.

5. *Nequicquàm Veneris præsidio ferox;* arte solità Horatius metuendo bellorum apparatui illicò subjicit mollis et effœminati viri imaginem. — *Pectes cæsariem,* ornabis. — *Carmina dividere fœminis* est : modò huic, modò alii fœminæ carmen canere; eodem sensu quo, *oscula dividere,* inf. I, 36, 5.

6. *Thalamo :* te in cubiculo turpiter continens. — *Graves hastas,* exitiosas, letiferas. — *Calami Gnosii :* sagittas Cretenses intelligit, à Gnoso, satis nobili Cretæ urbe. Sagittæ autem è cannâ Creticâ factæ, in præstantissimis habebantur, et ipsi Cretes quos contrà Trojanos duxit Idomeneus optimi sagittarii fuisse perhibentur. — *Strepitumque,* præliorum tumultum. — *Celerem sequi Ajacem;* de Ajace Oïleo loquitur, qui ταχὺς ab Homero appellatur, Il. β, 527. — *Heu serus!* Has duas voces conjunge, ità ut exclamatio illa *heu,* doloris et commiserationis indicium, non in mortem Paridis excidat, quod universæ odes sensui repugnaret, sed in nimiùm retardatam, pro patriæ felicitate, ejus mortis horam. — — *Collines pulvere :* cruentato pulvere fœdabis. — *Crines adulteros;* pulcherrimâ metonymiâ : crines illos elegantissimos, sceleris tui causam et quasi conscios.

7. *Laertiaden :* Ulyssem, Laertis filium. — *Pylium Nestora,* qui regnabat in Pylo. Pylos, urbs Elidis, in Peloponneso. — *Respicis;* summum Paridis timorem arguit, ne respicientis quidem hostes sibi instantes. — *Salaminius Teucer;* de eo sat fusè,

» Urgent impavidi te Salaminius
» Teucer, te Sthenelus sciens
» Pugnæ, sive opus est imperitare equis,
» Non auriga piger. Merionen quoque
» Nosces. Ecce furit te reperire atrox
» Tydides, melior patre :
» Quem tu, cervus [8] utì vallis in alterâ
» Visum parte lupum graminis immemor,
» Sublimi fugies mollis anhelitu;
» Non hoc pollicitus tuæ.
» Iracunda diem proferet Ilio
» Matronisque Phrygum classis Achillei [9] :
» Post certas hiemes, uret Achaïcus
» Ignis Pergameas domos. »

suprà. od. VII. — *Sthenelus :* Capanei et Evadnes filius. — *Sciens pugnæ :* Homerica locutio, εἰδὼς μάχης; non solùm fortis et strenuus, sed doctus et in arte bellicâ peritissimus. — *Non auriga piger,* auriga vividissimus. — *Ecce ;* rem præsentem expressiùs notat. — *Furit te reperire :* furenti animo te requirit, ardet tecum congredi. — *Tydides melior patre ;* Diomedes, filius Tydei, forti parente fortior.

8. *Cervus uti lupum*, subaud. *fugit.* — *Visum in alterâ parte vallis :* non sibi proximum, non ad se accedentem, sed è longinquo conspectum, et totâ profundæ vallis altitudine à se separatum : hoc dictum ad amplificandam, ut cervi, sic et Paridis, timiditatem, — *Sublimi anhelitu :* qui anhelant, caput osque sublime tollunt, quasi ad aerem pleniùs hauriendum.

9. *Iracunda classis Achillei :* Achillis milites, qui, ad exemplum et jussu regis et ducis sui, desides et otiosi vel in tentoriis vel in navibus remanserunt, et sic *diem*, supremum Trojæ diem distulerunt. — *Post certas hiemes :* post annos novem, certo fatorum decreto constitutos. — *Pergameas domos :* malui cum multis interpret. legere *Pergameas* quàm *Iliacas ;* ultima enim verbi, *ignis*, ante vocalem *I* corripitur, quod contrà mensuram est versùs glyconici, qui à spondæo incipere debet.

ODE SEXTA DECIMA

PALINODIA.

In duobus veterrimis mss. ode hæc sic inscribitur : Palinodia Gratidiæ, *h. e. in Gratidiæ gratiam, ad Tyndaridem amicam. Tyndaris autem Gratidiæ filia erat. Quidquid sit, non ad puellam quam iambis proscidcrat, ut ait Mitscherlich, sed ad puellam cujus matri maledicis insultaverat versibus, Horatium scribere constat. Veniam petit à filia pro delicto in matrem admisso; quod in notis demonstrabitur; culpamque suam transfert in iram, cujus vim indomitam describit.*

O MATRE pulchrâ filia pulchrior [1],
Quem criminosis cumque voles modum
Pones iambis; sive flammâ,
Sive mari libet Hadriano.
Non Dindymene [2], non adytis quatit

1. *O matre pulchrâ filia pulchrior;* filia irata erat Horatio propter illatam matri suæ injuriam; utramque uno versu et eâ parte laudat, quâ fœminæ facilimè flectuntur, servatâ, ambarum respectu, laudis mensurâ. Minùs feliciter de Leucothoe idem propè cecinit Ovid. Met. IV, 211 : *sed postquàm filia crevit, Quàm mater cunctas, tàm matrem filia vicit.—Quem criminosis cumque voles modum;* per tmesim, pro, quemcumque, quocumque modo voleris, statue de versibus maledicis; quamlibet pœnam, ut tibi placuerit, iis irroga. — *Iambis :* mos erat mordacia et probrosa carmina iambico metro scribere, quià metrum illud, omnium longè facillimum, furori scribentis sese optimè accommodabat. Notum illud Art. Poet. 79, *Archilochum proprio rabies armavit iambo.*

2. *Dindymene :* unum è Cybeles cognominibus, à monte dicto Dindymis, in Phrygiâ, in quo sacra sibi per Corybantas insti-

Mentem sacerdotum incola Pythius,
Non Liber æquè, non acuta
Sìc geminant Corybantes æra,
Tristes ut iræ [3] : quas neque Noricus
Deterret ensis, nec mare naufragum,
Nec sævus ignis, nec tremendo
Jupiter ipse ruens tumultu.
Fertur Prometheus [4], addere principi
Limo coactus particulam undiquè
Desectam, et insani leonis
Vim stomacho apposuisse nostro.

tuit. Ea autem sacra, cum tripudiis, discursibus inter tympanorum, cymbalorum tibiarumque sonos, quibus in furorem agerentur sacerdotes, celebrari solita. — *Adytis ;* vox è græco translata, ἄδυτα, ab ἀ privat. et δύω, subeo. *Adyta* igitur, pars templi interior in quam, præter sacerdotibus, nemini fas intrare erat. — *Mentem sacerdotum incola Pythius :* Pythius, Apollo Delphicus, à Pythone serpente occiso sìc dictus. — *Incola,* vulgari et ignobili sensu, qui Delphos inhabitat; multò sublimiori, qui ipsam sacerdotum mentem inhabitat. Quod quidem non minùs magnificè expressit Virg. Æneid. VI, 77, de Sibyllâ : *magnum si pectore possit Excussisse deum.* Audi etiam Russæum nostrorum lyricorum facilè principem : *Ou tel que d'Apollon le ministre terrible, Impatient du dieu dont le souffle invincible Agite tous ses sens.* — *Liber :* Bacchus, cujus sacra, orgia dicta ab ὀργή, summo quoque cum furore agebantur. — *Non sìc :* non tantâ agitatione turbidi, Corybantes, de quibus suprà, æra cymbala repetitis ictibus quatiunt.

3. *Tristes ut iræ,* sævæ, vehementes. — *Quas neque Noricus deterret ensis ;* irâ enim percitus, ad sibi satisfaciendum, nulla reformidat pericula. Noricos enses dicit, pro, enses præstantissimos; è Noricià, Germaniæ provinciâ, hodiè, *l'Istrie, la Carinthie, l'Illyrie,* ferrum optimum extrahebatur. — *Nec tremendo Jupiter ipse ruens tumultu :* magnificè, pro, Jupiter tonans et mittens fulmina; juxtà usitatum apud poetas loquendi genus, quo Jupiter in terram cum imbre, cum nive, cum tonitru et fulmine descendere, et poeticè, *ruere* dicebatur.

4. *Fertur Prometheus :* Prometheus, Japeti filius, et pater Deucalionis. Dicitur Jovi operam navâsse in formandis è luto mortalibus, et ad hoc opus prolusisse formandis animalibus, ad-

Iræ Thyesten [5] exitio gravi
Stravere, et altis urbibus ultimæ
Stetere causæ, cur perirent
Funditùs, imprimeretque muris
Hostile aratrum exercitus insolens.
Compesce mentem : me quoque pectoris
Tentavit in dulci juventâ [6]
Fervor, et in celeres iambos
Misit furentem : nunc ego mitibus [7]

juvante fratre suo Epimetheo, qui cùm bonam optimi luti partem in fingendis animantibus consumpsisset, coactus est Prometheus particulam aliquam ex iisdem animantibus decerpere, quâ hominem augeret ac ditaret. — *Principi limo :* limo, ex quo primum hominem formaverat.— *Coactus,* subaud. *fuisse :* fertur coactus fuisse addere. — *Undiquè desectam :* ex omnibus animalibus. — *Stomacho :* stomachus, iracundiæ sedes, quià in eum bilis infunditur et concoquitur; undè suprà VI, 6, *gravem Pelidæ stomachum.*

5. *Iræ Thyesten ;* filium Pelopis, nepotem Tantali, qui, ut conceptam in fratrem suum Atreum iram expleret, ejus uxorem temeravit; Atreus verò Thyestæ liberos patri epulandos apposuit. Quàm tristia iræ, et ultionum quas ira parit, exempla! — *Ultimæ stetere causæ :* gravissimæ, exitiales fuere causæ. Porrò *stetere* quantò poeticum magis et illustre quàm simplex illud *fuere!* — *Imprimeretque muris hostile aratrum :* fatale signum quo victor ferocicus urbem nunquàm è ruinis surrecturam nuntiabat; quod Trojæ contigit. *Semisepulta virûm curvis feriuntur aratris Ossa.* Ovid. Heroid. I, 53; deindè et Carthagini.

6. *In dulci juventâ ;* longum ergò tempus effluxerat, ex quo *furens* Horat. *in celeres iambos missus* fuerat. Non igitur adversùs puellam multò se juniorem, et quam amicam sibi adsciscere ardentissimè nunc cupit, scripserat, sed adversùs ipsius matrem, quæ, licet adhùc pulchra sit, cum poetâ, si non senescere, at saltem maturescere debuit. Quam inevitabilem ut declinet conclusionem, interpretatur Mitscherlich hæc verba, *in dulci juventâ,* de præsenti vatis ætate. *Me,* inquit, *juvenem ὀνταα misit fervor* etc. Quis, attentè textum legendo, errorem clarissimi et doctiss. aliundè viri non sentiet? *Illud egi in juventâ,* nonne apertissimè significat? *illud egi eo tempore quo juvenis eram.* Addc quòd epitheton, *dulci,* desiderium elapsæ juventutis exprimit.

7. *Nunc ego mitibus. Nunc :* novum argumentum temporum

Mutare quæro tristia : dùm mihi
Fias recantatis amica
Opprobriis, animumque reddas.

diversitatem ab Horat. notari. *Mitibus :* volo ea quæ te dolore et indignatione affecerunt remunerari iis, quæ tibi suavia atque jucunda sunt. — *Recantatis opprobriis ; recantare* est cantare aliquid priori cantilenæ contrarium, quod Græci παλινῳδεῖν dicunt, quæ vox in gallicum sermonem transiit, *chanter la palinodie.* — *Animumque reddas :* iram tuam deponas.

ODE SEPTIMA DECIMA

AD TYNDARIDEM.

Tyndaridem in villam suam Sabinam, propè Lucretilem montem sitam, invitat, ubi licebit illi ruris amœnitate frui, poetico genio indulgere, et se à protervitate Cyri cujusdam, amatoris sui, tutam præstare.

Velox [1] amœnum sæpè Lucretilem
Mutat Lycæo Faunus, et igneam
Defendit æstatem capellis
Usquè meis, pluviosque ventos.
Impunè, tutum [2] per nemus, arbutos
Quærunt latentes et thyma, deviæ

1. *Velox ;* commune Fauno, Pani, Satyris epitheton; hìc verò Fauno proprium, qui, cùm *sæpè* à Lycæo, qui est Arcadiæ mons, in Lucretilem montem Italicum migret, summâ velocitate debet esse præditus. — *Mutat Lycæo Lucretilem*, pro, Lycæum, solitam sedem, permutat Lucretili, id est, invisit Lucretilem, relicto Lycæo. Usitatissimum apud poetas loquendi genus. — *Defendit æstatem capellis;* æquè dicitur, defendere aliquem ab aliquâ re, et defendere aliquam rem alicui; duplex utriusque locutionis exemplum reperias in eâdem Virg. Eclog. *teneras defendo à frigore myrtos*, VII, 6; *Solstitium pecori defendite*, ib. 47.

2. *Tutum*, nemoris epithet., neque huic voci, *impunè*, adjungendum, ut nonnullis placuit interpret. quod in merum pleonasmum recideret. — *Arbutos ;* v. Od. I, 21. — *Deviæ :* à grege separari, et hùc illùc vagari solitæ. — *Olentis uxores mariti ;* capræ, per poeticam periphrasim, ut Virg. Ecl. VII, 7, *vir gregis ipse caper deerraverat*. Porrò, de fœtido hædorum et caprorum odore nihil est quòd admoneam.

Olentis uxores mariti,
Nec virides metuunt colubras,
Nec Martiales hæduleæ lupos;
Utcumque [3] dulci, Tyndari, fistulâ
Valles et Usticæ cubantis
Lævia personuere saxa.
Dî me tuentur [4] : dîs pietas mea
Et musa cordi est. Hînc [5] tibi copia
Manabit ad plenum benigno

— *Colubras :* fœminino genere posuit, vulgari poetarum usu, ut mox, *hæduleæ*. Porrò in ultimo illo exemplo, diminutivum adhibet, ut augeat securitatem loci. Teneri enim pecorum fœtus, parentibus et adultis sunt naturâ suâ timidiores. — *Martiales lupos*, sic dictos sive à lupâ Remi et Romuli nutrice, et ideò patri eorum Marti consecratâ; seu, quod simplicius, quiâ feroci indole, cæde et sanguine gaudent, et continua cum animantibus bella gerunt. *Martius à stabulis rapuit lupus*, Æneid. IX, 566; quod sic vertit Desfontaines : *le loup audacieux;* Quatuor Professores, *un loup redoutable*. Altero sensu intelligunt Binet et Delille.

3. *Utcumque :* ubì, statìm ac. — *Fistulâ*, scilicet Fauni. Miracula enim enarrat quæ non pastoralis avenæ sono, sed solâ divinæ fistulæ modulatione patrari possunt. — *Usticæ cubantis :* Ustica, pars inferior Lucretilis, leviter declivis ac depressa, couvivæ in lecto semi-supini imaginem præbens. — *Lævia saxa :* saxa vel naturaliter polita, vel attrita torrentium et imbrium lapsu.

4. *Dii me tuentur;* sensus : hanc quam tibi, Tyndari, jactito securitatem, non mihi, sed diis acceptam refero, quibus pii et innocentis poetæ, qualis ego sum, placent carmina; veni igitur, et deorum muneribus mecum fruere.

5. *Hînc.* Legitur in multis edit. *hìc;* neque diffiteor hanc conjunct. apprimè congruere. *Hìc tibi....., hìc in reductâ.....* phrasim poeticam aptè ponderant et in æquas partes distribuunt. Sed, præterquàm quòd illa lectio *hînc* ferè omnium mss. auctoritate innititur, sensum cum præcedentibus meliùs mihi visa est connectere. *Hînc*, id est, ideò, deorum confisa patrocinio, ne dubita villam meam invisere. — *Tibi copia;* verba hujus periodi, tantillùm impexa et implicata, sic evolve : *hînc, opulenta copia honorum ruris tibi* (quasì è) benigno cornu manabit ad *plenum*. Omnia ad abundantiæ significationem, paulò *benigniùs*, si dicere fas est, collecta. — *Manabit ad plenum :*

Ruris honorum opulenta cornu.
Hìc in reductâ valle [6] Caniculæ
Vitabis æstus : et fide Teïâ
Dices laborantes in uno
Penelopen vitreamque Circen.
Hìc innocentis pocula Lesbii [7]
Duces sub umbrâ : nec Semeleïus

affatim, largiter affluet. — *Benigno cornu :* Amaltheæ capræ lacte nutritum à Nymphis Jovem ferunt. Eas ut remuneraretur Jupiter, edixit, ut ex illius capræ cornu resecto fruges omnes et fructus in perpetuum, velut inexhausto de fonte, scaturirent. Eam ob rem, *Cornu copiæ* vocatum est. — *Ruris honores :* intellige fruges, poma, flores etc. *dulcia poma, Et quoscumque feret cultus tibi fundus honores.* Sat. II, 5, 13.

6. *Hìc in reductâ valle :* quæ recessus habet profundos, et ab æstu solis tutos. — *Caniculæ :* stella est primi, ut aiunt, ordinis, quæ etiam Sirius appellatur, sita in ore Canis astri, cui sol cùm subest, æstus ingravescit. — *Fide Teïâ :* fides, propriè nervus, chorda, et extensivè lyra fidibus instructa. *Teïâ;* trisyllab. ad mensuram versûs; lyrâ ab ipso Anacreonte quasi mutuatâ, qui, ipse poeta lyricus egregius, à Teo, Ioniæ civitate, fuit oriundus. — *Laborantes in uno :* quæ unum virum, Ulyssem scilicet, ardentissimo amore amplexæ sunt. *Laborare,* complectitur notionem sollicitudinis ac curarum, quibus amantes cruciari et laborare solent. Dicitur autem elegauter, *laborare in uno,* id est, ob unum, ut æstuare, flagrare, ardere in aliquâ. — *Penelopen,* uxorem Ulyssis. — *Vitreamque Circen :* Solis filiam, veneficiorum peritissimam, quæ acceptum in insulâ Eâ, ubi regnabat, Ulyssem, frustrà amoris laqueis irretire tentavit, et ad obliviscendum Ithacam adducere. *Vitrea* dicitur, non à colore, quippè quæ inter deas marinas nunquàm annumerata sit, sed quià fallax et perfida; vitrum enim citò frangitur. Nota nullum addi Penelopes nomini epithet., quod per se et suâpte vi fidem virtutesque omnes in memoriam revocat, sicque Circen per oppositionem epitheto donari, quod nullatenùs in bonam partem accipi queat.

7. *Lesbii,* subaud. vini. — *Innocentis,* non noxii, non caput periculoso vapore lacessentis. Hanc vocem feliciter transtulit Benignus Grenan in oden vini Burgundi laudibus consecratam. *Nec levat tristes medicina morbos, Ut latex pellit tuus, innocentis Filius uvæ.* — *Duces:* attrahes, hauries. — *Nec Semeleïus :* duplici cognomine Bacchum notat, unum à genere, quià filius erat Jovis et Semeles,

Cum Marte confundet Thyoneus
Prælia; ne metues protervum
Suspecta Cyrum [8], ne malè dispari
Incontinentes injiciat manus,
Et scindat hærentem coronam
Crinibus, immeritamque vestem.

alterum ab effectibus vini. *Thyoneus* enim à θυώνη, furor bacchicus. R. θύω, furore divino corripior. — *Cum Marte confundet prælia :* Bacchus non Martem concitabit, ità ut prælium inter hæc duo numina ineatur : non Martis prælia cum conviviorum jocis et hilaritate miscebit.

8. *Protervum Cyrum :* idem ille est de quo inf. od. XXXIII, 6, ubi *turpis adulter* vocatur. — *Suspecta :* Cyro, qui, rivalem aliquem jàm suspicatus, Tyndariden violentèr et indignè tractaverat. — *Ne malè dispari :* ne tibi, qui *malè*, qui infelici fato, viribus es impar. Forsàn melius τὸ *malè* ad verbum subsequens referre. *Ne*, sceleratè tibi imbelliciori, *incontinentes*, id est, violentas, contineri nescias *manus injiciat.* — *Hærentem coronam crinibus :* coronam convivalem, capiti impositam. — *Immeritamque vestem :* quibuscumque enim injuriis Tyndaris Cyrum lædere potuerit, certè vestis est innoxia, nec quid tale meretur.

ODE OCTAVA DECIMA

AD QUINTILIUM VARUM.

Vinum moderatè sumptum exhilarat animum; haustum immoderatè, furorem concitat.

Nullam, Vare [1], sacrâ vite priùs severis arborem
Circà mite solum Tiburis et mœnia Catilî.
Siccis [2] omnia nàm dura Deus proposuit; neque
Mordaces aliter diffugiunt sollicitudines.
Quis post vina gravem militiam aut pauperiem crepat [3]? 5
Quis non te potiùs, Bacche pater, teque decens Venus?

1. *Vare;* quis sit ille Varus, inter eruditos non convenit. Facilè crediderim eumdem esse ac eum Quintilium cujus obitum deflet ode hujus libri XXIV, quam vide. Varus poeta fuit non aspernandus, Augusti æquè et Horatii Virgiliique amicus, qui villam habebat in agro Tiburtino. — *Priùs severis :* potiùs plantaveris quàm vitem; *severis* à verbo *serere*. — *Mœnia Catilî :* vide sup. not. 17 in ode VII.

2. *Siccis :* nimiùm sobriis, iis qui à vino abstinent. — *Deus :* sive *deus* in genere, sive strictiore sensu, Bacchus, nunquàm mitis munera sua spernentibus : quod conjicere licet è Tibull. III, 6, 21 : *Jàm venit iratus nimiùm, nimiùmque severis; Qui timet irati numina magna, bibat.* — *Omnia dura proposuit :* sortem constanter asperam minatus est; in pœnam constituit. — *Neque aliter :* non, nisi vino hausto.

3. *Gravem militiam aut pauperiem crepat : crepare* aliquid, est eumdem de re aliquà sermonem sæpiùs repetere. *Sulcos et vineta crepat mera.* Epist. I, 7, 84, et A. P. 247, *aut immunda crepent ignominiosaque dicta.* In malam partem sæpiùs accipitur; quandòque in bonam, ut ex vers. sqq. liquet. — *Bacche*

At, ne quis modici transiliat munera Liberi [4]
Centaurea monet cum Lapithis rixa super mero
Debellata; monet Sithoniis [5] non levis Evius,
Cùm fas atque nefas exiguo fine libidinum
Discernunt avidi. Non ego te, candide Bassareu [6],
Invitum quatiam : nec variis obsita frondibus
Sub divum rapiam. Sæva tene cum Berecynthio

pater : pater, quià potens simùl et benignus. — *Decens Venus :* pulchra, amabilis.

4. *Ne quis modici transiliat munera Liberi :* ne quis immoderatè bibat. *Liberi* pro vini : ut passìm in poetis, Ceres pro pane; Bacchus pro vino usurpatur. — *Centaurea monet cum Lapithis rixa.* Vide lib. IV, od. II. Pirithous, Ixionis filius, cùm Hippodamiam duceret, epulum nuptiale Centauris, Thessaliæ incolis, sibi necessitudine conjunctis, præbuit. Cùm omisisset autem Marti sacrificare, illius iram in se concitavit. Itaque Mars inter Centauros et Lapithas, ad convivium itidem vocatos, rixam excitavit, quæ dirâ utriusque partis strage commissa est. Juvenc. — *Debellata :* commissa. — *Super mero :* inter bibendum, post ebrietatem.

5. *Sithoniis :* Sithonia est pars Thraciæ : hìc de universâ Thraciâ intellige. v. inf. *Natis in usum lætitiæ scyphis pugnare Thracum est. XXVII.* — *Evius :* unum è Bacchi cognominibus est, à Jove illi inditum in eo bello quod gigantes cum diis gesserunt. Fingunt enim poetæ, cùm cæteri dii perterriti fugerent aut latérent, Bacchum leonis ora induisse, atque rem in hostes cœlo imminentes strenuè gessisse. Quamobrem à Jove collaudatum his verbis, εὖ γε, *euge, fili :* posteà Evyon, seu Evhyum fuisse, honoris causâ, salutatum. Indè fit femininum Evhyas, quod Bacchi sacerdotem, seu Baccham et Mænadem significat. Juvenc.—*Avidi libidinum :* has duas voces cave ne disjungas : quid enim solus et per se, significaret adjectiv. ille, *Avidi? Avidi libidinum,* id est, in libidinibus intemperati, illis sine modo et mensurâ obnoxii. — *Fas atque nefas exiguo fine discernunt :* ità exiguo ut ferè nullus sit, et alterum cum altero confundatur. Sic in Virg. Georg. I, 504, *quippè ubi fas versum atque nefas;* et Ovid. Metam. VI, 585, *fasque nefasque confusura ruit.*

6. *Candide Bassareu :* candidum vocat Bacchum, ex eo quòd in vino sinceritas; Bassareum verò, à voce quâdam Thraciâ, quæ vulpem significat; non hinnulorum tantùm, sed etiam vulpium pellibus se texisse dicuntur Bacchæ, quæ indè dictæ sunt Βασσαρίδες. — *Non ego te invitum quatiam :* sensus : solæ Bacchantes, jure sacerdotii sui, volentem Bacchum, id est Bac-

Cornu tympana [7], quæ subsequitur cæcus amor suî,
Et tollens vacuum plùs nimio gloria verticem,
Arcanique fides prodiga [8], perlucidior vitro.

chi statuas è sacellis commovebant, easque per montes et pagos circumducebant, idque vino furentes et ebriæ. Non idem licitum bibenti quidèm, sed parcè, sed moderatè : quasi poeta dicerat ; Bacchus favet donis suis sapientèr utenti ; indignatur autem contrà eum qui sine ministerio, sine jussu, Bacchantium furores imitatur. *Quatere Bacchum* idem igitur valet, ac Bacchi sacra commovere, quo sensu Virg. Æn. IV, 301 : *Qualis commotis excita sacris Thyias. — Nec variis obsita frondibus sub divum rapiam :* sub. tua mysteria, tua symbola, eodem sensu quo præcedentia. In orgiis enim, res quædam mysticæ, in cistâ vel in arculâ pampinis ac hederis obvelatâ, circumferri solebant ; non orgia autèm suadet Horat., sed honestas et amicas compotationes.

7. *Sæva tene cum Berecynthio Cornu tympana :* Averte à me sævum, terribilem istum, qui tympanorum et Phrygii cornu strepitu excitatur, furorem ; magna quidem sacrorum omnium cognatio erat, sed præcipuè Cybeles in monte Berecyntho cultæ et Bacchi. — *Quæ :* quem furorem. — *Cæcus amor suî :* amor enim suî, aliorum virtutibus, propriisque vitiis oculos claudit. *Faut-il que l'amour-propre aveugle les esprits D'une si terrible manière?* Lafont. — *Et tollens vacuum plùs nimio gloria verticem :* imago deprompta ex incessu hominis inanitèr gloriantis ; eodem sensu quo Plautus, in Milit. glorios. act. I, scen. 1, 22, *Perjuriorem hoc hominem si quis viderit, Aut gloriarum pleniorem quàm illìc est.* — *Vacuum*, quia nihil nisi ventus et fumus in stolido hominis arrogantis, præsertìm cùm ebrius est, capite.

8. *Arcanique fides prodiga :* secretissimas res, fidei commissas, ebrietas recludit. *Perlucidior vitro :* quale vitrum, quod lucem admittit, adeò ut quæ intùs sunt pateant, tale pectus hominis ebrii, arcana patefacientis.

ODE NONA DECIMA.

A Glycerâ se ad Veneris militiam revocari.

Mater sæva Cupidinum [1],
Thebanæque jubet me Semeles puer,
Et lasciva Licentia
Finitis animum reddere amoribus.
Urit me Glyceræ nitor [2]
Splendentis Pario marmore puriùs :
Urit grata protervitas [3],
Et vultus nimiùm lubricus adspici.
In me tota ruens Venus

1. *Mater sæva Cupidinum :* hæc de Veuere periphrasis Horat. multùm videtur arridere. *Desine dulcium Mater sæva Cupidinum.* Od. IV, 1, 4. *Sævam* jure vocat, quæ, cum etiam invitum desueti amoris periculo obnoxium facit. Adde quòd non suadet, non mollitèr invitat, sed *jubet.* — *Semeles puer :* Semeles filius, Bacchus. Hæc duo numina, sc. Bacchus et Venus, meritò consociantur; *nàm sinè Libero friget Venus,* Terent. Eunuch. IV, 5, 6. — *Lasciva Licentia :* altera dea (per Licentiam non rem aliquam, sed personam significat) Bacchi et Veneris fida comes et assecla. — *Finitis animum reddere amoribus,* iterùm servire amori, cujus jugum excussisse gloriabar.

2. *Glyceræ nitor : nitor* et *nitens,* passìm de formæ pulchritudine. *Hylonome quâ nulla tentior,* Ovid. Metam. XII, 405 : ut gallicè dicimus : *cette femme a de l'éclat :* sensum confirmat vers. sq.

3. *Grata protervitas :* nescio quis habitus, vividissimâ quidem alacritate, non tamen effrenatâ et petulante compositus, ad inspirandum amorem aptissimus : gallicè, *la coquetterie.* — *Et vultus nimiùm lubricus aspici :* plerique interpretantur : vultus qui non nisì magno cum periculo potest aspici. Malim intelligere : vultus qui, cùm aspicitur, ni-

Cyprum deseruit [4]; nec patitur [5] Scythas, 10
Et versis animosum equis
Parthum dicere, nec quæ nihil attinent.
Hic vivum mihi cespitem [6], hic
Verbenas, pueri, ponite, thuraque,
Bimi cum paterâ meri : 15
Mactatâ veniet lenior hostiâ.

mium lubricus apparet, id est, nimiùm lascivus, nimiùm allicions viros; eo fermè sensu quo Cic. de Nat. Deor. II, 51, dixit : *Natura oculos fecit lubricos et mobiles;* ad quem locum alludere videtur Quintilian. XI, 3, 76, cùm convenientia oculis epitheta sic conjungit : *Sunt lascivi et mobiles, aut natantes et quâdam voluptate perfusi.* Talis erat verisimilitèr oculorum et totius Glyceræ vultùs aspectus; neque lectorem moretur istorum verborum, *lubricus aspici*, dispositio. Aliàs, Od. IV, 2, 59, dixit Horat. *niveus videri.*

4. *In me tota ruens Venus Cyprum deseruit :* quàm magnifico verborum ornatu amoris vim et tormenta extollit! Expende hanc vocem, *tota :* et illam *ruens*, quibus Venerem universæ potestatis suæ pondere misero amanti incumbentem exprimit! Admirandæ Horat. sententiæ non imparem expressit Raciuius noster : *Ce n'est plus une ardeur dans mes veines cachée, C'est Vénus toute entière à sa proie attachée.* Phèdre, act. 1, sc. 3.

5. *Nec patitur :* præclarè de deâ inhabitante, amatorem ad arbitrium fingente. — *Versis equis :* nusquàm magis in prælio metuendi Parthi quàm cùm fugerent. *Fidentemque fugâ Parthum versisque sagittis*, Virgil. Georg. III, 31. — *Nec quæ nihil attinent :* quæ cum amore nullam habent relationem.

6. *Vivum cespitem :* aram è gramine recèus avulso. — *Verbenas :* herbæ genus in sacris magicis, amoris causâ institutis, adhibitum; gallicè *: la verveine.* Vide in Virg. Ecl. VIII, 65. *Verbenasque adole pingues et mascula thura.* — *Bimi vini :* duorum annorum vini. — *Mactatâ hostiâ :* victimæ in honorem Veneris procul dubio mactabantur, extorum præsertim inspiciendorum causâ, ità tamen ne earum sanguis aræ obfunderetur. Tac. Hist. II, 3. — *Veniet :* sivè simplicitèr pro *erit;* sivè, quod meliùs, per oppositionem verbo *ruens :* innuit se non adeò Veneri nuntium dedisse, ut non aliquandò, per intervalla sin minùs ejus furores, saltèm blanditias, contento animo excipiat.

ODE VIGESIMA

AD MÆCENATEM.

Mæcenas in Apuliam profecturus, Horatio significaverat se in ejus villâ Sabinâ deversurum. Respondet Horatius, illustrissimumque hospitem præmonet, quàm alacri animo, sed quàm modico sumptu excipiendus sit.

Vile potabis modicis Sabinum [1]
Cantharis, græcâ quod ego ipse testâ [2]
Conditum levi, datus in theatro
Cùm tibi plausus [3],

1. *Vile Sabinum :* sub. vinum. Non mihi quidem *vile,* sed tibi, Mæcenas, melioribus vinis assueto. vid. notam suprà, od. IX, 8. — *Potabis :* rectè et expressè. *Potare* est largè bibere, quasi diceret : si vinum non delicatissimum et tanto hospite dignum propinabitur, at minùs, manu non malignâ, non parcè effundetur. — *Modicis cantharis :* cantharus erat quoddam scyphi vel poculi genus, scarabæi, græcè canthari formam referens. — *Modicis :* modestis, non aureis, non gemmatis, ut apud te, sed quales habere decet poetam. Eodem sensu : *nec modicâ cœnare times olus omne patellâ.* Epist. I, 5, 2.

2. *Græcâ quod ego ipse testâ :* in vasis fictilibus vina Romani condebant, nobilissima autem in amphoris græcis, sic dictis, seu quòd ab artifice græco fingebantur, sen quòd eas à Cumis præsertìm, Græcorum coloniâ, extrahebant. Porro, *Quo semel est imbuta recens, servabit odorem Testa diù.* Epist. I, 2, 69. Vina igitur communia in has amphoras transfundebant, undè aliquid odoris et suavitatis contraherent. — *Ego ipse* : notat sedulitatem et curam servando vino suâptè manu præstitam. — *Conditum levi :* à *linere, lino,* pice vel cerâ, quibus cortex illinebatur.

3. *Datus in theatro cùm tibi plausus :* egregiè et delicatè

Clare, Mæcenas, eques, ut paterni
Fluminis ripæ, simul et jocosa
Redderet laudes tibi Vaticani
Montis imago.
Cæcubum [4] et prælo domitam Caleno
Tu bibes [5] uvam : mea nec Falernæ
Temperant vites, neque Formiani
Pocula colles.

blanditur Mæcenati, dùm levitèr et quasi aliud cogitans in memoriam patroni sui revocat diem illum quo pop. Rom. eum in Pompeii theatrum ingredientem unanimi plausu exceperat. — *Paterni fluminis :* Tiberis, qui è Thuscià fluit, undè Mæcenas ducebat originem. — *Jocosa Vaticani imago :* montis Vaticani Echo. v. suprà XII, 4.

4. *Cæcubum :* Cæcubus est mons Latii, propè Fundos et Amyclas, cujus solum optimi vini ferax est, hodiè *mont de Gaëte. Calenum,* à Calibus, oppido Campaniæ, in cujus agro mite ac generosum vinum nascebatur.

5. *Tu bibes :* tuum est bibere eximia illa vina in tuis cellis condita, non autem in meis. — *Falernæ :* Falernus, mons et ager Campaniæ, inter Calenum et Sinnessam, cujus vinum in magno erat pretio. — *Formiani colles :* Formiæ, Formiarum, urbs Campaniæ Italæ maritima, juxtà Caïetam, à Lamo quodam, Lacone, condita; Læstrygonum olim sedes. A Saracenis excisa fuit, estque nunc in ejus loco pagus, *Mola* nuncupatus. — *Temperant :* sensus : non infunditur in mea pocula vinum è Falernis vel Formianis collibus expressum, quod tardum mei vini soporem emendet. Sic intellexit et gallicè vertit Ren. Binet, cujus, ut doctissimi interpretis, sententiam amplecti securius mihi visum est.

ODE PRIMA VIGESIMA

IN DIANAM ET APOLLINEM.

Pueros et puellas hortatur poeta ad celebrandas Dianæ et Apollinis laudes. Dignus est hic hymnus, licet multò brevior, qui cum Carmine Sæculari, et cum hymno Catulli in Dianam (Carmen XXXI) *conferatur.*

Dianam teneræ dicite virgines :
Intonsum, pueri, dicite Cynthium [1] :
Latonamque supremo
Dilectam penitùs Jovi.
Vos lætam fluviis [2] et nemorum comâ,
Quæcunque aut gelido prominet Algido,
Nigris aut Erymanthi
Silvis, aut viridis Cragi :

1. *Cynthium :* nomen Apollinis à Cyntho monte, in Delo insulâ, quo in monte Latona fertur Apollinem ac Dianam peperisse ; undè ille Cynthius, hæc Cynthia, passim à poetis appellatur. — *Intonsum :* ad perpetuam Apollinis juventutem designandam : *Solis æterna est Phœbo Bacchoque juventa, Nam decet intonsus crinis utrumque deum.* Tibull. I, 4, 36. — *Dilectam penitùs :* valdè vel familiaritèr.

2. *Lætam fluviis :* amantem fluvios. — *Nemorum comâ :* et frondosas sylvas, ut venatricem decet. — *Quæcumque nemorum coma*, pro, quæcumque nemora prominent, aut in Algido, qui mons est in agro Tusculano, aut in Erymantho, Arcadiæ monte, quem illustravit portentosus ille aper, agrorum vastator, et ab Hercule domitus ; aut in nigris, id est umbrosis sylvis Cragi, montis Lyciæ, in Asiâ minori ; hodiè *le Garante ;* in quo Chimæram, ope Neptuni, et Pegasi

Vos Tempe [3] totidem tollite laudibus,
Natalemque, mares, Delon Apollinis
Insignemque pharetrâ
Fraternâque humerum lyrâ.
Hic bellum lacrymosum [4], hic miseram famem
Pestemque à populo, principe Cæsare, in
Persas atque Britannos
Vestrâ motus aget prece.

auxilio, Bellerophon occidit.

3. *Vos Tempe — natalemque Delon :* uterque locus Apollini dilectus, quòd in priore, post interfectum Pythona, sese ritè expiaverat, in altero lucem hauserat. — *Fraternâ lyrâ :* abactis Apollinis bovibus, suprà od. X, Mercurius frater, qui, loco cit. *lyræ parens* dicitur, lyram suam fratri donaverat.

4. *Hic bellum lacrymosum :* habebantur Apollo et Diana inter Deos servatores urbis, sed Apollo præcipuè, idem ac Sol, à cujus lumine et calore pendet salubris aeris temperies, agrorum fertilitas, sanitas corporum. — *Persas atque Britannos :* populos Romæ infestissimos, et nondùm perdomitos.

ODE SECUNDA VIGESIMA

AD ARISTIUM FUSCUM.

Poetas, ut innocuis deditos laboribus, et à sceleribus alienos, ubique tutos, et sub deorum tutelâ esse exemplo suo probat Horatius.

Integer vitæ scelerisque purus [1]
Non eget Mauris jaculis, neque arcu,
Nec venenatis gravidâ sagittis,
Fusce, pharetrâ;
Sive per Syrtes iter æstuosas [2],
Sive facturus per inhospitalem
Caucasum, vel quæ loca fabulosus
Lambit Hydaspes.

1. *Integer vitæ, scelerisque purus:* non de rigidâ Stoïcorum integritate loquitur vates Epicureus, sed de illâ probitate et innocentiâ quæ cum voluptate, juxtà facillimam magistri sui doctrinam, congruunt; nàm, dùm se, ut hominem integerrimum à periculis tutum jactat, simùl edocet se, in ipso discriminis momento, amatissimam à se Lalagen cecinisse; *integer vitæ*, id est ratione vitæ; *sceleris purus*, purus à labe sceleris. — *Mauris jaculis; Mauri*, quod in multis codicibus legitur, propter euphoniam, placeret magìs. — *Fusce:* Fuscus Aristius, poeta, orator, grammaticus, Horat. coætaneus et amicissimus, de quo aliàs Noster meminit. *Fuscus Aristius occurrit, mihi carus*, Sat. I, 9, 61; ad eumdem mittit epist. I, 10, de vitæ rusticanæ laudibus: *urbis amatorem Fuscum salvere jubemus.*

2. *Sive per Syrtes æstuosas:* Africæ solitudines mediterraneas indicat, loca non minùs periculosa, quàm duas Syrtes maritimas, undè nomen mutuantur, ventis arenas verrentibus, et hùc

Namque me silvâ lupus in Sabinâ [3],
Dùm meam canto Lalagen, et ultrà
Terminum curis vagor expeditis,
Fugit inermem.
Quale portentum neque militaris
Daunia [4] in latis alit esculetis,
Nec Jubæ tellus generat, leonum
Arida nutrix.
Pone me, pigris ubi nulla campis [5]

illùc dispergentibus, ità ut illis quasi arenarum fluctibus viatores sæpissimè obruti consepeliantur. — *Caucasum :* præruptissimum Asiæ montem, qui nullas admittit incolas. — *Hydaspes :* Indiæ fluvius; *fabulosus* hìc dicitur, eodem sensu quo suprà, od. IV, *fabulæque manes :* miræ autem narrationes de totâ Indiâ Romanis malè cognitâ, de immanibus ejus belluis, de monstris, circumferebantur.

3. *Silvâ in Sabinâ :* in silvâ villæ suæ Sabinæ adjacenti. — *Dùm meam canto Lalagen :* illa ipsa Lalage, à cujus amore, ut nondùm adultæ, abstinendum esse declarat, Od. II, 5. Ergò jàm adoleverat, cùm nùnc *suam* profiteri non dubitet Horat. — *Ultrà terminum :* ultrà solitos deambulationis meæ fines. — *Curis expeditis :* legitur quoque *expeditus.* — *Lupus fugit inermem :* nihil frequentius et naturæ solitis legibus magis congruum, quàm fuga lupi ad conspectum hominis. *Le loup est naturellement grossier et poltron.* Buffon.

4. *Militaris Daunia :* Apuliæ pars, sic dicta à Dauno illic rege, Turni avo, cujus incolæ virtute bellicâ semper insignes fuere.—*Esculetis :* esculetum, locus esculis consitus. Esculus est arbos è quercuum genere, sic vocata, quòd primi homines ejus glandibus pro escâ uterentur. — *Nec Jubæ tellus :* Mauritania in quâ regnavit Juba, qui Pompeianas partes contra Cæsarem constantissimè secutus est. Victo Pompeio, copias cum Scipione conjunxit, commissoque prælio victus, ubi nihil spei reliquum esse vidit, opiparè cum Petreio, Pompeii legato, epulatus est, ac mutuis ambo vulneribus concurrentes fortitèr ceciderunt.

5. *Pigris campis :* Pigri campi sunt campi steriles, ubi omnia torpent. Duas zonas gelidas notat.— *Quod latus :* quam partem mundi, poeticè; nam nulla sunt in quocumque globo latera. Sed zonæ utriusque temperatæ incolis, terræ ad polum arcticum et antarcticum sitæ, videntur extremæ, et ibi orbem habitabilem quasi includi, et gemino latere terminari dixeris. *Malus Jupiter ur-*

Arbor æstivâ recreatur aurâ;
Quod latus mundi nebulæ malusque
Jupiter urget:
Pone sub curru nimiùm propinqui
Solis [6], in terrâ domibus negatâ:
Dulce ridentem Lalagen amabo,
Dulce loquentem.

get: deusus, maliguus et insalubris aer continuò premit et occupat.

6. *Sub curru nimiùm propinqui Solis:* in zonâ torridâ, in quâ sol terræ nequaquàm propior, radios directos dejicit, è quibus calor ingens; porrò, propinquitatem corporis cujuslibet calorem emittentis, è variis caloris gradibus dijudicare in more est. Poetæ, et poetæ veteri error physicus ignoscendus est. — *In terrâ domibus negatâ:* alter error, nùnc ab ignarissimis hominum rejectus. *Dulce ridentem:* quasi diceret: ibi, seu frigore adstrictus, seu solis ardoribus obnoxius, utriusque temperici securus, nihil è conjuratis adversùs me elementis metuens, tranquillos dies agam, dummodò suaviter mihi rideat Lalage, dummodò dulces ex ipsius ore loquelas excipiam.

ODE VIGESIMA TERTIA

AD CHLOEN.

Eam hortatur ut, matura viro, relictâ matre, sibi adhæreat.

Vitas [1] hinnuleo me similis, Chloe,
Quærenti pavidam montibus aviis
Matrem, non sine vano
Aurarum et silüæ metu.
Nam [2] seu mobilibus vepris inhorruit 5

1. *Vitas :* malè, *vitat* in nonnullis edit., cùm juxtà metri leges, secunda syllaba produci debeat, et, per apostrophen vividior sensus; adde quòd tota ode sic procedit : *Non ego te ; desine* v. inf. — *Similis hinnuleo :* elegantissimè comparat puellarem Chloes pudorem cum timiditate hinnulei ad levissimam auram et foliorum motum contremiscentis. — *Pavidam :* perpetuum cervæ epitheton. — *Non sine vano metu :* vanus dicitur metus, qui ex causâ vanâ, nihil serii habente, concipitur. *Silüæ :* hæc vox *silüæ*, trisyllaba pronuntianda est ad legitimam versûs mensuram. Hæc consonantium in vocales, et, vice versâ, vocalium in consonantes correspondentes frequentissima apud poetas : ut in Virg., Georg. I, 482, *Fluvjorum*, *pro*, *Fluviorum Rex Eridanus*, et Æneid. II, 16, *Sectâque intexunt abjete* pro *abiete costas.*

2. *Nam seu mobilibus vepris inhorruit ad ventum foliis :* loco illius vocis *vepris*, mallem cum Mureto legere *vitis :* vitis enim folia, multò mobiliora sunt quàm veprium : in versu autem subsequente notat *rubum*, qui idem valet ac *vepris.* De vulgatâ tamèn lectione quam Mitscherlich secutus est non reticendum ; illam solidissimis innixus argumentis Dæring damnat et respuit, quæ referre non piget et admittere.

Vulgata lectio : *Nàm seu mobilibus veris inhorruit Ad-*

Ad ventum foliis, seu virides rubum
Dimovere lacertæ,
Et corde et genibus tremit.
Atqui [3] non ego te, tigris ut aspera,
Gætulusve leo, frangere persequor.

ventus foliis, servata et defensa à novissimis editoribus, sanè, quoad dictionis elegantiam et doctam orationis inversionem *adventus veris mobilibus foliis inhorruit* pro : mobilia folia inhorruerunt adventu veris (h. e. venti vernalis, Zephyri flatu) attinet, Horatio dignissima est; sed, si rem spectas, difficultatibus illa laborat, quas non tam facilè expedias; nam primùm, arbores nondùm sub veris adventu induerunt folia, quæ ventus movere et impellere possit; deindè hinnuli non sub veris adventu, sed sub ejus fine, mense Junio demùm, quo nascuntur, matres suas sequi solent; aiunt quidèm plurimas in Italiâ esse arbores silvestres, v. c. laurum, myrtum cett. quæ hieme non priventur foliis; sic et per *folia mobilia* ea, quæ in terram decideriut, intelligi posse; cervas autem et capreas per duos et tres annos secum ducere hinnulos; sed illas arbores vel arida folia humi jacentia poetam respexisse vix probabile, et alterum de hinnulis falsum est; caprearum enim et cervarum pulli, jàm unum annum nati, neque ampliùs sunt hinnuli, neque matribus adhuc adhærent, multò minùs eas pavidas in silvis quærunt; itaque cùm omnes has difficultates removeat illa ingeniosè et levissimâ mutatione à Bentleio constituta lectio, eam in textum receptam secutus sum. —*Et corde et genibus tremit :* cor ei micat, subsilit, genua labant.

3. *Atqui* : attamen. — *Tigris ut aspera, Gætulusve leo :* cùm puellam hinnuleo similem dixerit, rectè comparationi instat primùm institutæ, dùm se nec tigridi, nec leoni similem asserit. — *Gætulus :* Gætulia, pars Africæ, Mauritaniæ, ad meridiem, contigua. Africa autem, *leonum arida* nutrix. v. in Od. præced. v. 15. — *Frangere persequor :* græcè pro *persequor ad te frangendam : frangere* autèm hic aptissimè ponitur, sive ad feras relatione, quæ dentibus *frangunt* et conterunt membra ossaque animalium fami suæ objectorum, sive ad furorem amantium qui, cæco impetu abrepti, virgini vim inferre aliquandò non dubitant, quòd eam, sive ejus virginitatem *frangere*, proprio, subobsceno tamèn sensu dicitur. Horatius se à tam scelestâ temeritate abhorrentem profitetur. — *Tandèm :* fruendi impatientiam significat. — *Matrem sequi :* servatâ imagine de hinnulo, pro, eam comitari, lateri ejus

Tandem desine matrem
Tempestiva sequi viro.

semper adhærere. — *Tempestiva viro : jàm matura viro, jàm* *plenis nubilis annis.* Virg. Æn. VII, 53.

ODE VIGESIMA QUARTA

AD VIRGILIUM.

Virgilium Quinctilii mortem immoderatè deflentem consolatur, hortaturque ut malum immedicabile patientiâ leniat.

Quis [1] desiderio sit pudor aut modus
Tam cari capitis? Præcipe [2] lugubres
Cantus, Melpomene, cui liquidam pater
Vocem cum citharâ dedit.
Ergò [3] Quinctilium perpetuus sopor

1. *Quis desiderio sit pudor aut modus tàm cari capitis?* Nunquam satis poetæ artem admirabimur, qui, non à severis philosophiæ præceptis, amicum consolandi initium ducit, sed è contrà, viâ longè faciliori, justum piumque ejus dolorem probat, et mollissimo affectu in illius societatem venit. Egregium verè et omni laude dignum artificium! Sic in Racinii nostri *Iphigeniâ*, Ulysses, dùm Agamemnona filiæ suæ sorti nimiùm indolentem, ad firmiores sensus revocare tentat, cum miserrimo patre collacrymari se fingit: *Mon cœur se met sans peine à la place du vôtre, Et, frémissant du coup qui vous fait soupirer, Loin de blâmer vos pleurs, je suis près de pleurer.* Sensus igitur: nè te pudeat, ô Virgili, in gemitus erumpere; nullum dolori tuo modum impera.

2. *Præcipe lugubres cantus, Melpomene:* monstra mihi, doce me modos luctui aptos. Melpomenen, pro aliâ quâlibet musâ invocat, quasi præ doloris gravitate, ipse canendo sit impar. — *Pater:* Jupiter. — *Liquidam vocem:* claram, suavem, sonoram; *Vallibus et cygni gelidis orti ex Heliconis Cùm liquidam tollunt lugubri voce querelam.* Lucret. IV, 552.

3. *Ergò:* vox dolentis et indignantis! — *Quinctilium.* Erat ille affinis Virgilii et amicus.

Urget! cui Pudor, et Justitiæ soror
Incorrupta Fides, nudaque Veritas
Quandò ullum inveniet parem?
Multis ille bonis flebilis occidit:
Nulli flebilior quàm tibi [4], Virgili!
Tu frustrà pius, heu! non ità creditum
Poscis Quinctilium Deos.
Quod si Threicio blandiùs Orpheo
Auditam [5] moderere arboribus fidem,

poeta ipse quoque non contemnendus, Cremonensis dictus à patriâ: non ille Quinctilius Varus, qui, ut Tacitus fusè scribit, legiones amisit in Germaniâ, ad quem forte scripta est ode hujus libri XVI. Is certè cùm sibi necem amisso exercitu conscivit anno U. C. 762, jam obierant Virgilius et Horatius. — *Perpetuus sopor Urget:* per euphemismum, pro Mors occupat. *Illi dura quies oculos et ferreus urget Somnus;* Virg. Æn. XII, 309. — *Cui:* refer ad *parem;* quandò Pudor, fides etc. invenient ullum illi parem? — *Incorrupta fides:* quæ neque gratiâ flecti, neque muneribus corrumpi, neque oblatâ cupiditatis explendæ occasione mutari potest; undè meritò dicitur *soror justitiæ.* — *Nuda veritas:* aperta, fraudis nescia, fuci expers.

4. *Nulli flebilior quàm tibi:* ad propositum finem pergit Horatius; permittit nulli magis quàm Virgilio lacrymas, paulatim indè ad consolationem delapsurus. — *Tu frustrà pius, heu!* Nexus sententiæ; jure quidem illacrymaris Quinctilio, sed eheu! frustrà; quid fletus, quid vota pia pro amico nuncupata prosunt? — *Non ità creditum:* non eà tibi conditione concessum, ut nunquam moreretur. Nàm, ut ait Lucret. III, 984, *Vitaque mancipio nulli datur, omnibus usu.* Præcariam quippè vitam agimus, donatoris arbitrio ponendam.

5. *Auditam arboribus fidem:* lyram, cujus dulcedine ipsæ arbores allectæ, è jugis montium descendebant et Orphea sequebantur. — *Non vanæ redeat sanguis imagini:* Discernebant veteres animam inter et imaginem mortuorum; anima simplex, incorporea, simul ac corpore solvebatur, sortem suam subibat pro meritis, cœlo vel tartaro addicta. Imago autèm erat inanis quædam et vacua corporis repræsentatio, simulacrum formam defuncti retinens, sed carens carne, sanguine et ossibus. Consule sextum Æneid. librum in quo universum illud systema pulcherrimis versibus adornatum explicatur, et præcipuè v. 294: *tenues sine corpore vitas Admoneat volitare cavæ sub imagine*

Non vanæ redeat sanguis imagini,
Quam virgâ semel horridâ [6],
Non lenis precibus fata recludere,
Nigro compulerit Mercurius gregi.
Durum! Sed levius fit patientiâ [7],
Quidquid corrigere est nefas.

formæ, et 701, *tèr frustrà comprensa manus effugit imago.* Porrò, ut hæc imago corpus viventis hominis rursùs fieret, necesse fuisset ut dii restituissent ei sanguinem, ossa, nervos, etc.

6. *Quam virgâ semel horridâ:* de Mercurio, et istâ ejus ministeriorum parte v. s. X, 17 et 18.— *Non lenis precibus fata recludere.* Qui per piissimas preces nunquàm exorabitur ut fata recludat; *fata autem recludere* sic accipe; recludere viam inferorum in perpetuum occlusam iis quos fata ad inferos semel detruserunt.

7. *Levius fit patientiâ:* Sic Virg. *Superanda omnis fortuna ferendo est.* Æneid. V, 710.

ODE VIGESIMA QUINTA

IN LYDIAM.

Lydiam jàm senescere incipientem carmine hoc verè satyrico irridet Horatius, et turpissimam sortem ei jàm imminentem prænuntiat.

Parcius [1] junctas quatiunt fenestras
Ictibus crebris juvenes protervi,
Nec tibi somnos adimunt; amatque
Janua limen,
Quæ priùs [2] multùm facilis movebat
Cardines. Audis minùs et minùs jàm

1. *Parciùs :* minùs frequentèr quàm antea. — *Juvenes protervi junctas quatiunt fenestras :* solebant juvenes noctu ad puellarum ædes excubare, de earum duritie queri, querelis admiscere convicia, vi denique, foribus effractis vel fenestris, aditum sibi facere. v. Od. III, 26, 7. Porrò meretrices è repetitis protervæ istius juventutis assultibus laudem sibi et lucrum quærebant. Junctas dicit fenestras quæ nihil aliud erant quàm muri aperturæ, duabus ligneis valvis seu foribus clausæ. Undè Ovid. ex Pont. III, 3, 5: *Nox erat, et bifores intrabat luna fenestras.* — *Amatque Janua limen :* metaphoricè; se à limine avelli quasi ægrè patitur, id est, à limine vix recedit propter amatorum infrequentiam.

2. *Quæ priùs multùm facilis :* nonnulli legunt *faciles* et referunt ad *cardines.* Quid interest? nemo nescit januam eò faciliùs aperiri quò frequentiùs. — *Audis minùs et minùs jàm :* exquisita ejusdem vocis *minùs* repetitio, quasi de die in diem decresceret et *minor* fieret amatorum concursus!

« Me tuo [3] longas pereunte noctes,
« Lydia, dormis! »
Invĭcèm mœchos anus arrogantes
Flebis in solo levis angiportu,
Thracio bacchante magis sub inter-
lunia vento :
Cùm tibi flagrans amor, et libido,
Quæ solet [5] matres furiare equorum,
Sæviet circà jecur ulcerosum;
Non sine questu [6]

3. *Me tuo* : cantilenæ exordium quam Græci παρακλαυσίθυρον vocabant, quòd antè portas clausas caneretur : cujus eximia reperies specimina, primum in Nostro, iufrà III, 10; duo altera in Theocrito, Idyll. 3 et 23. *Me tuo* qui te perditè amem. — *Longas pereunte noctes :* omnia per longas noctes perpetiente quæ mihi mortem præmaturam afferre possunt, pluviam, ventos, frigora, et tua præsertìm fastidia.

4. *Invicèm :* justà rerum conversione. — *Mœchos arrogantes flebis :* flebis, quòd turpitèr prostans, et in triviis quærens adulteros, juvenibus quidem occurres malè moratis et ad investiganda scorta noctu vagantibus, sed qui te, ut vetulam ignominiosè respuent, ergà te provocantem arrogantes. Quot autem ad augendam Lydiæ infamiam congerit! lege. *Anum* vocat per emphasim, quæ ad senium tantummodò vergebat.—*Levis*, sive nullius pretii, sive inconstans, quæ, mutato animo, nùnc amatoribus quos superbè tractaverat publicè obviàm ire non dubitet; seu potius vagò errans, mobilis per vicos et trivia.—*In solo angiportu;* in fœdissimis et periculosissimis urbis partibus. — *Thracio bacchante magis sub inter-lunia vento.* Boreali vento, qui est frigidissimus, furentèr flante; constat autèm nunquàm ventos vehementiùs debacchari, quàm interluniorum tempore. *Interlunium* est, ubi luna vetus non ampliùs conspicitur, nec adhuc nova apparet. *Interluniorum dies tempestatibus plenos et navigantibus quàm maximè metuendos non solùm peritiæ ratio, sed etiàm vulgi usus intelligit.* Veget. IV, 40.

5. *Quæ solet matres furiare equorum. Scilicet antè omnes furor est insignis equarum*, Virg. Georg. III, 280. *In furias agitantur equæ*, Ovid. A. a. II, 487. — *Sæviet circà jecur ulcerosum :* Jecur, in quo sedes libidinis reputatur, sævissimè ulcerabit, inflammabit.

6. *Non sine questu quòd :* ridiculum acri addit; quid enìm insulsius vetulà indignante sibi

Læta quòd pubes hederâ virenti
Gaudeat pullâ magis, atque myrti
Aridas frondes Hiemis sodali
Dedicet Hebro. 20

præponi puellas ætatis flore vigentes? *Hederâ virenti Gaudeat pullâ magis;* hìc, fateor, à lectione et interpretatione ferè omnium Horatii interpretum, recessi. Sìc priorem phraseos partem intelligo : quòd pubes amet magìs hederam virentem, quàm hederam marcidam, et ætatis progressu pullam, id est, subfuscam. Botanicæ artis quæstio tota est. Constatne apud peritos plantarum observatores, hederam, proùt senescit, nigrescere; nascentem verò et nondùm adultam tenerrimo et vivido colore virere? rem à me observatam fuisse, levissimi foret ponderis; verùm viros ruri degentes et doctissimos consului, qui judicium ex oculis meis primò depromptum experientiæ suæ testimonio confirmaverunt. Sensus jàm liquet. — *Atque myrti aridas frondes :* jàm nulla difficultas; myrti ipsius, Veneri et Amoribus sacræ, folia, cùm marcuerunt, ab amantibus neglecta jacent. In ceteris editionibus pro *myrti* legitur *myrto*, quæ vox, nullâ appositâ interpunctione, cum verbis præcedentibus jungitur, ità ut legant, *pullâ magis atque myrto;* et per *pullam myrtum*, myrtum viridem interpretentur; quòd omninò intolerandum. *Pullus* idem valet ac *niger*. Exempla affluunt : *ne maculis infuscet vellera pullis,* Virg. Georg. III, 389. *Alba decent Cererem; vestes cerealibus albas Sumite, nunc pulli velleris usus abest :* Ovid. Fast. IV, 620. *In aliis regionibus nigra terra, quam pullam vocant,* Plin. Hist. nat. XVII, 4. Fieri igitùr nequit ut cùm *hederam virentem* in signum juventutis Horat. jactaverit, idem, eodem sensu, eâdem phrasi *pullam myrtum*, id est, nigram usurpet. Hæc locum attentè meditanti sufficiant. — *Hiemis sodali dedicet Hebro* : alitèr et in recentior. interpret. *dedicet Euro.* Nullâ de causâ hæc immutatio. *Eurus* nequaquam dicendus est *Hiemis sodalis,* qui, cùm sit ventus flans ob oriente, nullam ad hybernum tempus relationem habet. Hebrus autem, Thraciæ fluvius est, hodiè *Mariza*, quam regionem veteres ut Hiemis sedem fingebant. Scortillum autem marcidum et exoletum, cui, sub caducorum myrti foliorum imagine alludit, quem potiùs maritum obtinere decet, quàm fluvium nivalem, et gelu perpetuo quasi concretum? Strictiore sensu, *Hebro dedicare*, est à Româ ejicere et in barbaras glacialesque plagas relegare, quam sortem Lydiæ ominari finiendo videtur.

ODE VIGESIMA SEXTA

AD ÆLIUM LAMIAM.

Se dulci musarum commercio à civilibus curis jàm abstractum, totam artem, ingeniique poetici vim canendo Ælio Lamiæ consecrare velle.

Musis amicus, tristitiam [1] et metus
Tradam protervis in mare Creticum
Portare ventis [1] : quis sub Arcto [2]
Rex gelidæ metuatur oræ,

1. *Tristitiam et metus tradam protervis ventis :* proverbium omnibus ferè gentibus usitatum quo quis se rem quamlibet negligere, parvi pendere asserit. Ἀλλ' ἀνεμοισι δῶομεν ἀμπλακίην, Apollon. Rhod. I, 1335. *Auræ Omnia discerpunt, et nubibus irrita donant,* Virg. Æneid. IX, 313, et gallicè, vulgari et familiari sermone : *autant en emporte le vent.* — *Tradam portare :* pro, tradam ad portandum, hellenismo jàm sæpè sæpiùs notato. — *In mare Creticum :* pars erat Ægæi maris, tempestatibus obnoxia, designata ob hanc causam ut digna sedes tristitiæ et metùs, quibus, veluti procellis, mens humana agitatur. Porrò securitatem illam ad intimum cum Musis commercium refert: ideò tantùm quià *Musis amicus est*, ab omni ægritudine et metu immunem se profitetur.

2. *Quis sub Arcto :* multi legunt *queis* vel *quís*. Meræ nugæ! ad explanandum odes sensum quid refert? Agit poeta de rebus bellicis, et externis, et longinquis; innuit se res ab affectibus suis alienas, viris politicæ addictis libentissimè relinquere. — *Quid Tiridatem terreat.* Phraates è Parthorum solio à Tiridate deturbatus, nunc auxilio regis Scytharum fretus, regnum recuperare meditabatur. v. de eodem Phraato, Od. II, 2, 17. *Redditum Cyri solio Phraaten*, et no-

Quid Tiridatem terreat, unicè
Securus. O, quæ fontibus integris [3]
Gaudes, apricos necte flores,
Necte meo Lamiæ coronam
Pimpleï dulcis! nil sine te, mei
Possunt honores: hunc fidibus novis,
Hunc Lesbio sacrare plectro
Teque tuasque decet Sorores.

tam in h. l. — *Unicè securus:* Romæ multus erat sermo de illo Tiridate, et anxia curiositas de belli contrà eum suscepti eventu. Horatius *unus* (hic est enim sensus adverb. *unicè*) Musarum amicitiam talibus curis præponebat.

3. *O, quæ fontibus integris:* fontes poeticos intelligit, ceteris vatibus Romanis hactenùs inaccessos; lyrico carmini alludens quod primus Romam invexerat, ut ipse gloriatur, III, 30, 13, *Dicar princeps Æolium carmen ad Italos deduxisse modos.* Sic Virg. Georg. II, 175, *sanctos ausus recludere fontes.* — *Apricos flores:* flores in apricis locis nati, vividiores è solarium radiorum contactu colores contrahunt. — *Meo Lamiæ*: Ælius Lamia è nobilissimâ et antiquissimâ gente ortus (v. Od. III, 17, 1), rebus Cantabrico bello gestis clarissimus, anno octavo post mortem Horatii, consulatum cum M. Servilio gessit. — *Pimpleï dulcis:* Πιμπλή; Musæ à Pimplâ, vel Pimpleâ, Macedoniæ monte, cujus in radice fons Pimplæus, Musis sacer, Pimpleæ, Pimpleides appellatæ sunt. — *Mei honores:* quidquid ingenii, quidquid per ingenium honoris sortitus sum. — *Fidibus novis:* inaudito Romanis fidium lyricarum sono. v. suprà. — *Lesbio plectro:* ad normam et modos Alcæi et Sapphus, qui, è Lesbo oriundi, summam in lyrico carmine gloriam adepti erant. — *Sacrare*: energicè: poetarum enim laudibus egregii viri hominum memoriæ et quasi immortalitati consecrantur.

ODE VIGESIMA SEPTIMA

AD SODALES.

Non meditatum, sed extemporale videtur hoc carmen (gallicè, un impromptu), in quo ortam inter amicos compotantes rixam lenibus consiliis sedare primùm tentat Horatius. Mox tranquillos et vinum repetentes, ne fortè pugna recrudesceret, ad risum lætitiamque solertissimo artificio vocat, oculos mentesque in unum è junioribus convivis vertendo, quem adigit ut nomen puellæ amatæ clàm in aures suas insusurret; quo audito reclamat Horatius, amicumque jubet periculosissimo gravissimoque jugo sese subducere. Elocutio carminis admodùm vivida, felici quâdam lyrici et dramatici generis permixtione.

Natis [1] in usum lætitiæ scyphis
Pugnare Thracum est : tollite barbarum
Morem, verecundumque Bacchum
Sanguineis prohibete rixis.
Vino et lucernis [2] Medus acinaces
Immane quantùm discrepat! impium

1. *Natis :* factis. *Accipe non vili calices de pulvere natos;* Martial. XIV, 102. — *Thracum est :* v. suprà XVIII, 9. — *Verecundumque Bacchum :* Bacchum cujus donis verecundè, moderatè uti decet. Aliàs, Od. V, 11, 19, *inverecundus* idem deus appellabitur, nullà contradictione, iis qui sobriè bibunt *verecundus ;* ebriosis et fervidiore mero arcana revelantibus, *inverecundus*, per accommodatam in utroque casu metonymiam, dicendus. Sic in poetis Venerem modò sævam, modò dulcem, aut blandam reperies.

2. *Vino et lucernis :* compotationes nocturnas, lucernarum, sive lampadum splendore exhilaratas indicat. — *Medus acinaces :* gladius persicus, acie latâ et incurvâ; vox ipsa *acinaces* est persica. — *Immane quantùm :*

Lenite clamorem, sodales,
Et cubito remanete presso.
Vultis severi me quoque sumere
Partem Falerni [3]? dicat Opuntiæ
Frater Megillæ, quo beatus
Vulnere, quâ pereat sagittâ.
Cessat voluntas? — Non aliâ bibam
Mercede [4]. — Quæ te cunque domat Venus
Non erubescendis adurit
Ignibus, ingenuoque semper
Amore peccas. Quidquid habes, age,

quàm multùm discrepat! id est, mirum in modum, summoperè. Locutio est à Græcis desumpta. Θαυμαστὸν ὅσον, ἀμηχανον ὅσον, quàm mirum! quàm difficile! — *Impium clamorem :* quo amicitia, quo dii hospitales, quo Bacchus ipse offenditur. — *Et cubito remanete presso :* surrexerunt convivæ quasi ictus sibi invicèm illaturi; jubet eos Horat. sese in toris reponere, rursùs sedere, et remanere presso, de more accumbentium, cubito, id est cubito sinistro innixi. Hoc enim corporis habitu ac situ cœnabant Romani veteres, ut modicè inflexâ et incurvatâ superiore corporis parte, cubitoque sustentatâ, reliqua jacerent, quod propriè est accubare, seu accumbere; nam recumbere est toto jacere corpore, ità nempè composito, ut somnum facilè possis capere. — *Presso :* in pulvinar impresso et infixo, qui torum premat, qui admotus cubili, in eo hæreat.

3. *Severi Falerni :* approbabatur delicatis Falernum, proùt gratâ quâdam amaritudine sapor ejus condiebatur; ut ex illo Catulliano apparet, XXIV, 1 : *Minister vetuli, puer, Falerni Inger mî calices amariores.* Ideò hìc *severus*, austerus, et amaritudine commendandus dicitur. — *Megillæ Opuntiæ :* Megilla dicitur Opuntia ab ejus patriâ, Opunte, Locridis oppido. — *Beatus, vulnere, pereat :* felicem verborum oppositionem! Amantes enim, ut satis notum, semper apud poetas, tormentis suis lætantur, vulnera sua diligunt, etc.

4. *Non aliâ mercede :* non alio pacto, non aliâ conditione. — *Quæ te cunque domat Venus :* quæcumque amica te suo jugo submittit. — *Amore peccas ingenuo :* rectè *ingenuo* cum *peccas* conjungitur. Sunt enim varii gradus in amatoriis erroribus; peccat quidem qui amori indulget non legitimo; sed multò turpiùs qui vilî scorto et ab omni parte contemenndo adhæret.

Depone tutis auribus [5]. — Ah! miser
Quantâ laboras in Charybdi
Digne puer meliore flammâ!
Quæ saga [6], quis te solvere Thessalis
Magus venenis, quis poterit Deus?
Vix illigatum te triformi
Pegasus expedict Chimærâ.

5. *Depone tutis auribus :* hic Poetæ sermo aliquantispèr interrumpitur; audit sibi commissum puellæ nomen, et statìm exclamat, *Ah! miser!* quod per honestos amici mores præsumsisse prohibitus fuerat, nùnc ejus confessione edoctus, admittere, et lenitèr reprendere cogitur. — *Quantâ laboras in Charybdi!* quanto versaris in periculo! quàm rapacem et avaram meretricem (proptèr voracitatem Charybdi attributam) nactus es! Charybdis autem notissima Italiam inter et Siciliam vorago, de quâ, ut de Scyllâ, oppositâ voragine, consule Virg. Æn. III, 420 sq.

6. *Quæ saga?* quæ mulier incantatrix? — *Quis magus?* est magus, qui veneficas et legibus prohibitas artes exercet. Nàm, cùm *Magi*, apud Persas, deorum cultui vacare solerent, in tantùm posteà aucta est eorum vanitas, ut non solùm observatione siderum futura prædicere, sed artibus populo incognitis, et maleficiis, scire se omnia et agere posse profiterentur. — *Thessalis venenis :* Thessalia, regio Græciæ ad Orientem, inter Macedoniam, Albaniam, Achaiam et mare Ægæum, Urbes habebat præcipuas Larissam, Pharsalum, Philippos, Termopylas; fluvium verò, Peneum. In eâdem frequentes venefici, et herbæ idoneæ istis artibus. — *Pegasus :* equus alatus, è sanguine Medusæ, cùm hujus caput à Perseo abscinderetur, natus, ac Pegasus dictus, quia propè fontem ortus erat, in eo loco quem Gorgones incolebant : πηγὴ, *fons.* Equus autem ille ubi primùm est editus evolavit in montem Heliconem, ibìque saxum ungulâ feriens fontem aperuit, qui ex eo Hippocrene, id est, fons equi, ἵππου κρήνη, est appellatus. — *Triformi Chimerâ :* monstrum fuisse aiunt in Lyciâ, Asiæ minoris regione, conflatum è tribus feris, leone, caprâ, et ignivomo dracone. Illud Bellerophon domuit : mons erat in cujus summo stabulabant leones, et flammæ identidèm erumpebant : in medio capræ pascebantur; in imo dracones delitescebant; fecitque Bellerophon ut iste mons habitari tutò et coli posset.

ODE VIGESIMA OCTAVA

Nauta quidam, dùm Apuliam prætervehitur, in insepultum Archytæ philosophi Pythagorei, corpus incidit, ac primùm ipse umbram Archytæ nondùm in inferos receptam alloquitur; quæ, cum impositam omnibus moriendi necessitatem respondendo commemoret, quàm inania sint magistri sui de animarum transmigratione dogmata videtur edocere, et exemplo suo demonstrare. Hæc igitur ode verè satyrica et contrà Pythagoreos scripta haberi debet, quos ab Epicureo vate irrisos fuisse nemini mirum fuerit.

NAUTA.

Te maris et terræ [1] numeroque carentis arenæ
Mensorem cohibent, Archyta,
Pulveris exigui propè litus parva Matinum
Munera : nec quidquam tibi prodest

1. *Te maris et terræ :* Pulcherrima antithesis ! Tu qui universum orbem quasi in mente tuâ, per vim intelligentiæ continebas, nunc, etc. — *Numeroque carentis arenæ :* subest jàm aliquod derisionis indicium; quis enim vir sapientis nomine dignus, verè innumerabiles arenas calculo submittere tentaverit? Hinc, apud Græcos, ἄμμον μετρεῖν, *arenam emetiri* per proverbium, de quâlibet re insanè et inutilitèr tentatâ, vulgabatur. Vide Virg. Georg. II, 103. — *Cohibent :* tàm exiguum spatium, sex, v. g. pedum fossa, te continet, quem vivum orbis totus non capiebat ! Dixerit aliquis, si injectus erat pulvis cadaveri Archytæ, non erat igitur insepultum. Respondeo, parti tantùm corporis malignè injectum pulverem ac parcè fuisse, ità ut maxima pars esset inhumata; itaque sub finem odæ, idem Archytas orat nautam ut affatim et largiter arenam injiciat. Aliter etiàm explicari potest istud *cohibent;* nempè, quia sepulchri beneficium, quod, licèt exiguum, tibi tamen negatum est, umbra tua, insepulto corpore, vagatur, atque cohibetur,

Aerias tentasse domos [2], animoque rotundum
Percurrisse polum, morituro.

ARCHYTAS [3].

Occidit et Pelopis genitor, conviva deorum,
Tithonusque remotus in auras,
Et Jovis arcanis Minos admissus [4] : habentque
Tartara Panthoïdem, iterùm Orco

ne inferos adeat, ne Stygen transmittat. Insepulti enim arcebantur ab Elysiis campis. Virg. lib. VI, vers. 325. JUVENC. — *Pulveris exigui parva munera :* pulvis, debitum quidèm munus et officium, sed avarè nimis coucessus. *Matinum littus :* Matini populi sunt Apuliæ, in Lucaniæ finibus.

2. *Aerias tentasse domos :* res celestes, astronomica phænomena exploravisse. Eodem sensu, Virg. Æn. III, 32, et *causas penitùs* tentare *latentes.* — *Morituro :* quàm gravitèr per hanc vocem *morituro* concluditur periodus! Notent juveues musarum alumni quantùm inesset discriminis, si eamdem vocem alia quæcumque phraseos pars accepisset.

3. Archytas hìnc usque ad finem loquitur. — *Pelopis genitor :* Tantalus, Phrygiæ rex, qui, cùm Deos in terris peregrinantes hospitio excepisset, ut certo aliquo argumento Divinitatem eorum experiretur, filium suum cæsum illis epulandum apposuit; revocandum ab illis ad vitam non dubitans, si dii essent. Feralem escam cùm cæteri Dii refugissent, sola Ceres Pelopis humerum dextrum assumpsit. Quarè Jupiter cùm Pelopem ad vitam revocasset, humerum illi eburneum restituit: patrem verò tanti sceleris auctorem ad inferos detrusit, ubi Eridani fluvii aquis mento tenùs immersus, et pendentibus ab arbore capiti imminente pomis, perpetuâ tamen fame ac siti cruciatur, desidentibus dùm admovere labra tentat, aquis; pomis sublime, dùm ea captat, avolantibus. JUVENC. — *Thitonusque remotus in auras :* Laomedontis Trojanorum regis filius, Memnonis pater, quem Aurora, ejus amore capta, rapuit, curruque sublatum subvexit in Æthiopiam. Senio confectus, post longissimam quam petierat ab Aurorâ, vitam, in cicadam denique mutatus fingitur ab aliis, ab aliis extabuisse diuturno senio dicitur, et veluti fumus evanuisse. Duplici ergò sensu rectè intelligi potest *Tithonum remotum fuisse in auras;* longâ enim ætate minùs mortuus esse quàm evanuisse videri poterat, ut infrà, Ode II, 16, 30 : *longa Tithonum* minuit *senectus ;* vel simplicitèr Tithonum Auroræ curru evectum interpretare.

4. Et *Jovis arcanis Minos ad-*

Demissum, quamvis, clypeo Trojana refixo
Tempora testatus, nihil ultrà
Nervos atque cutem Morti concesserat atræ;
Judice te non sordidus auctor

missus : Minos, dùm viveret, rex et legislator apud Cretenses, ut autem legibus suis majorem auctoritatem conciliaret, se Jovis familiaritate et consiliis uti jactaverat, undè in Odysseâ τ, 149, Διὸς μεγάλου ὀαριστὴς, appellatur. — *Habentque Tartara Panthoïden :* Pythagoras philosophus fuit Samius, Mnesarchi filius, qui post Ægyptum, Babylonem, Spartam, aliasque celeberrimas orbis terrarum urbes ac regiones, discendi studio, lustratas, cùm in Samum insulam Ægæi maris, patriam suam, revertisset, eamque à Polycrate tyranno videret occupatam, secessit in Italiam, delectâque sede apud Crotoniatas, philosophiam ibi est professus, quo tempore Servius Tullius Romæ regnabat. Primus docuit μετεμψύχωσιν, id est animarum transfusionem in alia corpora; idque ut persuaderet, affirmabat primùm, se Æthalidem, Mercurio natum fuisse; deinde Euphorbum Panthoi, ducis Trojani, Hecubæ fratris, filium, qui à Menelao est interfectus; posteà Hermotimum, etc. JUVENC. — *Iterùm Orco demissum :* primò cùm esset Euphorbus, iterùm verò, cùm esset Pythagoras : de hâc tantùm metempsychosi loquitur poeta. — *Quamvis clypeo Trojana refixo* etc. : Ita Pythagoras de se ipse canit apud Ovid. XV Metamorphoseon, vers. 160 : *Ipse ego, nam memini, Trojani tempore belli Panthoïdes Euphorbus eram; cui pectore quondam Hæsit in adverso gravis hasta minoris Atridæ : cognovi clypeum, lævæ gestamina nostræ, Nuper Abanthæis templo Junonis, in Argis.* Hunc porrò Euphorbi clypeum Menelaüs, inter cetera Trojanorum spolia, in templo Junonis fixerat : Pythagoras verò refixerat, id est detraxerat, et suum olim, cùm esset Panthoi filius, fuisse agnoverat. — *Nihil ultrà Nervos atque cutem, etc. :* corpore solo veluti mortuus erat, animâ in aliud corpus transeunte, et ibi vitam recentem inchoante. Animas enim suas Pythagorei dicebant non modò esse immortales, quod philosophi ceteri, si fortè Epicureos excipias, non negabant, sed corpori semper alicui junctas, et integræ vitæ compotes esse : quippe animæ quasi dimidiatam tantùm vitam habent cùm sunt à corpore separatæ; plenam et totam, cùm eidem insertæ. — *Judice te.* Nonnulli legunt : *judice me,* quod æquè mihi approbatur. — *Non sordidus :* non contemnendus, in magno pretio ducendus, figurâ rhetoricis usitatissimâ. — *Auctor naturæ verique;* qui de rerum naturâ, de diis, de mun-

Naturæ verique. Sed omnes una manet nox [5],
Et calcanda semel via lethi.
Dant alios Furiæ torvo spectacula Marti [6]:
Exitio est avidum mare nautis :
Mixta senum ac juvenum densnteur funera, nullum
Sæva caput Proserpina fugit.
Me quoque devexi rapidus comes Orionis [7]
Illyricis Notus obruit undis.
At tu, nauta, vagæ ne parce malignus arenæ [8]
Ossibus et capiti inhumato

do verissimè et sanissimè disseruit, et inaudita hactenùs dogmata protulit, extrà dubium à sapientibus posita. Ne excidat Pythagoreum loqui.

5. *Sed omnes una manet nox :* conjungenda vox *sed* cum præcedentibus, quasi diceret : Frustrà deos mensæ tuæ adhibueris, frustrà deæ dilectus fueris, etc., sed tamen tibi, ut aliis hominibus, moriendum erit. — *Et calcanda semel via lethi :* Sic in Epist. D. Pauli ad Heobræs, IX, 27 ; *Statutum est omnibus hominibus semel mori.*

6. *Dant alios Furiæ torvo spectacula Marti :* Furiæ enim præliis intersunt, pugnantes ad cædem incitant et cadavera occidentium, gratum Marti spectaculum, Deo ostentant qui sanguine gaudet. — *Densentur :* vel densantur; *densere* et *densare*, alterum pro altero promiscuè usurpatur; *densare tamen* purioris est latinitatis. — *Nullum caput Proserpina fugit*, vel per hypallagen, pro nullum caput fugit Proserpinam, vel allusione ad veterem superstitionem quâ credebant non antè morti proximos supremum posse exhalare spiritum, quàm à Proserpinâ tondereutur, his veluti primitiis Orco auctorati ; ut Virg. de Didone : *nondùm illi flavum Proserpina vertice crinem Abstulerat.* Æn. IV, v. 698.

7. *Me quoque devexi..... Orionis :* venator insignis fuisse dicitur, qui à scorpione vulneratus, vel, ut Horatius lib. II, od. 4, canit, à Dianâ, cui vim inferre tentabat, sagittis confixus, in cœlum translatus est, et propè Tauri sidus collocatus. Constat hoc Orionis signum stellis sexdecim, et magnas, cùm oritur occiditve, tempestates concitat : undè *nimbosus Orion* vocatur à Virgilio, et hic datur illi comes Notus, meridianus ventus ater et procellosns. — *Devexi :* in occasum proni.

8. *Ne parce malignus arenæ :* arenâ, non avarè, sed tàm abundantèr corpus meum cooperi, ut verâ et absolutâ sepulturâ fruar, et ità tandem conquiescam.

Particulam dare. Sic, quodcunque minabitur Eurus [9]
Fluctibus Hesperiis, Venusinæ
Plectantur silvæ, te sospite! multaque merces,
Undè potest, tibi defluat æquo
Ab Jove, Neptunoque sacri custode Tarenti!
Negligis [10] immeritis nocituram
Postmodo te natis fraudem committere? Fors et
Debita jura [11] vicesque superbæ
Te maneant ipsum : precibus non linquar inultis;
Teque piacula nulla resolvent.
Quamquam festinas, non est mora longa; licebit
Injecto ter pulvere curras [12].

9. *Sic, quodcumque minabitur Eurus :* adjurantis est et comprecantis; rogat enim, si nauta eum sepeliverit, ut omnes tempestates à mari avertantur in sylvas. — *Venusinæ :* Venusia, Apuliæ oppidum, Horatii patria; Venusinas autem sylvas, ut sibi magis notas, pro quibuslibet aliis sylvis poeta nominat. — *Undè potest :* à quibus solis digna officio merces in te potest defluere; Jupiter enim omnium bonorum fons; Neptunus navigantium tutelam habet. — *Sacri Tarenti :* conditum fuerat Tarentum à filio Neptuni, qui ob hanc causam in eo præcipuè colebatur.

10. *Negligis :* leve putas, parùm curas. — *Immeritis natis nocituram fraudem :* culpam quam præsumis non à te, sed à filiis tuis tantummodò eluendam. Religionis erat sepelire mortuos; inuuit Horat. deorum contemptorem, impium quoque esse in posteros.

11. *Fors et debita jura :* erras autem; tu ipse forsan pœnas lues, et tibi debitas. — *Vicesque superbæ :* pœnæ ob superbum et immane factum vicissim subeundæ. — *Teque piacula nulla resolvent.* Vide infrà, Epod. V, 88, *dira detestatio Nullâ expiatur victimâ.*

12. *Licebit curras : currere* pro navigare, familiare poetis est.

ODE VIGESIMA NONA

AD ICCIUM.

Lenitèr increpat Horatius juvenem quemdam, sibi amicum, qui studiorum philosophicorum desertor, ad militiam se contulerat, divitiarum cupiditate illectus.

Icci, beatis nùnc Arabum invides
Gazis [1], et acrem militiam paras
Non antè devictis Sabeæ
Regibus [2], horribilique Medo
Nectis catenas. Quæ tibi virginum
Sponso necato barbara serviet?

1. *Beatis Arabum gazis :* Gaza vox est persica, thesaurum significans, propriè ingentem et regium. *Beatas* appellat divitias, quæ, vulgari quidem et falsissimâ opinione, felicitatem possidentibus afferunt. — *Arabum :* illam Arabiæ partem intelligit, quæ à feracissimo solo, frugum et præcipuè aromatum ditissimo, Arabia Felix nuncupata est. — *Nùnc :* indicat 1° tempus expeditionis quam Augustus paravit in Arabas et Parthos, anno U. C. 730, cui cum exercitu præerat Œlius Gallus (alitèr, Largus) sub cujus signis Iccius stipendia mereri meditabatur; 2° mutationem morum Iccii, quasi diceret, Tu, qui olìm totum te philosophiæ dedideras, nùnc, etc. — *Invides :* vehementer eas appetis.

2. *Non antè devictis Sabeæ regibus :* Sabea pars est Felicis Arabiæ, thure abundans, interior et remotior; quamvis autèm nonnulli jàm reges Arabum à Romanis victi fuissent, ut Aretas à Pompeio, nondùm tamen in Sabæam arma Romana penetraverant. — *Nectis catenas :* mera est ironia; jàm mihi videre videor captivos incedere triumphali tuo currui astrictos.—*Quæ tibi virginum.....* Continuatur ironia; tantam editurus es hostium stragem, ut tibi sit in promptu eligere inter pulcherrimas captivas, quam tuo cubili digneris. — *Puer quis ex aulâ :*

Puer quis ex aulâ capillis
Ad cyathum statuetur unctis,
Doctus sagittas tendere Sericas
Arcu paterno? Quis neget arduis [3]
Pronos relabi posse rivos
Montibus, et Tiberim reverti;
Cùm tu coemptos undique nobiles
Libros Panætî, Socraticam et domum
Mutare loricis Iberis,
Pollicitus meliora, tendis?

puer regius in servitium à te redactus.—*Ad cyathum statuetur:* tibi ut Jovi Ganymedes poculum ministrabit. — *Doctus sagittas:* suavi cum irrisione auget solertiam et fortitudinem Iccii, qui juvenem bellatorem, non plebeium aut imperitum, sed nobilem, sed in arte sagittandi exercitatissimum, sed jàm adeò validum ut arcum paternum tendere non reformidet, devicerit. — *Sericas:* Seres, inter Orientis populos, optimorum sagittariorum laudem obtinebant.

2. *Quis neget arduis....* sic construe: Quis neget amnes ex arduis montibus pronos, i. e. defluentes, posse relabi, posse cursum retrò flectere? — *Panæti:* Panætius Stoïcorum doctrinæ addictus, è Rhodo oriundus: scripsit græcè libros, περὶ τοῦ καθήκοντος, *de eo quod fieri convenit*, sive *de officiis*, quos imitatus est Cicero. — *Socraticam domum:* scholam Socraticam, Platonem scilicet, Xenophontem et alios veteres Academicos. — *Loricis Iberis:* Hispanicis; dabatur Hispanis ferrum apprimè tingere, et arma optimæ temperaturæ fabricari.

ODE TRIGESIMA

AD VENEREM.

Cùm Glycera, Horatii amica, sacra pararet Veneri, cui, in domo suâ, ædiculam dedicaverat, Divam, ut dextra ac propitia cum toto comitatu his adesse velit, piis precibus poeta precatur.

O Venus, regina Cnidi [1], Paphique,
Sperne dilectam Cypron, et vocantis
Thure te multo Glyceræ decoram
Transfer in ædem.
Fervidus tecum Puer [2] et solutis
Gratiæ zonis, properentque Nymphæ,
Et parùm comis sine te Juventas,
Mercuriusque.

1. *Cnidi*, vel Gnidi; Gnidus est urbs Doridis in Cariâ, Asiæ minoris parte, simulacro Veneris à Praxitele sculpto nobilissima. — *Paphi:* Paphus, Cypri oppidum, cultu Veneris celebratum.

2. *Fervidus puer;* Amor, Cupido. — *Gratiæ:* quibus absentibus, vix ipsa Venus sit amabilis. — *Solutis zonis:* decentis libertatis indicium; ità enim Gratiæ vestiuntur, ut nihil tamen in eis alligati aut adstricti conveniat. Vide Senec. de Beneficiis, 1, 3. — *Nymphæ:* scilicet ut choreas cum Gratiis ineant. Vide sup., IV, 5. — *Parùm comis sine te Juventas:* ut enim *turpe senilis amor*, sic ab amore juventus lenocinia sua accipit. — *Mercuriusque:* Veneri comes additur, quia eloquentiæ præest, quæ ad amorem mutuò conciliandum multùm valet. Hinc Apuleius Metam. VI: *Scis sororem tuam Venerem sine Mercurii præsentiâ nihil usquàm fecisse.*

ODE TRIGESIMA PRIMA

AD APOLLINEM.

Cùm anno U. C. 726 novum Apollini templum Augustus in Palatino monte dedicaret, communibus votis vota privata immiscet Horatius, ità ut, non, ut vulgus, opes, latifundia, sed res tantùm ad vitam sustentandam necessarias, tùm animi et corporis sanitatem, honestam denique et poeseos studio exhilaratam senectutem ab Apolline expetat.

Quid dedicatum poscit Apollinem
Vates [1]? quid orat, de paterâ novum
Fundens liquorem? Non opimas
Sardiniæ segetes feracis;
Non æstuosæ grata Calabriæ [2]
Armenta; non aurum aut ebur Indicum;
Non rura, quæ Liris quietâ
Mordet aquâ taciturnus amnis.

1. *Vates :* titulum suum votis præfigit, per quem à vulgo secernitur; poetâ prorsùs indignum esset, vulgaria ab Apolline precari. — *Novum liquorem ;* vini primitias, quibus diis immolare solemne erat. *Vina novum fundam calathis Arvisia nectar*, Virg. Ecl. V, 71. — *De paterâ fundens :* in aram vel humum; quod *libare* propriè dicebatur. — *Sardiniæ :* insula est in mari Mediterraneo, à Corsicâ modico freto disjuncta. *Benignissimam* eam *urbis Romæ nutricem* vocat Val. Max. VII, 6.

2. *Calabriæ:* extrema hæc, meridiem versùs, Italiæ regio, solis ardore fervens, undè *æstuosa* dicitur.— *Grata :* aspectu læta, nitida, pinguia.—*Ebur Indicum :* Indica, pars Asiæ maxima, ad fluvios Indum et Gangem, auro, ebore, gemmis, et aromatibus dives. *India mittit ebur*, Virg. Ge. I, 57. — *Liris :* (nùnc Gariglano) fluvius Latium et Campaniam dividens, cujus utramque

Premant Calenâ falce, quibus dedit
Fortuna, vitem [3]: dives et aureis
Mercator exsiccet [4] culullis
Vina, Syrâ reparata merce,
Dîs carus ipsis; quippe tèr et quatèr
Anno revisens æquor Atlanticum
Impunè. Me pascunt [5] olivæ,
Me cichorea, levesque malvæ.
Frui paratis [6] et valido mihi,
Latoë, dones; et, precor, integrâ

ripam agri fertilissimi ambiunt. — *Mordet :* exquisitiùs pro : *alluit.*

3. *Premant Calenâ falce vitem :* pro, premant falce vitem Calenam, vitem in Campaniâ sitam, à Calibus, hujus regionis oppido, ut sup. XX, 9, *prælo domitam Caleno uvam : premere* autem *falce* est inutiles vitis ramulos præcidere, quod opus propriè appellatur *putatio.* Sic Virg. Georg. I, 156, *et ruris opaci Falce premes umbras.* Malè igitur J. Bond hanc vocem *premant* de torculari interpretatur.

4. *Exsiccet :* ebibat, ut infrà XXXV, 27, *cadi siccati* pro : epoti. — *Culullis :* cululli sunt propriè calices fictiles, quibus pontifices virginesque Vestales utebantur in sacrificiis. — *Vina reparata Syrâ merce.* Vina empta, non pecuniam quidèm solvendo, sed Syriis mercibus in pretii solutionem datis. *Parare*, est quoquo modo acquirere; *reparare* est acquirere per mutuam diversarum mercium transmissionem. Ea vis est illius reduplicativæ *re*, verbo simplici additæ.

— *Æquor Atlanticum :* mare Africanum, sic dictum à monte Atlante, qui in Mauritaniâ eminet.—*Impunè:* quià diis carus est.

5. *Me pascunt;* in nonnullis legitur : *me pascant;* quasi jam vota nuncupare inciperet vates. Liquet error. Non votis opus est Horatio, ut simplicissimo cibo et obviis ubicumque leguminibus utatur. Non tanti est ejus modi victus, ut, quasi beneficium insigne à Diis imploretur. En veram et patentem Horatii sententiam : quid ego, cui tàm communia sufficiunt, petam ab Apolline, nisi ut iis diù et tranquillè frui contingat.—*Leves malvæ :* quià ventrem solvere, nedùm stomachum gravare, creduntur.

Frui paratis : Vide præced. — *Latoë :* filii Latonæ, quæ græcè dicitur Λητὼ, Doricè Λατὼ; hinc Latonius vel Latoïus, epitheton Apollinis. — *Valido mihi, et integrâ cum mente :* duo maximè optanda conjungit, corporis et animi sanitatem : sic Juv. X, 356, *Orandum est ut sit mens sana in corpore sano.* — *Nec turpem senectam degere :*

Cum mente; nec turpem senectam
Degere, nec citharâ carentem.

sic construe: et degere senectam non turpem, senectam honoratam, ut in illo Virgiliano, Georg. III, 96, *nec turpi ignosce senectæ*, et ignosce senectæ (de seniore equo loquitur) quæ nil turpis habet, quæ à te curis et obsequio fovenda est.

ODE TRIGESIMA SECUNDA

AD LYRAM.

Suam alloquitur Lyram, eamque poscit ut sibi adesse, secumque canere non desinat.

Poscimur [1]..... Si quid vacui sub umbrâ
Lusimus tecum, quod et hunc in annum
Vivat et plures, age, dic Latinum,
Barbite, carmen,
Lesbio [2] primùm modulate civi; 5
Qui, ferox bello, tamen inter arma,
Sive jactatam religarat udo
Litore navim,

1. *Poscimur....* aliàs, *poscimus,* in modo activo; tùnc lyram illicò compellat. Si admittatur modus passivus, sensus suspenditur, quasi diceret; amici à me carmen aliquod requirunt; morem illi geramus; eia age, ô lyra, etc. utrumque placet. *Vacui :* in plurali nominativo : otiosi, à seriis rebus liberi. — *Quod et hunc in annum Vivat et plures :* formula usitata quâ rei cujuslibet perpetuitas exprimitur; καὶ νῦν καὶ ἐπειτα. — *Latinum ;* per oppositionem cum græcis Alcæi carminibus.

2. *Lesbio civi :* Alcæus ex urbe Mitylenâ oriundus erat, quæ civitas, hodiè *Metelin,* primaria est insulæ Lesbi, in mari Ægæo. — *Modulate :* sensu passivo; verba enim quæ dicuntur *deponentia*, in participio passivam retinent significationem, eâ tamen conditione, ut regimen sive objectum verbi, in dativo, non in ablativo casu ponatur. *Virginibus bacchata Lacænis Taygeta,* Virg. Geor. II, 487; *divino quondàm meditata Maroni,* Vanier, Præd. Rust. IX, 3, et passim. — *Religarat :* idem valet ac ligaverat, non verò solverat, ut vult nuperus interpres. Sic Satyrâ V, lib. I, scribit idem Horatius, *Retinaeula mulæ. Nauta piger saxo religat.* Et hoc

Liberum et Musas, Veneremque, et illi
Semper hærentem puerum canebat,
Et Lycum, nigris oculis nigroque
Crine decorum.
O decus Phœbi, et dapibus supremi
Grata testudo Jovis, ô laborum
Dulce levamen mihi cunque, salve [3],
Rite vocanti!

ipsa loci hujus sententia docet : opponit enim Vates armorum tumultum otio et quieti confectæ navigationis. Omittit hìc quoque Horatius alterum *sive*, ut suprà Od. III de Africo vento loquens, *Arbiter Hadriæ, tollere seu ponere vult freta*, et Od. XV de Sthenelo : *Sciens pugnæ, sive opus est imperitare equis.*

3. *Salve :* in eo ferè omnes consentiunt recentiores Horatii interpretes ut hanc vocem, *salve*, conjungant cum præcedentibus, ità ut hæc verba, *salve mihi*, idem valeant, ac, *sis mihi propitia;* quam interpretationem sequuti sunt Sanado et Dacierius, quamvis confiteantur non nihil in hoc eloquendi modo inesse duri et insoliti. Sensus tamen obvius est, et è rectâ interpunctione defluit. *Salve*, inquit vates, *ô tu testudo, quæ es dulce lenimen laborum mihi, te quandocunque ritè vocanti;* id est, quæ nunquàm mihi dees, quandocunque, curis gravatus et laboribus, te ritè, relligiosè, ad solatium et animi ægri levamentum imploro.

ODE TRIGESIMA TERTIA

AD ALBIUM TIBULLUM.

Egregium poetam, scriptorem elegorum celeberrimum, sibi dilectum, solatur Horatius, hortaturque ut tàm aliorum quàm suipsius exemplo edoctus, non plùs æquo doleat sortem experiri omnibus ferè communem amantibus.

Albi, ne doleas plùs nimiò [1], memor
Immitis Glyceræ, neu miserabiles
Decantes elegos, cur tibi jmnior
Læsâ præniteat fide.
Insignem tenui fronte [2] Lycorida
Cyri torret amor; Cyrus in asperam

1. *Plus nimiò :* an cum verbo, *doleas*, an cum adject. *memor* hæ duæ voces conjungantur, parvi refert. In priore sensu, suadet ut dolori modum, in altero, ut finem imponat. — *Miserabiles elegos:* epithet. elegis ascriptum; sic *flebilis elegia*, Ovid. Amor. III, 9, 3; *La plaintive élégie en longs habits de deuil*, Bol. Ars poet. — *Tibi præniteat:* Glyceræ videatur amabilior. — *Læsâ fide :* fide nimirùm Glyceræ, quæ tibi æternum amorem pollicita fuerat. — *Junior :* dubium movit interpretibus hæc vox : decessit enìm Tibullus antè annum ætatis vigesimum quintum. Quid indè? annòn meretricis est in moribus vix puberem adolescentem corrumpere aut verè juniorem quemlibet Tibullo adhùc juveni præferre, qui rem familiarem jàm tùm absumpserat? Ad exempla transit Horat.

2. *Insignem tenui fronte :* non placeret nostris puellis aut matronis hujusce modi encomium. Constat apud Romanos frontis tenuitatem inter præcipuas pulchritudinis notas fuisse. Martialis de puello cujus formam commendat: *Frons brevis, atque modus brevitèr sit naribus uncis*, IV, 41, 9. Petronius, in Circes descriptione, *frons minima.* Nos è contrà latam et apertam frontem lau-

Declinat Pholoen; sed prius Appulis
Jungentur capreæ lupis,
Quàm turpi Pholoe peccet adultero.
Sic visum Veneri [3], cui placet impares
Formas atque animos sub juga ahenea
Sævo mittere cum joco.
Ipsum me melior quùm peteret Venus [4],
Gratâ detinuit compede Myrtale
Libertina, fretis acrior Hadriæ
Curvantis Calabros sinus.

damus. — *Cyri torret amor :* amor in Cyrum : vide de Cyro, suprà XVII, 25. — *Declinat :* fugit Lycorida, et se convertit ad Pholoën. — *Asperam :* quæ Cyrum vicissim detestatur et fugit. — *Turpi :* seu propter vultûs, seu propter morum deformitatem.

3. *Sic visum Veneri :* usitata apud poetas formula, quâ rei singularis causam non alitèr indicant, quàm eam liberæ deorum aut alicujus numinis voluntati tribuendo. — *Dîs alitèr visum*, Æneid. II, 427 ; *Postquàm res Asiæ, Priamique evertere gentem Immeritam visum superis*, Æneid. III, 2. — *Impares formas atque animos :* formas inæquales, discordes animos ità jungere, ut nunquàm indè mutuus amor possit existere ; cùm, deformis formosam, senex puellam, vel quis alius formâ vel moribus disparem amat. — *Sub juga ahenea mittere.* Nihil enim durius quàm jugum amoris non accepti, cum fastidio repudiati. Servitus est sine peculio. — *Sævo cum joco :* ea est Veneris et Amoris indoles, ut cruciatibus amantium gaudeant. Vide passim in poetis.

4. *Melior Venus :* alia amasia, amore meo dignior. — *Gratâ detinuit compede :* in servitutem reduxit, quæ mihi dulcissima erat, quamvis Myrtale foret fluctibus Hadrianis iracundior. *Mais la raison n'est pas ce qui règle l'amour,* Molier. Misantr. act I, scen. I. — *Curvantis Calabros sinus :* ambientis Calabriam, et sese inflectentis ad littoris Calabrici curvaturam.

ODE TRIGESIMA QUARTA

PALINODIA.

Horatius, cùm, neglecto deorum cultu, temerè eorum qui nullam deos rerum humanarum curam habere statuerent sapientiam secutus esset, audito repentè in cœlo sereno tonitru, se adeò perculsum esse narrat, ut, divinitùs quasi monitus, statìm ab impiâ istâ animi perversitate ad mentem saniorem redire cœperit. In hâc novâ igitùr, deos omninò esse qui omnia gubernent, persuasione, sententias de divinâ in res humanas potentiâ subjungit gravissimas. — Jàm verò cùm Horatius, quamvìs in nullius magistri verba (ut ipse fatetur infrà Epist. I, 1, 13) juraverit, h. e. nulli philosophiæ sectæ unicè addictus fuerit, et Epicureorum tamèn placita ad vitæ jucunditatem et voluptatem spectantia studiosè amplexus sit; equidem illum non tàm abjurare Epicuream philosophiam et ad Stoïcam se convertere, vel adeò Stoïcorum disciplinam traducere, quod nonnulli, ut aliorum argutias taceam, opinati sunt, sed gravem illum Epicureorum errorem, deos nihil curare homines, *hoc præcipuè argumento, quod horrendum in cœlo puro auditum sit tonitru, quale in cœlo puro audiri posse ipsi quoque Epicurei (Lucret. VI, 245 et 399) negabant, refellere voluisse existimo. Erraverunt igitùr Dacierius, Sanado, et ipse, quanquàm vir sapientissimus, Ren. Binet, quibus, gravissimis innixi argumentis, adversati sunt Mitscherlich, Dœring, de Wailly, simpliciorem multò, et rationi magìs consentaneam cæterorum Horatii interpretum opinionem secuti; rem igitùr seriam seriò tractasse vatem nostrum asserere neminem pigeat.*

PARCUS Deorum cultor et infrequens [1],

1. *Parcus deorum cultor et infrequens:* ego, qui hactenùs raro et nimìs exiguo cultu deos veneratus fueram, qui eorum

Insanientis dùm sapientiæ
Consultus erro [2], nùnc retrorsùm
Vela dare, atque iterare cursus
Cogor relictos. Namque Diespiter [3], 5
Igni corusco nubila dividens
Plerùmque, per purum tonantes
Egit equos volucremque currum :
Quo bruta tellus [4], et vaga flumina,

templa ferè nunquàm invisebam. — *Insanientis sapientiæ consultus :* consultum vocabant, virum artis vel scientiæ cujuslibet peritum, qui consilii expetendi causâ, ab imperitioribus adibatur, addito artis nomine. Sic juris consultus, qui legibus explicandis operam dabat, sapientiæ consultus, qui se rebus philosophicis tradiderat. Nota pulcherrimam et è materiâ natam antithesim, *Insanientis sapientiæ!*

2. *Erro :* metaphora à re nauticâ desumpta. *Errare* propriè dicitur in mari, ille cujus navis velis et gubernaculo destituta, viam incertam sequitur, quique quâ et quandò portum intraturus sit ignorat. Quid porrò magis cum philosophiâ Epicureâ convenit, quæ deos rerum humanarum rectores negat? — *Nùnc retrorsùm vela dare :* continuat metaphoram.

3. *Diespiter :* Jupiter, quasi diei pater. — *Igni corusco nubila dividens plerùmque :* cujus tonitru non audiri solet, nisi cùm cœlum nubibus obscuratum est. Igitùr, τὸ *Plerùmque* cum præcedentibus, non cum subsequentibus connectitur. — *Per purum :* subaud. *aera.* Rarum quidèm, sed tamen naturale phænomenon; quamvis enim tonitrua è nubium collisione existant, quandoquè accidit ut nubibus extrà oculorum aspectum præ altitudine positis, fulmina tamen in earum sinu generentur, quorum sonus per montes repercussus ad aures nostras perveniat. Physices minùs periti veteres, hunc effectum portento imputabant ominoso. Hinc Virgil. Georg. I, 487, *Non aliàs cœlo ceciderunt plura sereno Fulgura;* et Æneid. IX, 630, *Audiit, et cœli genitor de parte serenâ Intonuit lævum.* Quod quidem Horatium vulgari, ut videtur, opinioni obnoxium, gravitèr commovit, et ad religionem revocavit. Quid mirum? nonne idem Horatius cecinit, od. III, 5, 1? *Cœlo tonantem credidimus Jovem regnare. — Tonantes egit equos volucremque currum.* Fingebant poetæ, tonitru sonitum nihil esse nisi equorum currûsque divini agitationem. Id innuit Virg. Æneid. VI, 590, de Salmoneo : *Demens! qui nimbos et non imitabile fulmen Ære et cornipedum pulsu simularat equorum!*

4. *Bruta tellus :* licet sensûs

Quo Styx et invisi horrida Tænari
Sedes, Atlanteusque finis
Concutitur. Valet ima summis
Mutare, et insignem attenuat Deus [5],
Obscura promens. Hinc apicem rapax [6]
Fortuna cum stridore acuto
Sustulit; hic posuisse gaudet.

expers, denm tonautem sensisse videtur. *Quo maxima motu Terra tremit*, Virg. Georg. I, 329. — *Styx :* fluvius vel palus inferorum. Potentiam Jovis ad Plutouis regna penetrantem indicat. — *Tænari sedes :* Tænarus, Tænari, sive Tænara, Tænarorum; est promontorium Laconiæ in Peloponeso. Ibi antrum ingens osteudebatur, per quod Hercules ab inferis redisse, Cerberumque vinctum ad superos traxisse dicebatur : atque has esse inferorum fauces vulgò jactabant. Itaque pro ipsis inferis ea vox usurpatur à poetis. Nunc ab indigenis vocatur, *Capo Maina.* — *Atlanteus finis :* veteres orbem non protendi ad Occidentem, ultrà Oceannm Atlanticum, de quo suprà od. XXXI, existimabant.

5. *Deus :* ea vox clarè docet, inquit Juvencius, Horatium hìc Epicureis non favere, qui deum negabant de rebus humanis esse sollicitum.—*Insignem attenuat :* Sanado, auctore Cuningham, legit *insignia ;* quæ vox, fatendum est, cum illâ, *obscura*, meliùs congruit; sed ne textus mutetur, MSS. consensus, metrique leges paritèr vetant.

6. *Rapax :* convenit cum verbo, *sustulit.* — *Apicem :* supremos honores, et quidquid inter humana eminet. — *Cum stridore acuto :* præclara imago deæ cum impetu advolantis et alarum agitatione gravem stridorem edentis ! *Si celeres quatit pennas*, infrà, III, 29, 53. — *Hic*, opponitur τῷ *hinc :* hìnc aufert, hìc ponit, id est, imponit coronas, tiaras, diademata.

ODE TRIGESIMA QUINTA

AD FORTUNAM.

Anno U. C. 726, cùm Augustus duo bella pararet, alterum in Britannos, adversùs quos ipse ducturus erat exercitum, alterum in Arabiam, ductu Ælii Galli gerendum, faustas has populo Romano expeditiones apprecaturus poeta, vota in preces convertit, ac Fortunæ pro Augusti exercitûsque incolumitate supplicat.

Nihil est quòd huic Horat. carmini conferatur ode gallica, Russæi opus quidèm eximium, sed diverso prorsùs consilio compositum, nec quidquàm commune habens cum Latino carmine, nisi titulum. Romanus vates, pio afflatu instinctus, deam potentissimam invocat, quæ apud veteres, alio nomine, Fatum vel Providentia appellabatur. Poeta Gallicus, ad eticham spectans, personam merè allegoricam alloquitur, quàm vulgò Sortem (*le Hasard*) nominamus.

O Diva, gratum quæ regis Antium [1],
Præsens vel imo tollere de gradu
Mortale corpus, vel superbos
Vertere funeribus triumphos:
Te pauper ambit [2] sollicitâ prece

1. *Antium :* urbs in littore Tyrrheno, hodiè *Anzio*, non procul Ostiâ, olim Volscorum caput, in quâ templum Fortunæ consecratum erat, illudque celeberrimum. — *Gratum :* quod amico vultu respicis, quod protegis, quod amas invisere. — *Præsens tollere :* Hellenismus; cujus ea est potestas, ut tollas. — *Mortale corpus :* hominem quemlibet; hanc vocem, *corpus*, rectè adhibet, quæ metaphoræ convenit; corpora enìm sola tolli possunt, et de gradu inferiori ad superiorem evehi.

2. *Te pauper ambit :* te enixè precatur ut suam paupertatem le-

Ruris colonus; te dominam æquoris,
Quicunque Bithynâ lacessit
Carpathium pelagus carinâ.
Te Dacus asper [3], te profugi Scythæ,
Urbesque, gentesque, et Latium ferox,
Regumque matres barbarorum [4] et
Purpurei metuunt tyranni,
Injurioso ne pede [5] proruas
Stantem columnam, neu populus frequens
Ad arma cessantes, ad arma
Concitet, imperiumque frangat.

ves, bonumque ruris proventum ipsi largiaris. Non enim è solis coloni sudoribus et arte pendet messium ubertas, sed ex innumeris causis, ex aeris temperaturâ, è benigno elementorum influxu, quæ omnia in manu Fortunæ sunt. — *Te dominam æquoris :* quià navigatio, dubia et incerta, Fortunæ ludibrio quàm maximè patet. — *Bithynâ carinâ :* Bithynis mercibus onustâ. Est autem Bithynia Asiæ Minoris pars, mercaturâ florens, et à Romanis frequentata. His autèm Bithyniam petentibus, transeundum erat *Carpathium pelagus*, ab insulâ Carpatho (hodiè *Scarpento*), inter Rhodum et Cretam, propter procellas periculosissimum.

3. *Te Dacus asper :* per enumerationem partium probat nullam esse gentem tàm longinquam, tàm civilis vitæ usus expertem, quæ Fortunæ potentiam non agnoscat aut vereatur. *Dacos* primò nominat, qui eam obtinebant regionem quam occupant nùnc Valachi, Transylvani et Moldavi : deindè *Scythas*, populum Asiæ, ad septentrionem, hodiè *Tartaros*, qui in plaustris tanquàm in domibus habitabant, quiquè, cùm certam sedem nusquàm haberent, ideò *profugi* dicuntur ; *Latinos* deniquè, id est Romanos, qui, quamvis ferocissimi, id est, bellicosissimi, non tantam tamèn in virtute suâ fiduciam reponebant ut in successibus suis partem Fortunæ debitam non faterentur.

4. *Regumque matres barbarorum :* matres liberis timere solent. — *Purpurei tyranni :* reges, quos vestit purpura. Sic Claudian. *Sub tua purpurei venient vestigia reges*, de Rapt. Proserp. lib. II, vers. 300.

5. *Injurioso ne pede :* actu hostili et violento, qui jura regnantium lædit. — *Stantem columnam proruas :* imperium evertas, summam labefactes potestatem, in quâ, velut in firmissimâ columnâ innititur rei politicæ ædificium. — *Neu :* et ne. — *Populus frequens :* graphicè de-

Te semper anteit sæva Necessitas [6],
Clavos trabales et cuneos manu
Gestans aënâ, nec severus
Uncus abest, liquidumque plumbum.
Te Spes, et albo rara Fides colit
Velata panno : nec comitem abnegat,
Utcunque mutatâ potentes
Veste domos inimica linquis.

scribit populorum seditionem et tumultum; ima primùm coït plebecula, et, cùm armis non instructa sit, clamoribus *ad arma* concitat, sive milites, sive ipsos cives *cessantes*, id est, tranquillos, et nihil simile meditantes. Nota emphaticam illam repetitionem : *ad arma! ad arma!* quas voces iterare solent qui in repentino tumultu ad arma evocant. Sic Ovid. Metam. XII, 241 : *Certatìmque omnes uno ore, arma, arma loquuntur;* et Virg. Æneid. lib. II, v. 668 : *Arma, viri, ferte arma.*

6. *Sæva Necessitas :* ideò terribilis Necessitas Fortunam præcedere fingitur, quià nihil magìs necessariò evenit, quàm quod Fortunæ, id est, Providentiæ, decretis præstitutum. — *Clavos trabales :* ingentes clavi, quorum usus est plurimas trabes, simul compingendas, trajiciendo adunare. — *Cuneos :* quibus insertis, res diffindi quidèm, sed, dilatatis partibus, coagmentari et vim novam accipere possunt. — *Severus uncus :* genus quoddam hami ferrei, quo saxa et cæmenta firmissimè inter se devinciuntur, præsertìm, *plumbo liquido* adjecto; *severus* autèm uncus dicitur, per metaphoram quæ tautillùm dura videtur. Ut enìm severitas res et homines in ordine continet, sic hami illi ferrei, lapides indissolubili nodo conjunguut et consolidant. Omnia verò hæc instrumenta Necessitati vates tribuit, quibus illius vim indomitam significet. Ut enìm laborem suum perderet, qui artis monumenta tàm solidè constructa, tanto instrumentorum apparatu munita vellet evertere, sic in vanos conatus effunderetur, quicumque tentaret contrà Necessitatis opus insurgere.

7. *Te Spes :* de adversâ Fortunâ locuturus, jure ac meritò Spem illi asseclam præbet; Spes enìm miseros melioris sortis prospectu recreat. — *Rara Fides :* quæ à paucis, nubilo infortunii tempore, colitur. — *Albo velata panno :* in candoris et innocentiæ signum. — *Nec comitem abnegat :* per ellipsim : nec se tibi dare comitem recusat. — *Utcumque* : quotiescumque tu, ô Fortuna, *veste mutatâ*, sordidos egestatis pannos induens, deseris *potentes domos*, in quibus, superbis decorata vestibus, ut deam

At vulgus infidum [8] et meretrix retrò
Perjura cedit : diffugiunt cadis
Cum fæce siccatis amici,
Ferre jugum paritèr dolosi.
Serves iturum Cæsarem [9] in ultimos
Orbis Britannos, et juvenum recens
Examen Eois timendum
Partibus, Oceanoque rubro.
Eheu [10]! cicatricum et sceleris pudet
Fratrumque. Quid nos dura refugimus
Ætas [11]? Quid intactum nefasti
Liquimus? undè manum juventus
Metu Deorum continuit? quibus
Pepercit aris? O utinam novâ

faventem et propitiam decebat diù commorata fueras.

8. *At vulgus infidum :* opponit voci *rara*, immensam perfidorum amicorum multitudinem. — *Cadis cum fæce siccatis :* omnibus opibus consumptis. — *Ferre jugum dolosi :* perfidiores quàm ut ferre sustineant inopiam cujus *jugum* et *pondus* totum amico misero tolerandum relinquunt. — *Paritèr :* pro suâ quisque parte.

9. *Serves iturum Cæsarem :* jàm captatâ, per hymnum in ejus honores decantatum, Fortunæ benevolentiâ, subjungit preces pro Cæsare. — *In ultimos orbis Britannos :* secundùm falsam veterum opinionem, qui terras ultrà Britanniæ terminos sitas nondùm exploraverant. — *Et juvenum recens examen : examen* apositè à novâ apum sobole transfertur ad exercitum recèns è juvenibus conscriptum. — *Eois partibus :* orientalibus ; vide argumentum.

10. *Eheu! cicatricum et sceleris pudet, Fratrumque :* nexus sententiarum iste est : serva Augustum cum exercitu, sicque curam populi Romani, quem, bellis civilibus immersum, aliquamdiù aversata es, iterùm suscipe : pudet enim nos *sceleris*, quo divina humanaque jura violavimus ; pudet vidisse *fratres* qui contrarias partes secuti, sese mutnò interfecerunt.

11. *Quid nos dura refugimus ætas :* quid nos, in hâc ætate *durâ*, impiâ, scelestâ refugimus? ut infrà, V, 16, 9 : *Impia perdemus devoti sanguinis ætas.* — *Undè :* à quâ re tàm sacrâ manus continuit juventus, deos ultores reverita?

Incude diffingas [12] retusum in
Massagetas Arabasque ferrum. 40

12. *Diffingas:* recudendo in meliorem usum refingas arma sanguine Romano polluta, quæ, qualia nunc existunt, tractare nefas esset. —*Massagetas:* nobilem Scythiæ gentem, Parthis conterminam.

ODE TRIGESIMA SEXTA

AD PLOTIUM NUMIDAM.

Cùm redux factus esset Plotius Numida ex Hispaniâ, ubi cum Augusto in bello Cantabrico tres annos adfuerat; ejus sodales, præcipuè autèm intimum ejus amicum et æqualem Lamiam, diem festum secum celebrare suadet Horatius, et, nactatâ antè omnia ex voto, pro felici Numidæ reditu suscepto, hostiâ, potationi, saltationi, amoribus, et omnibus, quibus jucundissimi dies transigi solent, liberiùs indulgere jubet lætitiis.

Et thure et fidibus [1] juvat
Placare, et vituli sanguine debito
Custodes Numidæ Deos,
Qui nùnc Hesperiâ sospes ab ultimâ
Caris multa sodalibus,
Nulli plura tamen dividit oscula [2],
Quàm dulci Lamiæ, memor
Actæ non alio rege puertiæ,

1. *Fidibus :* inter sacrificandum enìm ad tibiam et lyram cani solebat; infrà IV, 1, 21 : *Illìc plurima naribus Duces thura, lyræque et Berecyntiæ Delectabere tibiæ Mistis carminibus, non sine fistulâ. — Vituli sanguine debito :* hostiâ, quam poeta ex voto, quo diis pro felici Numidæ reditu se obligaverat, nunc debebat. — *Custodes :* tutelares. — *Numidæ :* cognomen est nobilis gentis Plotiæ et Æmiliæ, quod majorum aliquis ex re quâdam in Numidiâ præclarè gestâ accepisse videtur. — *Ultimâ :* remotissimâ, ut infrà, II, 18, 3, *ultima Africa.*

2. *Dividit oscula : oscula dividere* modò huic, modò alii osculum dare, ut sup. I, 15, 15, *carmina dividere.* — *Memor actæ non alio rege puertiæ :* suavitèr recordans, se unà cum eo

Mutatæque simul togæ.
Cressâ ne careat pulchra dies notâ [3] :
Neu promptæ modus amphoræ,
Neu morem in Saliûm sit requies pedum :
Neu multi Damalis meri [4]
Bassum Threïciâ vincat amystide :
Neu desint epulis rosæ,
Neu vivax apium, neu breve lilium.
Omnes in Damalim putres
Deponent [5] oculos : nec Damalis novo

sub unius ejusdemque magistri vel custodis auspiciis puritiam transegisse, et simùl cum eo togam virilem induisse; à teneris igitùr Numidæ et Lamiæ amicitia coaluerat. — *Mutatæ :* prætextæ nempè in puram.

3. *Cressâ ne careat pulchra dies notâ :* dies, quem hodiè celebramus, lætissimus notâ albâ insigniatur, h. e. in numerum felicissimorum dierum referatur; dies feliciores apud Romanos notâ albâ, vel albo lapillo, infeliciores autèm notâ nigrâ vel atro lapillo notatos fuisse, satis notum est. — *Cressâ :* h. e. albâ, à cretâ, quæ ex insulâ Cretâ apportata fuit. — *Neu promptæ modus amphoræ :* haud modus in promendis ex cellâ vinariâ amphoris servetur, h. e. largiùs hodiè vinum afferatur. — *Saliûm :* Saliorum, Martis sacerdotum, qui ex Numæ instituto secundùm Liv. I, 20, *per urbem ire canentes carmina, cum tripudiis solemnique saltatione jussi sunt.*

4. *Multi Damalis meri :* puella, quæ largitèr vino se ingurgitare solebat, ut apud Ovidium Met. XIV, 252, *nimiique Elpenora vini :* fuit Damalis haud dubiè libertina vel puella inhonestior, quià honestioribus vel ingenuis virginibus haud interesse licebat potationibus. — *Bassum,* insignem inter sodales potatorem; — *amystide,* h. e. uno spiritu et haustu poculum exhauriendo; *amystis* vox est græca, Hesychio interprete : συνεχὴς πόσις, hinc ap. Anacr. XXI, 2 : πίνειν ἀμύστι; vocatur hæc avidiùs uno haustu vinum absorbendi ratio *Thracia,* à notâ Thracum vinolentiâ. — *Apium vivax :* diù viridem colorem suum servans. — *Breve :* breve tempus florens, ut *brevis rosa* inf. II, 3, 13. Ceterùm florum usus in lætis conviviis notissimus.

5. *Deponent;* suavitèr, amantes, qui obtutum in puellâ figunt, vel uno obtutu in eâ hærent, *deponere in puellam* dicuntur *oculos,* et quidem *putres,* h. e. amore tabescentes, libidine natantes, lascivos. — *Nec Damalis novo Divelletur adultero,*

Divelletur adultero,
Lascivis hederis ambitiosior.

Lascivis hederis ambitiosiór: nec Damalis ab novi amatoris (haud dubiè Numidæ) amplexibus, quibus arctiùs hederâ se implicabit, per alium se divelli patietur. — *Lascivis hederis:* similitèr Noster arctos complexus cum hederâ ubìque se implicante comparat infr. epod. XV, 5: *Arctiùs atque hederá procera adstringitur ilex, Lentis adhærens brachiis. Hedera* autèm, ob ejus amplexus, cum lasciviorum amplexibus comparata, ipsa suavitèr dicitur *lasciva;* — *ambitiosior:* magìs brachiis suis ambiens, h. e. arctiùs et tenaciùs inhærens atque se implicans.

ODE TRIGESIMA SEPTIMA

AD SODALES.

Duos eventus intèr se politicè connexos, licèt toto unius anni intervallo disjunctos, Actiacam scilicèt pugnam et Cleopatræ mortem, Horatius concelebrat. Antonii nomen pronuntiare tamèn refugit, Augusto prudentèr parcens, cujus soror Octavia Antonii uxor fuerat. Quanto autèm cum gaudio acceptus fuerit à Romanis devictæ et exstinctæ Cleopatræ nuntius, satìs indicat vividissimum et alacritate plenum hujusce carminis exordium: in communis lætitiæ partem venit primùm vates lyricus; mox Cleopatræ ambitionem, spes insanas, et cladem attingit, ità ut fortissimæ illius morti non solùm illudere caveat, sed è contrà hanc probare et summis extollere laudibus non dubitet.

Nunc est bibendum [1], nùnc pede libero
Pulsanda tellus, nùnc Saliaribus
Ornare pulvinar deorum
Tempus erat dapibus, sodales.

1. *Nunc est bibendum : nùnc* tèr repetitur ad augendam vim et alacritatem exordii. Hoc initium fluxisse videtur è carmine quod in simili argumento scripserat Alcæus, cujus primos versus servavit Athenæ. X, 8 : Νῦν χρὴ μεθύσκειν, καί τινα πρὸς βίαν πίνειν, ἐπειδὴ κάτθανε Μύρσιλος. — *Nunc Saliaribus :* hic dies, si quis alius, lautas epulas, diis in templis apponendas, h. e. lectisternium sive supplicationem exigebat. — In supplicationibus enùm, ubì diis vel ob res præclarè in bello gestas, vel ob felicem quemdam rerum eventum publicè gratiæ agebantur, lautiores epulæ in eorum templis apponi, et circà eas strati lecti sive pulvinaria, quibus dii ad cibos capiendos discumberent, collocari solebant, quod dicebatur *lectisternium ;* itaque *ornare pulvinar deorum Saliaribus dapibus* jàm erit : magnificas epulas diis in eorum templis apparare ; *pulvinar*, pro templo

Antehàc [2] nefas depromere Cæcubum
Cellis avitis, dùm Capitolio
Regina dementes ruinas,
Funus et imperio parabat,
Contaminato cum grege turpium
Morbo virorum [3], quidlibet impotens
Sperare, fortunâque dulci
Ebria. Sed minuit furorem
Vix una sospes navis ab ignibus :

ubì pulvinar positum est; sic apud Ciceronem in Catil. III, 10 : *Quià ad omnia pulvinaria supplicatio decreta est. — Dapibus Saliaribus :* à Saliis, Martis sacerdotibus : vide od. præced. Erat autem Romæ pervagatum Salios opiparè vesci, adeò ut cœnæ Saliares pro exquisitis et sumptuosis dicerentur. Quas quidèm in gallicum sermonem ingenuè vertit Juvencius : *repas de chanoines*, *repas de prélats*.

2. *Antehàc :* dissyllabicè pronuntiandum ad mensuram versùs. — *Cæcubum :* Cæcubi agri sunt in Campaniâ, propè urbem Fundos, ubì olim vina optima. — *Regina ;* Cleopatra, Ægypti regina, quam Antonius adamavit : quod cùm ægrè ferret Augustus, cujus sororem Octaviam Antonius duxerat, bellum inter eos coortum est : commissâ navali ad Actium, Epiri promontorium (nùnc *Capo Figalo* dictum) pugnâ, victus Antonius se in fugam cum Cleopatrâ, quæ laterat, conjecit, ac post paulò necem sibi ipse intulit. Hunc imitata Cleopatra aspidibus corpori admotis, ne viva caperetur, se interemit anno U. C. 723.

3. *Contaminato cum grege turpium Morbo virorum :* in comitatu suo habens catervam virorum turpi morbo infamium; intellige spadones sive eunuchos, infrà Epod. IX, 13. — Cum contemtu autem istam catervam vocat *gregem* et quidem *contaminatum*, h. e. impurum vel fœdà libidine pollutum; *virorum morbo turpium*, h. e. turpitèr eviratorum; nam *morbus* ut νόσος apùd Græcos, passìm de corporis vitiis; nisi quis *morbum* de eo, quo libidinosi laborant, accipere malit; hìnc apud Catull. LIV, Mamurra et Cæsar, pathici, dicuntur *morbosi*. — *Quidlibet impotens sperare;* impotente animo, h. e. præter modum, temerè, sperans omnia. — *Dulci ;* refer ad dulcem illam spem, quam de Romano imperio, tamquàm amoris mercede, ab Antonio accipiendo (Fl. IV, 11), fovebat Cleopatra. — *Ebria :* quia spes, quam imbiberat, dulcissima, ejus mentem, ut nimius potus, perverterat; quam metaphoram in nostrum sermonem transtuli-

Mentemque lymphatam Mareotico [4]
Redegit in veros timores [5]
Cæsar, ab Italiâ volantem
Remis adurgens, accipiter velùt
Molles columbas, aut leporem citus
Venator in campis nivalis
Ægoniæ, daret ut catenis
Fatale monstrum. Quæ generosiùs
Perire quærens, nec muliebritèr
Expavit ensem [6], nec latentes
Classe citâ reparavit oras [7].

mus : *être enivré de sa gloire, de son opulence, etc.*

4. *Lymphatam Mareotico :* subaud. *vino.* Lymphati, quasi Nymphati, inquit Festus ; credebatur enim eos qui nympham aspicere ausi erant, statim ob temeritatem, in cæcum furorem ab eâ adigi ; quam opinionem his Ovidii versibus, Heroïd. I, 47, inniti non diffiteor : *Aut quas semideæ Driades, Faunique bicornes Numine contactas attonuere suo.* Malim tamen simpliciorem Juvencii interpretationem sequi. Furiosi, inquit, appellantur Lymphati, quià lymphas, sive aquas, fugiunt et horrent, ii præsertim quos canis rabiosus appetierit. *Mareoticum* autem vinum, generosum imprimis, nascebatur propè Mareotidem, Ægypti paludem, hodiè, *lac de Buchiara.*

5. *In veros timores :* ipso pugnæ Actiacæ initio fugam meditabatur Cleopatra, parùm sollicita quâ ratione Antonius se expediret : atque adeò sexaginta navibus per medium agmen elapsa fugit : sed cùm vidit sibi instare missas à Cæsare Liburnicas, tùnc verè timere cœpit. — *Ab Italiâ volantem ;* ab eâ nimirum Epiri parte, quæ Italiam respicit. *Ægoniæ :* Thessaliæ, quæ est pars Græciæ, ità vocatæ ab quodam ejus principe Ægone, Deucalionis filio, non ab Hæmo, monte Thraciæ. — *Fatale monstrum :* pestiferum, Romanæ reipublicæ exitiosum. Audi Lucan. X, 59 ; de eâdem Cleopatrâ : *Dedecus Ægypti, Latio feralis Erynnis, Romano non casta malo.*

6. *Expavit ensem :* fortitèr ensem manibus tractavit quo se perfossura fuerat. Vim enim sibi prolato telo inferre conabatur, Proculeium conspicata qui se ad Octavianum ducturus esset ; Proculeius vix illi è manibus telum extorsit.

7. *Nec latentes Classe citâ reparavit oras :* non reparavit, id est, non sibi rursùs paravit, non quæsivit, præcipitis fugæ damnum et ignominiam *repara-*

Ausa et jacentem visere regiam [8]
Vultu sereno, fortis, et asperas
Tractare serpentes, ut atrum
Corpore combiberet venenum,
Deliberatâ morte ferocior;
Sævis Liburnis scilicet invidens
Privata deduci superbo
Non humilis mulier triumpho.

tura, latebrosos recessus, in quibus Octaviani manus effugisset.

8. *Ausa et jacentem visere regiam Vultu sereno;* præclara oppositio est in *ausa vultu sereno* et *jacentem regiam*, aulam afflictam, prostratram; sic *jacens regnum*, Senec. Troad. 54. — *Fortis et asperas:* noxias, lethiferas. — *Combiberet:* compositi verbi mira vis; universa enim sanguinis massa veneno viperino inficienda erat. — *Deliberatâ morte ferocior:* qui enim mori decrevit, nihil timet. Sic Virg. Æn. IV, 604, *quem metui moritura?* — *Liburnis*: subaud. navibus. Od. V, 1, 1. Liburnia fuit olim pars Illyrici, ad orientem Italiæ, propè Istriam. Ibi ædificabantur naves celerrimæ, iisque potissimùm usus est Augustus in Actiacâ pugnâ. Quocircà *Liburnas sævas* Horatius appellat, nempè, Cleopatræ funestas, à quibus victa Ægyptiorum classis. — *Privata:* pristinâ dignitate spoliata, captiva. — *Non humilis mulier:* usitatâ figurâ; mulier generosissimæ indolis, quæ regina mori mallet, quàm, regno exuta, victoris triumphum exornare.

ODE TRIGESIMA OCTAVA

AD UNUM E FAMULIS.

Simplicitatem in adornando convivii apparatu commendat.

Persicos odi, puer, apparatus [1];
Displicent nexæ philyrâ coronæ;
Mitte sectari [2a], rosa quo locorum
Sera moretur.
Simplici myrto nihil allabores
Sedulus curæ [3]; neque te ministrum [4] 5

1. *Persicos apparatus :* in proverbium venerat luxus quo Persæ uti solebant in conviviis; quem qui noscere volet, legat in sacris codicibus duo prima capita libri cui titulus, *Esther.* — *Nexæ philyrâ coronæ : philyras* appellat Plinius XVI, 14, tenuissimas illas tunicas, multiplici membranâ, quæ sub primo omnium arborum cortice reperiuntur; è tiliâ autèm detractæ, floribus coronarum simùl annectendis inserviebant. Quod opus, cùm magnam curam exigeret, pretium coronis convivalibus, sine ullâ utilitate, addebat.

2. *Mitte sectari :* per ellipsim; mitte curam sectandi; noli quærere. — *Quo locorum :* poeticè, pro, quo in loco. — *Rosa sera moretur ;* rosa, ultrà solitum anni tempus adhùc florescens arte vel summâ curâ adhibitâ, et ideò majoris pretii.

3. *Nihil allabores Sedulus curæ :* nullum laborem suscipias ut, per curiosam sedulitatem, quidquam adjicias simplici myrto. In plerisque edition. pro his verbis, *sedulus curæ,* leguntur ista : *sedulus curo ;* id est : severè à te postulo ut etc. Multò prætulerim lectionem quam, fide antiquissimi MS. et Bentlei auctoritate fretus, restitui.

4. *Neque te ministrum dedecet myrtus :* te ministeria tantùm (temperandi et porrigendi pocula) obeuntem, quomodò de-

Dedecet myrtus, neque me sub arctâ
Vite bibentem.

deceat myrtus, quam nec ipse fastidiam? — *Sub arctâ vite :* sub vite, cujus rami ità densi et spissi sunt, ut umbram præbeant. *Lentæ texunt umbracula vites*, Virg. Eclog. IX, 42.

Q. HORATII FLACCI

CARMINUM

LIBER SECUNDUS.

ODE PRIMA

AD C. ASINIUM POLLIONEM.

C. Asinius Pollio, vir consularis, quem belli pacisque artibus paritèr, ac litterarum ingeniique, quo præclarum tragœdiarum scriptorem se præstitit, gloriâ inter Romanos excelluisse satis constat, cùm jàm eò contulisset studia sua, ut belli civilis historiam scriberet, Horatius eum in hoc carmine ad illud opus strenuè perficiendum adhortatur atque excitat.

Motum ex Metello consule civicum [1],
Bellique causas, et vitia, et modos,

1. *Motum civicum :* belli civilis exordium indicat. — *Ex Metello consule :* Quinctus Cæcilius Metellus Celer gessit consulatum anno ab U. C. sexcentesimo nonagesimo quarto, quo Cæsar, Pompeius et Crassus fœdus inter se ad occupandam rempublicam inierunt. Ea prima belli civilis labes. — *Bellique causas :* morum corruptionem, privatorum luxuriem, infirmatum amorem in rem publicam, etc., etc. — *Belli vitia :* rupta sanguinis vincula, fratres fraterno tinctos sanguine, violata fidei et hospitii jura, militares ducum, præsertim Pompeii errores, etc., etc. — *Belli modos :* refer ad copiarum numerum, itinera, castro-

Ludumque Fortunæ, gravesque
Principum amicitias et arma,
Nondùm expiatis uncta cruoribus [2],
Periculosæ plenum opus aleæ,
Tractas, et incedis per ignes
Suppositos cineri doloso.
Paulùm severæ Musa tragœdiæ
Desit theatris [3] : mòx, ubì publicas

rum metationes, pugnas, fugas, etc., etc. — *Ludumque fortunæ :* non solùm in solitis bellorum vicissitudinibus, sed præcipuè in sævo duorum imperatorum fato, quorum alter, ut ait Vell. Patere. II, 53, tàm discordantem fortunam expertus est, ut cui modò ad victoriam terra defuisset, deesset ad sepulturam; alter verò, vix summâ rerum potitus, in Curiâ interfectus est. — *Gravesque principum amicitias :* fœdus utriusque triumviratûs, rei publicæ *grave*, id est, exitiosum.

2. *Nondùm expiatis cruoribus :* ut suprà, Od. I, 2, 29: *cui dabit partes scelus expiandi Jupiter.* Jàm verò, quo tempore scribebat Horat. ad Pollionem, nondùm rectè composita erat respublica, et bellorum civilium scelus nullo adhùc piaculo abolitum. — *Periculosæ plenum opus aleæ :* grave enìm erat periculum ne Pollio, historiam tàm recentem scribendo, aut veritatem lædoret, aut in metuendas potentium virorum inimicitias incurreret; quod quàm sit difficile nos intelligimus, qui, è publicis quoque tempestatibus vix emergentes, nùnc fluctibus quasi obruimur Annalium, in quibus non ad veri normam, sed cupiditatum, odiorum, inprimìs commodorum suorum arbitrio res et homines quisque dijudicat. Sic autèm intellige *opus plenum aleæ periculosæ.* Mutantur cum eventibus, ducum et dominantium studia, ità ut, quod nupèr amicum aut hostile habebatur, converso rerum statu, diversè omninò inspiciant, et ab aliis inspici exoptent. Hæret scriptor ignorans, àn, dùm illorum studiis favere se arbitratur, non ea è contrà gravissimè offendat. Magnâ igitùr historico utendum prudentiâ; quapropter, ut cautè admodùm se gerat hortatur Pollionem Horat. — *Incedis per ignes suppositos cineri doloso :* ut è scintillis reconditis, si moveantur incautiùs, maximæ sæpè flammæ erumpunt, et incendia latè circumferunt, ità principum vitia, si minùs cautè notentur, mox rerudescit memoria, sicque cruentis ultionibus, novisque seditionibus forsàn locus datur.

3. *Paulùm severæ Musa tragœdiæ Desit theatris :* sileat in-

Res ordinâris, grande munus
Cecropio repetes cothurno,
Insigne mœstis præsidium reis [4],
Et consulenti Pollio, Curiæ;
Cui laurus æternos honores
Dalmatico peperit triumpho.
Jàm nùnc minaci murmure cornuum [5]
Perstringis aures; jàm litui strepunt;
Jàm fulgor armorum fugaces
Terret equos, equitumque vultus.
Audire magnos jàm videor duces
Non indecoro pulvere sordidos,
Et cuncta terrarum subacta,
Prætèr atrocem animum Catonis.

tereà tua Melpomene, sororisque sedem Clio occupet. — *Res publicas ordinâris:* ubì res quæ ad bella civilia spectant, solutâ oratione, digesseris, et earum nexum *ex ordine* descripseris. Vix intelligi potest error Dacierii, qui eadem verba, *res publicas ordinâris*, non de historiâ à Pollione conscribendâ, sed de republicâ ab eo administrandâ, interpretatur. Refutatus à Sanadone et ab omnibus ferè Horat. interpretibus, meliùs adhùc refellitur ab universo totius carminis tenore, quod, ut mox apparebit, in laudibus historici scriptoris versatur. Vide infrà: *Jàm jàm minaci murmure cornuum*, et quæ sequuntur. — *Grande munus:* tragœdiam, opus difficillimum. — *Cecropio cothurno:* cothurno Atheniensi. Cecropem, Ægyptium, Athenæ primum conditorem agnoscebant; tragœdia autèm maximè viguit Athenis, ubì Sophocles, Æschylus, Euripides floruere. Laudavit quoque ejusdem Pollionis tragœdias Virg. E. VIII, 10, *Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno.*

4. *Insigne mœstis præsidium reis:* in eâdem strophâ, oratoris eloquentissimi, prudentissimi senatoris, bellatoris egregii laudes complectitur. — *Dalmatico triumpho:* de Illyricis contrà quos missus fuerat ab Antonio, egit triumphum Pollio. V. Dion. XLIII, 41.

5. *Jàm nùnc minaci murmure cornuum:* per pulcherrimam hypotyposim, Horatius in medias res quas narraturus est Pollio raptum se fingit. Non prælia legit, sed in ipsis prælìis versatur. Audit lituorum strepitus, videt consternatos equos, ducum imperitantium voces percipit. — *Prætèr atrocem animum Cato-*

Juno et Deorum quisquis amicior
Afris [6], inultâ cesserat impotens
Tellure, victorum nepotes
Rettulit inferias Jugurthæ.
Quis non Latino sanguine pinguior
Campus sepulchris impia prælia
Testatur; auditumque Medis
Hesperiæ sonitum ruinæ?
Qui gurges, aut quæ flumina lugubris
Ignara belli? Quod mare Dauniæ
Non decoloravere cædes?
Quæ caret ora cuore nostro?
Sed, ne, relictis, Musa procax, jocis,

uis : magnificum Catonis encomium; hoc verbum *atrocem*, in bonam partem accipiendum sensus indicat : animum constantem, sublimitèr pertinacem, flecti nescium. Cui tamèn præconio, forsàn anteponas illud Virgilianum, Æneid. VIII, 670 : *Secretosque pios; his dantem jura Catonem.*

6. *Juno et Deorum quisquis amicior Afris :* historia Pollionis non ad necem sibi à Catone illatam terminabitur; narrabit quoque cædes illas, et innumera prælia inter Romanos posteà commissa, quibus Jugurthæ manes et clades Africanis illatas Juno et alii dii Africæ tutelares ulcisci visi sunt, non quidèm ipsos victores, sed victorum filios, quasi inferias, Jugurthæ manibus immolando. Jugurtha, rex Numidiæ, in Africâ, bellum grave gessit cum Metello et Mario. Proditus à Boccho, rege Mauritaniæ, ad quem confugerat, venit in Marii potestatem, à quo Romam ductus et in triumpho ostentatus, postmodùm in carcere necatus est, anno U. C. 648.

7. *Latino sanguine pinguior :* nimìs, eheu! tinctus, madidus. *Bis sanguine nostro Æmathiam et latos Hæmi pinguescere campos*, Virg. Georg. I, 491.—*Hesperiæ :* Italiæ, quæ ad occidentem, seu vesperum Europæ sita est. Eâdem de causâ, idem nomen Hispaniæ sæpiùs assignatur. — *Dauniæ cædes :* sanguis cæsorum civium Romanorum. Daunia, sive Apulia, pro totâ Italiâ ponitur. Terras, quæ bella civilia expertæ sunt brevi compendio recenset Florus, IV, 2; quem locum elucidandæ Horatii querimoniæ idoneum judicavi. *Commissum est* (bellum) *intrà Italiam; indè se in Galliam Hispaniamque deflexit, reversumque ab occasu, totis viribus in Epiro Thessaliâque consedit;*

Ceæ retractes munera næniæ [8] :
Mecum Dionæo sub antro
Quære modos leviore plectro.

hinc in Ægyptum subitò transiliit ; indè respexit Asiam ; indè Africæ incubuit ; postremò in Hispaniam regyravit, et ibi aliquandò defecit.

8. *Ne munera Ceæ næniæ retractes :* ne canas nænias, θρήνους, carmina lugubria et miserationem moventia, qualia olim cecinit Simonides *Ceus* (insulâ Ceâ oriundus.) *Simonideas lacrymas*, flebiles illos et miserabiles Simonidis elegos vocat Catull. XXXVIII. — *Munera næniæ :* pro, næniam vel nænias ; *munus*, ut sæpè, inservit periphrasi. — *Musa procax :* lasciva, jocosa. — *Dionæo sub antro :* in antro ad voluptatem et Veneris ludos accommodato. Venus, juxtà multos, Jovis et Diones, nymphæ maritimæ, filia ; licèt, juxtà alios, è spumâ maris orta sit.

ODE SECUNDA

AD C. SALLUSTIUM CRISPUM.

Solum divitem ac beatum Poeta declarat eum qui avaritiæ et cupiditatibus imperat. Fuit autèm Crispus Sallustius, clarissimi historiarum scriptoris ex sorore nepos, qui, cùm immensis quas hereditario jure possidebat opibus liberalissimè uteretur, ab iis tamèn amplificandis et ab honorum studio (nunquàm enìm voluit suprà equestrem ordinem assurgere), sempèr alienus vixit.

Nullus argento color est [1], avaris
Abdito terris; inimice lamnæ
Crispe Sallusti, nisi temperato
Splendeat usu.
Vivet extento Proculeius [2] ævo

1. *Nullus argento color est :* nullum pretium est; à splendido enim colore aurum et argentum præcipuè pretium ducunt. — *Avaris abdito terris :* alii legunt *abditæ*, quam vocem referunt ad *lamnæ;* sed contrà fidem omnium MSS. hæc lectio introducta est. — *Avaris terris :* argentum ità altè in imis terræ visceribus defossum est, ut illud quasi in perpetuum retinere velle videatur, nec alitèr quàm per vim scrutantibus concedere, quæ sunt propria avaritiæ signa. — *Lamnæ :* per contract. pro, *laminæ;* est verò lamina, metalli cujuslibet bracteola; gallicè, *un lingot.* — *Splendeat :* hoc verbum mirè concordat cum primo odes versu. Solo enìm usu pecunia colorem, splendorem, pretium suum retinet.

2. *Proculeius :* eques Romanus, cujus fratres, Scipionem et Murænam, Augustus ob arma bello civili contrà se gesta, patrimonio spoliaverat. Proculeius cum fratribus bona sua de inte-

Notus in fratres animi paterni :
Illum aget pennâ metuente solvi
Fama superstes.
Latiùs regnes avidum domando
Spiritum, quàm si Libyam remotis
Gadibus jungas [3], et uterque Pœnus
Serviat uni.
Crescit indulgens sibi dirus hydrops [4],

gro æquis partibus divisit, instar patris amantissimi. — *Notus in fratres animi paterni :* phrasim sic construere mâlim : Proculeius, animi paterni in fratres, vivet extento ævo notus. Vulgò alitèr construunt, quasi hæc verba, *animi paterni*, à particip. passiv. *notus*, per hellenismum regerentur, ut, *integer vitæ, purus sceleris.* Verùm nescio quid duri et prætèr modum insoliti in hâc locutione, *notus animi*, inesse mihi visum est, neque ullum aliud præteriti passivi cum genitivo conjuncti exemplum reperiri posse libentèr asseruerim. Quis, v. g., toleraret : *laudatus fortitudinis, celebratus ingenii ?* — *Illum aget :* evehet, extollet, illius nomen in remotissimas ætates traducet. — *Pennâ metuente solvi :* ad famæ æternitatem designandam tribuuntur Famæ, ut deæ alatæ, *pennæ metuentes solvi*, quæ sibi cavent ne solvantur, h. e. quæ nunquàm solvuntur, nunquàm languescunt, nunquàm volatui deficiunt; sic passìm *metuere*, ut Græcorum φυλάττεσθαι, periphrasi τοῦ *non* vel *nunquàm* inservit. Virg. Georg. I, 246 : *Arctos Oceano metuentes æquore tingi.*

8. *Quàm si Libyam remotis Gadibus jungas :* quàm si opulentissima tùm Africæ, tùm Hispaniæ rura, et universas opes quæ per commercium in utroque littore initum acquiruntur, possideas. — *Gades : Cadix*, est peninsula et urbs in ultimâ Hispaniâ ad meridiem; propè fretum, quod ab eâ Gaditanum vocatur, *le détroit de Gibraltar.* Ibì immortalem nupèr sibi gloriam peperit Gallicus exercitus, cui præerat dilectissimus Princeps, tùnc Engolismensium dux, hodiè Delphinus noster. — *Uterque Pœnus :* tùm qui est in Africâ, tùm qui in Hispaniâ. Carthaginienses partem Hispaniæ diù obtinuerunt, ibìque in littore versùs austrum, Carthaginem novam, *Carthagène*, condiderunt.

4. *Crescit hydrops :* hydropicus morbum suum auget, dùm indulgentiâ crudeli et sibi funestâ bibendi desiderio obsequitur. *Hydrops* autèm, ut græcè ὑδρωψ, non ægrotantis, sed ipsius morbi nomen indicat. In hoc loco morbi nomen ad ægrum

Nec sitim pellit, nisi causa morbi
Fugerit venis, et aquosus albo
Corpore languor.
Redditum Cyri solio Phraatem [5],
Dissidens plebi, numero beatorum
Eximit virtus, populumque falsis
Dedocet uti
Vocibus; regnum et diadema tutum
Deferens uni propriamque laurum,
Quisquis ingentes oculo irretorto
Spectat acervos.

transtulisse videtur Horatius. — *Aquosus albo corpore languor:* aqua intercus, quâ corpus pallore simùl et languore afficitur.

5. *Phraatem:* Phraates, Orodis filius, Parthorum rex, cùm patrem, fratres ac filium interfecisset, ob immanitatem solio deturbatus est à suis, suffecto in regnum Tiridate. Sed posteà restitutus fuit ope Scytharum; et ab Augusto, ad quem signa Crasso erepta remiserat, retinere regnum jussus: Tiridates autèm evocatus Romam, ibi regio more ac sumptu habitus est, circà annum U. C. 730. — *Cyri solio:* regnum Persarum Cyrus olim obtinuit; posteà Parthi occupârunt. — *Numero beatorum:* hic versus unâ syllabâ justam metri Sapphici mensuram excedit; ultima syllaba ad versum sequentem pertinet, cujus initio elidtur. Familiaris est græcis poetis licentia; multò rarior in Latinis, qui Musas colunt severiores. — *Virtus:* viri probi, virtutibus ornati, recto prædíti judicio. Eodem sensu, Sat. I, 3, 42: *Vellem in amicitiâ sic erraremus, et isti Errori, nomen virtus posuisset honestum.* — *Populumque:* plebem, vulgus, cujus opiniones cum philosophorum judicio non consentiunt. — *Regnum et diadema tutum:* è Stoïcorum philosophiâ sententiæ colorem fuisse ductum facilè apparet. Stoïcorum enim judicio, *sapiens uno minor est Jove, Dives, Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum;* infrà, Epist. I, 1, 106. Sensu multò strictiore intelligeret Horatium qui sententiam ad viros principes, ad regnantes referre vellet. — *Oculo irretorto:* sive recto, et quem non perstringit auri fulgor; sive non limo, non obliquo, non invido.

ODE TERTIA

AD DELLIUM.

Moderatè ferendam esse utramque fortunam, cùm omnibus impendeat æqua moriendi conditio, ideòque vitam hilaritèr, quantùm fieri potest, traducendam.

Æquam memento rebus in arduis
Servare mentem [1], non secùs in bonis
Ab insolenti temperatam
Lætitiâ, moriture, Delli,
Seu mœstus [2] omni tempore vixeris,
Seu te in remoto gramine per dies
Festos reclinatum beâris
Interiore notâ Falerni.

1. *Æquam mentem :* animum æquabilem, non fractum rebus adversis. — *Ab insolenti temperatam lætitiâ :* tàm sapientèr dispositam, ut ab insolenti lætitiâ sibi temperet, id est abstineat. — *Moriture :* tota vis hujus strophes in unicâ illâ voce, *morituro*, consistit, quam, non ut epithethon, sed ut præcipuam philosophici consilii causam, ut vocem verè *dominantem* intelligi necesse est. — *Delli :* fuit Dellius orator et historicus insignis, qui varias belli civilis vices secutus, Octaviano victori adhæsit; quapropter *desultor bellorum civilium* (gallicè, *le voltigeur des guerres civiles*), à Senecâ appellatus est.

2. *Seu mœstus :* junge cum verbo, *moriture*. Tu qui moriturus es, sive tristis, sive hilaris vixeris. — *Per dies festos :* opponuntur hìc dies festi his vocibus, *omni tempore :* itaque non loquitur vates tantùmmodo de diebus quos identidèm, per anni curriculum, religio aut eventus politici lætitiæ sacrabant, sed de universis anni diebus, qui, quotquot fluebant, homini opulentissimo verè *festi* haberi poterant. — *Interiore notâ Falerni :* vini præstantissimi. — *Interiore :* id est, in remotissimâ cellæ vi-

Quâ pinus ingens [3], albaque populus
Umbram hospitalem consociare amant
Ramis, et obliquo laborat
Lympha fugax trepidare rivo,
Hùc vina, et unguenta, et nimiùm breves
Flores amœnæ ferre jube rosæ,
Dùm res [4] et ætas, et sororum
Fila trium patiuntur atra.
Cedes coemptis saltibus [5], et domo,
Villâque, flavus quam Tiberis lavit :

nariæ parte reconditi ; mos autèm erat Romanis vini ætatem notâ quâdam, consulum nomine inscriptâ, sub quibus expressum et collectum fuerat designare.

3. *Quâ pinus ingens :* hanc strophen plerique cum præcedentibus connectunt, ità ut legant : *reclinatum Quâ pinus*, in eo loco amœnissimo ubì pinus, etc. Alii, quos secutus sum, eadem verba referunt ad sequentia : *Ferre jube vina et unguenta* in eum locum, quâ pinus, etc. sensus levissimè variatur. — *Umbram hospitalem consociare amant ramis :* omnia hìc exquisita : perpende : *amant consociare ;* sensum et animum præbet arboribus, quæ, quasì mutuo amore allectæ, sese ambitiosè constringunt et amplectuntur. Umbra dicitur *hospitalis*, quæ blando suo refrigerio ad sedendum invitare videtur ; — *et obliquo laborat Lympha fugax trepidare rivo :* rapiditatem rivuli contrà moras quas ei nectit cursûs sui obliquitas enitentis, graphicè exprimit ; *laborat trepidare*, id est, trepidat quidèm, sed non sine labore. Hunc celeberrimum poeseos descriptivæ locum felicitèr in gallicum sermonem transtulit Jacob. Delille, *l'Homme des champs*, IV, in initio ; cujus versus hìc transcribi lectores non pœnitebit : *Ce pâle peuplier, ce pin audacieux, Ensemble mariant leurs rameaux frais et sombres, Et prêtant au buveur l'hospice de leurs ombres ; Tandis qu'un clair ruisseau se hâtant dans son cours, Fuit, roule, et de son lit abrége les détours.*

4. *Dùm res :* tua præsens conditio. — *Ætas :* dùm juventute adhùc viges ; voluptas ætate provectiorem dedeceret. — *Et sororum fila : Et qu'il reste à la Parque encor de quoi filer.* Bol. Sat. I.

5. *Cedes coemptis saltibus :* mors tibi eripiet saltus illos, non solùm emptos, sed *coemptos :* ut continua multarum sylvarum quas Dellius acquisivit, series notetur. — *Lavit :* à verbo *lavere*, antiquâ formâ, pro, *lavare :* vid. Od. III, 4, 61, et

Cedes; et exstructis in altum
Divitiis potietur hæres.
Divesne, prisco natus ab Inacho [6],
Nil interest, an pauper, et infimâ
De gente sub divo moreris,
Victima nil miserantis Orci.
Omnes eòdem cogimur; [7] omnium
Versatur urnâ seriùs ocyùs
Sors exitura; et nos in æternum
Exsilium impositura cymbæ.

12, 9. — *Cedes :* cum vi repetitur.

6. *Ab Inacho :* ab antiquissimâ stirpe oriundus. Fuit Inachus rex Argivorum in Græciâ, qui sexto post Abrahami obitum anno, antè Christi æram millesimo octingentesimo quinquagesimo septimo, Argis in Peloponneso, primum omnium, quorum quidèm Græci meminerint, regnum fundavit : ejus filia Io, fabulis decantata. — *Sub divo moreris :* vel *sub dio :* an vivas sine domo, et sub cœlo nudo habites. — *Victima Orci :* quid refert, cùm pauper aut dives, *Orco*, id est, morti debearis? — *Nil miserantis : Nesciaque humanis precibus mansuescere corda*, Virg. Georg. IV, 470.

7. *Omnes eòdem cogimur :* expende ornatum vulgaris sententiæ : moriendum est sine discrimine omnibus hominibus. *Omnes eòdem cogimur* aureâ nempè virgâ Mercurii ψυχοπομποῦ ; sup. I, 10, 8 et 24, 16. — *Omnium sors versatur :* quatitur in *urnâ ;* cogita de urnâ illâ fatali, quam *Necessitas* eo consilio in Orco versare atque concutere fingitur, ut, cujuscunque hominis sors indè exsiliat, ei moriendum sit. Sic infr. III, 1, 14 et seq. *Æquâ lege Necessitas Sortitur insignes et imos ; Omne capax movet urna nomen.* — *Exitura : exire* propriè de sortibus, quæ excidunt, vel exsiliunt. — *Impositura cymbæ :* sc. Charontis, *in æternum exsilium*, ut avehamur *illùc, undè* (Catull. III, 12) *negant redire quemquam.*

ODE QUARTA

AD XANTHIAM PHOCEUM.

Non esse cur erubescat, quòd Phyllida, ancillam sivè servam, amet; exempla notat multorum heroum qui servarum suarum amore illecti sunt. Phyllis aliundè, præclaris animi sui affectibus, generosam testatur originem. Eam laudare licet Horatio, qui, ultrà juventutis fines provectus, sedatiori oculo mulieris cujuslibet pulchritudinem intuetur et dijudicat.

Ne sit ancillæ [1] tibi amor pudori,
Xanthia Phoceu! priùs, insolentem
Serva Briseis niveo colore
Movit Achillem;
Movit Ajacem Telamone natum
Forma captivæ [2] dominum Tecmessæ;
Arsit Atrides medio in triumpho
Virgine raptâ:

1. *Ne sit ancillæ :* Romani contemptim *ancillariolos* vocabant eos qui tàm humilem, tàm sordidam Venerem sectabantur. Vide Martial. XII, 58, 1. — *Priùs :* antè te; non est jungendum τὸ *priùs* verbo sequenti, *insolentem.* — *Insolentem movit :* hactenùs arrogantem, ferocem, cujus superbia ad servæ Briseidis amorem descendere non dedignata est; malè nonnulli, *insolentem*, per insuetum, amoris nescium, interpretantur. Antè enim Trojæ obsidionem, Achilles Deidamiam adamaverat.

2. *Captivæ dominum :* nota oppositionem. — *Tecmessæ :* Tecmessa, juxtà Sophocl. Ajax, 331, Teleutantis filia, regis cujusdam Phrygii, in expeditione capta ab Ajace. — *Medio in triumpho :* quamvis triumphi gaudio mens ejus tota impleri debuisset. — *Virgine raptâ :* de Cas-

Barbaræ postquàm cecidère turmæ,
Thessalo victore [3], et ademptus Hector
Tradidit fessis leviora tolli
Pergama Graiis.
Nescias àn [4] te generum beati
Phyllidis flavæ decorent parentes;
Regium certè genus et penates
Mœret iniquos.
Crede non illam tibi de scelestâ
Plebe [5] dilectam; neque sìc fidelem,
Sic lucro aversam potuisse nasci
Matre pudendâ.
Brachia et vultum teretesque suras

sandrà loquitur, unâ è Priami filiabus, quam Agamemnon, Atrei filius, captivam secum Argos reduxit.

3. *Thessalo victore :* Achillem intellige, qui Hectora, tutissimum Trojæ præsidium, neci dedit, et sic Græcorum victoriam asseruit. — *Leviora tolli Pergama :* grave erat, antè Hectoris mortem, Trojam expugnare; Hectore vero occiso, res *levioris* momenti fuit. — *Tolli :* id est, penitùs excindi; et *leviora tolli*, poeticè et hellenicè, pro, leviora facta, et faciliùs tollenda. Imitatus est Noster Homerum Il. ω, 243, ῥᾴτεροι γὰρ μᾶλλον Ἀχαιὸισιν δὴ ἔασθε, Κείνου τεθυειῶτος, ἐναιρεμεν : *faciliores enìm Græcis jàm eritis tolli, eo occiso.*

4. *Nescias àn :* Formula usitata, pro adverb. *fortassè*, gallicè : *que savez-vous si..... àn*, sæpiùs, nt eo in loco, pro, *annon*, usurpatur. — *Generum decorent :* annòn tibi summæ laudi esset Phyllida, non ut servam, non ut amasiam habere, sed etiam uxorem ducere, præ parentum suorum opulentiâ et dignitate. Phociæ libidini blanditur.—*Regium certè genus :* sivè hæc verba sint in nominativo casu, et subaudiatur verbum *est;* sive sint in accusativo, et verbo *mœret* subjecta, sensus idem.— *Penates iniquos :* domum paternam, à quâ Phyllida avelli, et in servitutem redigi, Dî Lares, Dî tutelares permiserint.

5. *De scelestâ plebe :* scelestus interdùm pro infelix ponitur. Plaut. in Mostell. *Scelestiorem ego annum argento fœnori Nullum unquàm vidi;* plebs autem misera quidèm dici potest, non autèm absolutè scelerata; est modus in rebus. — *Tibi dilectam :* nonnulli legunt, *delectam;* malè. — *Neque sic fidelem :* tibi tantâ fide, tàm sincero amore adhærentem.

Integer laudo [6]; fuge suspicari,
Cujus octavum trepidavit ætas
Claudere lustrum.

6. *Integer laudo :* omnis amoris expers, et ideò tranquillus, ut judicem decet. — *Fuge suspicari :* junior, tibi suspectus esse possem, non ut rivalis, quod vulgò interpretantur; rivalis enim, coràm rivale, communem amasiam laudare inprimis cavet; sed ut præoccupationi obnoxius; adolescenti enim, cujus sanguis fervet et facilè inflammatur, omnis mulier formosa videri potest. — *Trepidavit ætas :* rectè, *trepidavit*, id est, nimiùm properavit; iis enim qui medium vitæ curriculum attigerunt, juveniles anni rapidissimè elapsi videntur.

ODE QUINTA

AD AMICUM.

Eum hortatur, ut à potiundâ Lalage, puellâ adhùc tenerâ, et nullo contactâ amoris igniculo abstincat, expectetque donec ad nubilem ætatem pervenerit, quæ tùm votis ejus libentèr satisfactura sit.

Nondum subactâ ferre jugum valet [1]
Cervice, nondùm munia comparis
Æquare [2], nec tauri ruentis
In venerem tolerare pondus.

1. *Nondùm subactâ ferre jugum valet :* pulcherrimam instituit Noster comparationem, intactam inter juvencam et immaturam virginem; allegoriam deindè sustinet et continuat, et, in fine tantùm carminis, Lalagen sub nomine juvencæ intelligi debere lector admonetur.—*Subactâ cervice :* ut enùm juvenca, antequàm exercitio subigatur, adversùs jugum rebellat, sic puella, nondùm tempestiva, amatoris vel mariti blanditias et contactum refugit.

2. *Nondùm munia comparis æquare :* operam, comparis operæ æqualem, præstare potest. Ducta est imago à juvencis aratro vel currui junctis, quorum alter ætate ac viribus compari inferior, æquam laboris partem in se recipere haùd valet. —*Nec tauri ruentis In venerem :* in exprimendo amoris commercio, satis pudori consultum credebant veteres, dummodò illud translatitiis verbis eloquerentur; sic Æschyl. Agam. 254, Iphigeniam, honestâ appellatione, ἀταύρωτον nominat, id est, tauri expertem, nesciam. Moribus nostris nullatenùs consona est illa in scribendo audacia. —*Ruentis in venerem;* sic Virg. Georg. III, 244 : *Omne adeò genus in terris hominumque ferarumque In furias ignemque ruunt.*

Circà virentes est animus tuæ
Campos [3] juvencæ, nùnc fluviis gravem
Solantis æstum, nùnc in udo
Ludere cum vitulis salicto
Prægestientis. Tolle cupidinem
Immitis uvæ [4]: jàm tibi lividos
Distinguet auctumnus racemos [5]
Purpureo varius colore.
Jàm te sequetur [6]: currit enìm ferox
Ætas, et illi, quos tibi dempserit,

3. *Circà virentes campos :* expende unumquemque exquisitissimæ strophes locum; suavissimam delineat vates imaginem puellæ, quæ, nullo adhùc amore tacta, pueriles cum æqualibus lusus et jocos sectatur; nùnc prata percurrit, in quibus vel flores legat, vel misceat choreas; nùnc undis fluvialibus, ad innocuam refrigerii voluptatem, mergitur; nùnc hilaribus ludis cum coætaneâ puerorum et puellarum catervà, operam dare gestit. — *Tuæ juvencæ :* nomen commune juniori bovi, et juniori puellæ, et ad poetæ propositum mirè accommodatum. — — *Prægestientis :* nota in verbo composito vim præpositionis; non simplicitèr *gestit*, sed *gestit præ* aliis, antè omnia gaudet.

4. *Tolle cupidinem Immitis uvæ :* non omnia in veteribus, neque etiàm in celeberrimis scriptoribus admiranda. *Summi homines, homines tamèn*, ut ait Quinctilianus; neque dignus est qui res verè laudandas miretur, quisquis in vitiis aut mendis connivere voluerit. Peccare igitùr hìc mihi videri Horatium non diffitebor, dùm non perstat in unâ allegoriâ, sed ad novam transit, à priore remotissimam. Quæ quidèm imaginum in unâ eâdem re adumbrandâ diversitas, poesim ad severi judicii normam æstimantibus approbari nequit. Cæterùm puellarum in amore adhùc crudarum cum immaturis fructibus comparatio apud veteres poetas haud infrequens est.

5. *Lividos racemos :* subnigrum enìm colorem trahunt uvæ, proùt maturescunt. *Liventes sole racemos* Sil. Ital. VII, 208. *Prima mihi variat liventibus uva racemis*, Propert. IV, 2, 13.

6. *Jàm te sequetur :* ad priorem redit allegoriam; ipsa Lalage te (nec longum erit) provocabit. — *Currit enìm ferox ætas :* citò enìm avolat pars illa pueritiæ, in quâ, præ nativo pudore, et mutis adhùc sensibus, tenera virgo *ferocem*, id est superbam, et tactus viriles aver-

Apponet annos : jàm protervà
Fronte petet Lalage maritum [7],
Dilecta, quantùm [8] non Pholoe fugax,
Non Chloris, albo sic humero nitens,
Ut pura nocturno renidet
Luna mari, Gnidiusve Gyges [9];
Quem si puellarum insereres choro,
Mirè sagaces falleret hospites

santem se præstat. — *Et illi quos tibi dempserit Apponet annos;* dùm tu, uno quoque anno, primum illum juventutis florem tam facilè decidnum, perdes, illa eumdem quasì à te mutuari videbitur; juvenis enim viginti, puta, annos natus, per quinque aut sex aunos sequentes, nonnihil de juvenili decore amittit; puellam autèm, natam decem videlicèt annos, quod amatori suo idem temporis intervallum rapuit colluceratam esse diceres. Nubilis facta, toto pulchritudinis splendore corruscat.

7. *Jàm protervâ fronte petet maritum :* sustinet allegoriam à juvencâ ductam. Lasciviam et petulantiam notat puellæ mòx amatores ultrò lacessituræ.

8. *Dilecta quantùm :* quæ Lalage tùm diligetur à pluribus amasiis, quàm Pholoë et Chloris, fœminæ pulcherrimæ. — *Pholoe fugax :* viros fugiens. Eamdem *asperam* nominat suprà od. I, 33, 6. — *Ut pura luna :* nullis nebulis obducta; cujus radii per planì æquoris superficiem quasì per crystallum repercussi, multò splendidiùs nitent.

9. *Gnidiusve Gyges :* sic dictus, vel à Cnido, aut Gnido, urbe Cariæ, vel propter eximiam pulchritudinem, et ideò Veneri dilectum. — *Mirè sagaces falleret hospites :* sic construe phrasim tantillùm implicatam : si insereres Gygen puellarum cœtui, discrimen inter ejus formam et sociarum pulchritudinem, obscurius factum solutis, de more puellari, Gygis crinibus, et ejusdem vultu ambiguo, falleret hospites, id est, extraneos viros vel sagacissimos, qui eum non antè nosscerent. Nimiam poeseos luxuriem in amplificandâ adolescentuli pulchritudine, rectè damnaverunt severi interpretes. Cæterùm, ad Achillem in Lycomedis aulà snb muliebri veste delitescentem allusisse videtur Horatius, cùm Statius iisdem fermè verbis usus sit, Achill. I, 332 : *Superest nàm plurimus illi Invictâ virtute decor; fallitque tuentes Ambiguus, tenuique latens discrimine sexus.* Porrò, morem illum comam alendi promittendique, undè sexûs ambiguitas, ut delicatulis istis adolescentibus proprium, passìm attiugit Hora[illegible]. Vide III, 20, 14; IV [illegible]ius. Epod. II, 28, A[illegible], 10, 3; [illegible]pposità ad hunc

Discrimen obscurum solutis
Crinibus, ambiguoque vultu.

locum, Juvenalis de pupillo tutorem suum in jus vocante: *cujus manantia fletu Ora puellares faciunt incerta capilli.*

ODE SEXTA.

AD TITIUM SEPTIMIUM.

Septimium, quem, ut spectatæ fidei amicum, remotissima quæque secum loca aditurum esse sibi persuasum habet, rogat poeta, ut nunc in agrum Tiburtinum vel Tarentinum, ubi reliquam vitæ partem transacturus sit, se comitetur, et, si supremum diem ibi obierit, piis lacrimis cineres spargendo justa sibi persolvat. Omnis igitur hujus carminis finis in raræ, quam Septimius Horatio voverat, amicitiæ laude ponendus esse videtur.—Eumdem Septimium Tiberio in Orientem proficiscenti commendat Noster, infr. Ep. I, 9.

Septimi, Gades aditure mecum [1], et
Cantabrum indoctum juga ferre nostra, et
Barbaras Syrtes, ubi Maura semper
Æstuat unda :

1. *Gades aditure mecum :* ô tu, qui tàm arcto amicitiæ vinculo mecum conjungeris, ut, si opus esset, mihi comes adesse ubicumque terrarum non dubitares. Non quod reverà futurum est, sed quod, modò postuletur, illicò fieret, indicat per hanc vocem, *aditure*. — *Gades* notat ut locum remotissimum, columnis Herculeis proximum; Cantabriam, ut bellis infestam et ideò periculosissimam regionem; Syrtes, ut naufragiis infames innumeris; quid majus amicitiæ testimonium? quo meliori argumento, quantùm isti amicitiæ fidat, significet Horatius? — *Cantabrum indoctum juga ferre nostra :* sic infrà III, 8, 22 : *Servit, Hispanæ vetus hospes oræ, Cantaber, serâ domitus catenâ.* Cantabri, populus Hispaniæ ferocissimus, eam partem incolebant quæ nùnc *Asturiæ* et *Biscaïa* dicitur. Victi semel et iterùm ab Augusto, ab Agrippâ deniquè anno U. C. 734, perdomiti sunt. — *Barbaras Syrtes :* vide suprà, Od. I, 22, 5.

Tibur, Argeo positum colono [2],
Sit mihi sedes utinàm senectæ!
Sit modus lasso maris, et viarum,
Militiæque.
Undè si Parcæ prohibent iniquæ [3],
Dulce pellitis ovibus Galæsi
Flumen, et regnata petam Laconi
Rura Phalanto.
Ille terrarum [4] mihi præter omnes
Angulus ridet, ubì non Hymetto
Mella decedunt, viridique certat
Bacca Venafro:
Ver ubì longum, tepidasque præbet

2. *Tibur, Argeo positum colono:* de Tibure, et de Tiburis conditoribus consule suprà I, 18, 2. Nexus autèm sententiæ: non tàm ardua, tàm periculosa ab amico meo requiram. Unicum illud mihi in votis, in villâ meâ Tiburtinâ tranquillam senectutem degere. — *Sit modus lasso maris:* construe: mihi lasso, Tibur *sit modus*, sit terminus maritimorum et terrestrium laborum, adeòque ipsius militiæ.

3. *Undè si Parcæ prohibent iniquæ:* si fati asperitas (fati enìm Parcæ sunt ministræ) tantam mihi felicitatem invidet. — *Dulce pellitis ovibus:* in dativo casu. — *Flumen Galæsi:* flumen in Calabriâ, juxtà Tarentum, versibus Virgilianis in IV° Georg. celebratissimum; ibì oves tàm præstanti lanâ vestiebantur, ut in pascuis vellera earum, pannis quibusdam superpositis, contrà cœli intemperiem, pluvias et frigora munirentur. — *Regnata petam Laconi Rura Phalanto.* Urbem Tarentum condiderat vel instauraverat Phalantus quidam, homo Græcus, è Laconiâ, regione Peloponnesi, in Italiam profectus. Eadem vota exprimit, Epist. I, 7, 44: *Mihi jàm non regia Roma, Sed vacuum Tibur placet aut imbelle Tarentum.*

4. *Ille terrarum:* hunc locum imitatus est Fenelo, in ode, cui Titulus: *Montagnes de l'Auvergne: Cet heureux coin de la terre Me plaît et rit à mes yeux. — Ubì non Hymetto Mella decedunt.* — Non inferiora Hymettio melli; Hymettus autèm, mons Athenis propè contiguus. — *Viridique certat Bacca Venafro:* et ubì bacca, id est, semen vel adeò fructus oleæ Tarentinæ, de principatu contendit cum baccâ Venafranâ, è quâ oleum viridantis coloris, et id-

Jupiter brumas, et amicus Aulon
Fertili Baccho [5], minimùm Falernis
Invidet uvis.
Ille te mecum locus et beatæ
Postulant arces; ibì tu calentem
Debitâ sparges lacrimâ favillam
Vatis amici.

eò præstantissimum exprimitur.

5. *Amicus Aulon fertili Baccho :* Aulon, mons generosi vini ferax in Calabriâ. — *Minimùm invidet :* paribus aut inferioribus vulgò non invidemus. — *Beatas arces* : non propriè arces Tareutinas, id est muros urbis in loco sublimiori editos intelligit, de quibus Polybius, fragmento, lib. VIII, et Tit. Liv. lib. XXV; sed colles illos verè fœcunditate suâ beatos quos nupèr memoravit. — *Ibì tu calentem :* affectus spirat hic locus tenerrimos; supponit, vel potiùs asserit Horatius in fatis, in ordine naturæ esse, ut amicus sibi superstes vivat, et certus suis cineribus debitos honores, justas lacrimas persolutum iri, contrariam hypothesim prævidere renuit.

ODE SEPTIMA

AD POMPEIUM VARUM.

Commilitoni et amico reditum in patriam post civile bellum, et restituta jura, et assertam in futurum incolumitatem gratulatur.

O SÆPE mecum tempus in ultimum
Deducte [1], Bruto militiæ duce,
Quis te redonavit Quiritem
Dis patriis, Italoque cœlo,
Pompei, meorum prime sodalium,
Cum quo morantem sæpè diem mero

1. *Tempus in ultimum deducte :* qui summis periculis mecum fuisti obnoxius. — *Bruto militiæ duce :* Brutus et Cassius, Romani senatores, principes eorum extitère, qui Cæsarem in Curiâ percussernnt. In eos, ultor C. Julii Cæsaris Octavius, bellum movit. Commissâ propè Philippos, urbem Thessaliæ, pugnâ, in quâ tribunus militum Horatius stipendia faciebat, ipse abjectis armis, fugit; Brutus et Cassius periêre, anno U. C. 712. — *Quiritem :* civem Romanum. Sabini, Italiæ populi, Curites, vel Quirites olim appellabantur, à Curibus, eorum urbe primariâ, sive quòd hasta, quâ plurimùm ntebantur, *quiris* eorum linguâ diceretur. Diù enm nascente Româ vario bello conflictati, demùm icêre fœdus eâ lege, ut in unum populum ipsi Romanique coalescerent, ac nomen Quiritium Romani adsciscerent. Pompeius ille Varus, ad quem Horatius scribit, veniam ab Augnsto, in quem arma bello civili tulerat, impetravit, quam nisi exoravisset, exul, privatus jure civitatis, et hostis patriæ, vixisset. Meritò igitùr illi gratulatur Horatius, quòd præclarum illud Quiritis, seu Romani civis nomen recuperaverit. JUVENC. — *Meorum prime sodalium :* carissime, vel antiquissime.

Fregi [2], coronatus nitentes
Malobathro Syrio capillos?
Tecum Philippos et celerem fugam
Sensi [3], relictâ non benè parmulâ,
Cùm fracta virtus, et minaces
Turpe solum tetigêre mento.

2. *Morantem sæpè diem mero Fregi :* frangere diem, idem est ac, *partem solido demere de die*, suprà Od. I, 1, 20. Vide notam in hunc locum. Dies *solidus* jure appellandus est, qui totus, qui integer, in rebus seriis consumitur, dato ad virium refectionem exiguo tempore, quod necessitas postulat. Qui nimis longam diei partem dat compotationibus, verè ipsius soliditatem *frangit*, solvit integritatem. — *Morantem :* qui nobis laborem et gravia studia aversantibus, *morari*, tardè fluere videbatur. Malè nonnulli de longis et æstivis diebus interpretantur; quid enim ad rem, an æstivi an hiberni dies sint, cùm de comessationibus agitur? Dies hìc consideratur non ut nocturnis tenebris oppositus, sed ut viginti et quatuor horis constans, quas cum amico fefellisse se commemorat Horatius. — *Malobathro Syrio :* malobathrum est propriè frutex odoratus, in Indiæ paludibus nascens, è cujus folio conficiebatur unguentum nobilissimum; dicitur *Syrium*, quòd ex Indiâ in Syriam, et è Syriâ Romam à mercatoribus deportabatur.

3. *Tecum Philippos et celerem fugam Sensi :* ellipticè, pro : tecum expertus sum malam pugnæ Philippensis fortunam, et probrum celeris fugæ. — *Relictâ non benè parmulâ :* nihil est cùr cum amico, qui culpæ testis, qui particeps forsàn fuerat, dissimulet Horatius. Quo tempore scribit, omnia composita sunt : vitam tranquillam Romæ agit, amicum reducem amplexus est; tot et tanta commoda vividiùs sentit, quàm ut reticeat non honestam quidèm, sed felicem fugam, satìs aliundè notam. Fugerant quoque Alcæus, Archilochus, Demosthenes. Hoc sit dictum non ad laudem, sed ad excusationem Horatii. — *Cùm fracta virtus :* proprium dedecus fatetur, aliorum fortitudinem extollit, in utroque rectus et laudabilis. — *Turpe solum :* humum sanguine turpatam. — *Minaces tetigere mento :* viri fortes, cùm in acie cadunt, solent humum dentibus quasì mandere, vel desperatione ac furore; vel, ne quem gemitum suâ fortitudine indignum edant. Hinc gallica illa locutio : *mordre la poussière. Minaces :* minas vel ipsâ in morte præferentes. Ità Florus, I, 18 : *Omnium in manibus enses, et relictæ in vultibus minæ, et in ipsâ morte ira vivebat.*

Sed me per hostes Mercurius [4] celer
Denso paventem sustulit aere :
Te rursùs in bellum resorbens
Unda fretis tulit æstuosis.
Ergò obligatam redde Jovi dapem,
Longâque fessum militiâ latus
Depone sub lauru meâ [5], nec
Parce cadis tibi destinatis.
Oblivioso levia Massico
Ciboria [6] exple; funde capacibus
Unguenta de conchis. Quis udo
Deproperare apio coronas
Curatve myrtho? Quem Venus arbitrum
Dicet bibendi? Non ego saniùs

4. *Sed me Mercurius :* Mercurius, tutor poetarum, quos ideò Noster vocat, *viros Mercuriales*, infrà, II, 17, 29. — *Denso sustulit aere :* alludit facetissimè ad heroas Homericos, qui passim ab aliquo deo, nube circumfusi, *denso aere*, sic præliis et instanti periculo eripiuntur. — *Resorbens unda fretis tulit æstuosis :* belli impetus poeticè comparatur cum impetu undæ marinæ omnia fluctibus æstuosis secum abripientis. Fuit igitùr Pompeius Varus, unus ex iis qui Philippensi cladi superstites bellum in Siciliâ, duce Sexto Pompeio, Magni filio, instauraverunt.

5. *Sub lauru meâ :* Sanadoni assentior; hìc singularis numerus pro plurali accipiendus est; intellige igitùr : sub lauris meis: quæ quidèm verba, post humilem fugæ suæ confessionem, non nisì ironicè scribi potuerunt ab Horatio.

7. *Levia ciboria :* polita pocula. *Ciborium*, propriè significat fabam aut siliquam fabæ Ægyptiæ, quæ ab imâ parte angustâ sensìm diducitur et crescit, ac instàr scyphi adhibetur. Pocula quædam capaciora ad cum facta modum, *ciboria* sunt appellata. — *Conchis :* vasculis è conchâ factis, vel ad conchæ similitudinem. Sunt autèm conchæ piscium testæ. — *Quem Venus, etc. :* in ludo talorum, jactus fortunatissimus dicebatur *Venus*, nempè cùm tali omnes diversis singuli punctis notati (adhibebantur autèm tres ut plurimùm) projiciebantur è fritillo in alveum, seu tabulam lusoriam : vel cùm tesseræ omnes quæ vulgò erant quatuor, in faciem sex punctis inustam caderent. Quamobrèm idem ille jac-

Bacchabor Edonis : recepto
Dulce mihi furere est amico.

tus, *senio* vocabatur. Infelicissimus autèm jactus, dicebatur *canis*, seu *canicula*, qui notatas unico puncto tesseras, vel talos afferebat.—*Edonis :* Edoni erant Thraciæ populus, in gente bibaci, bibacissimus. — *Furere :* tàm largè potare, ut ratio excidat. Θέλω, θέλω μανῆναι, Anacr. XXXI.

ODE OCTAVA.

IN BARINEN.

Perfidiam Barines ità increpat, ut vel ipsis querimoniis amorem suum testetur, et ipsius pulchritudinis laudes amplificet. Elegantissimum carmen gallicis versibus felicitèr imitatus est V. clar. J. F. La Harpe, *quos legere est in opere cui titulus :* Cours de littérature : *t. II,* 155, *Detervillianâ edit.* 1818.

Ulla si juris tibi pejerati
Pœna [1], Barine, nocuisset unquàm;
Dente si nigro fieres, vel uno
Turpior ungui,
Crederem [2]. Sed tu, simùl obligasti
Perfidum votis caput, enitescis

1. *Ulla si juris tibi pejerati Pœna :* jurare, est fidem dare, sacramento interposito, testibus sinceritatis suæ diis, aut cœlo, aut sideribus appellatis. Undè in religione est apud omnes populos, ut perjuria puniantur à numinibus invocatis. Nullam adhùc pœnam perjuriorum Barine experta est. *Jus pejeratum* opponitur juri-jurato, et significat sacramentum violatum, fractum. — *Dente si nigro fieres :* non levissimam adhùc in corpore mendam passa est. Quàm delicatum perjuræ amasiæ præconium! ne unius quidèm dentis ebur violatum est. — *Vel uno turpior ungui :* ob innumera perjuria, digna fuit quæ formam et illecebras amitteret; illud est Barines privilegium, ut, quâ parte eam peccare minimè dedeceret, unguiculo videlicèt, omninò intacta sit.

2. *Crederem :* signis illis admonitus, tibi crederem, certus tuam perfidiam, ut mihi notam, sic non impunitam fore. — *Enitescis pulchrior multò :* enitescis! pro verbo simplici, *es :* sed quàm multò vividius,

Pulchrior multò, juvenumque prodis
Publica cura.
Expedit matris cineres opertos
Fallere [3], et toto taciturna noctis
Signa cum cœlo, gelidâque Divos
Morte carentes.
Ridet hoc, inquam, Venus ipsa [4], rident
Simplices Nymphæ, ferus et Cupido,
Semper ardentes acuens sagittas
Cote cruentâ.
Adde quod pubes [5] tibi crescit omnis,
Servitus crescit nova; nec priores

quàm poeticum magis. Sic supr. I, 5, 12: *Miseri, quibus intentata nites!* Non modò non pœnas, sed novos lepores è perfidiâ tuâ trahis.—*Juvenumque prodis publica cura:* vix in publicum procedis, omnes juvenum oculos, omnes curas allicis. *Et vera incessu patuit dea*, Virg. Æne. I, 409.

3. *Expedit matris cineres opertos Fallere:* tantùm igitùr abest perjurii pœna te sequatur, ut videatur tibi expedire, utile esse, res sanctissimas, jurejurando, violare; verbi grat., cineres matris tuæ urnâ reconditos, cujus jurisjurandi magna erat religio. *Ossa tibi juro per matris et ossa parentis*, Propert. II, 16, 15.— *Et toto taciturna noctis Signa cum cœlo:* similitèr conjunxit Virg. Æn. IX, 429: *Cœlum hoc et conscia sidera testor.*

4. *Ridet hoc, inquam, Venus ipsa:* ut *Nec jurare time: Veneris perjuria venti Irrita per terras et freta summa ferunt*, Tibull. I, 4, 21. — *Simplices Nymphæ:* eodem sensu, quo Virgilius eas *faciles* nominat, Ecl. III, 9: *Et quo (sed faciles Nymphæ risêre) sacello.* — *Ardentes sagittas:* quæ, ignis instàr, cor, medullam, ossa depascunt, exedunt, torrent. — *Cote cruentâ:* cote quam crudelis Puer, non aquâ, ut fieri solet, sed cruore perfundit, amantium malis gaudens: et id dictum, proptèr cædes quas amor gignit, vel quòd immoderatus amor exitium amantis maturet.

5. *Adde quod pubes:* quidquid est juvenum, adolescit tibi, in tuî gratiam, ut tuo se submittat imperio; undè, *servitus nova. Servire, servitium* de amante; *regnum* è contrà mulieri amatæ tribuitur. Inverso sensu, Tibullus Cinthi adolescentuli pulchritudinem laudans, IV, 5, 3: *Te nascente, novum Parcæ cecinêre puellis Servitium, et dederunt regna superba tibi.* —

Impiæ tectum dominæ relinquunt,
Sæpè minati.
Te suis matres metuunt jnvencis [6],
Te senes parci, miseræque nupèr
Virgines nuptæ, tua ne retardet
Aura maritos.

— *Impiæ dominæ :* quæ deos perjuriis sacrilegis læsit.— *Sæpè minati :* inanes amatorum minæ in Nostro, ut in cæteris vatibus eroticis, satìs obviæ.

6. *Te suis matres metuunt juvencis :* natis suis, vixdùm adultis, pulchritudinem tuam reformidant. Cùr autèm *juvencorum* nomine adolescentes appellet, mòx liquebit. — *Te senes parci :* timent ne meretriciis tuis artibus ad bona profundenda filii sui inducantur. Vide quàm fidum naturæ legibus obsequium præbeat Horatius. Mater, innocentiæ filii sui et pudori timet; pater senior, patrimonio suo. — *Miseræque nupèr Virgines nuptæ :* miseræ, quæ sponsum recentem perditè amantes, te, tàm pulchram, ut formidatissimam rivalem, intuentur. —*Tua ne retardet Aura maritos :* ne solus odor è corpore tuo emissus, avocet earum maritos ab amore conjugali, et eos vel invitos ad te rapiat. Metaphora ducta est ex illo Virgiliano Georg. III, 250 : *Nonne vides ut tota tremor pertentet equorum Corpora, si tantùm notas odor attulit auras.* Nec eamdem imaginem regio epithalamio apponere dubitavit Claudian. de Nuptiis Honor. 287 : *Calet obvius ire Jàm princeps..... Nobilis haùd alitèr sonipes, quem primus amoris Sollicitavit odor, etc.* Sic explicatur vox illa, *juvencis*, quæ superiùs notata est, quæque adhibitæ metaphoræ apprimè congruit ; illam tamèn inhonestioris rei imaginem à moribus nostris alienam facilè confitebimur.

ODE NONA

AD T. VALGIUM.

Amicum hortatur, ut Mystæ cujusdam, quem filii loco habuisse, saltèm tenerrimo amore amplexus esse videtur, mortem immoderatis lacrimis prosequi desinat.

Non semper imbres [1] nubibus hispidos
Manant in agros, aut mare Caspium
Vexant inæquales procellæ
Usquè; nec Armeniis in oris,
Amice Valgi [2], stat glacies iners
Menses per omnes, aut Aquilonibus

1. *Non sempèr imbres :* consolaturus *poetam* (vide infrà) poeticà, ut ità dicam, consolatione utitur. Lege et confer pulcherrimam clar. viri Gresset odeu, quâ matris, continuo dolori ob amissam filiam indulgentis, luctum similibus ferè argumentis et comparationibus delinire conatur. — *Hispidos :* imago deducta ab homine, cujus aspectum *hispidi* præsertìm capilli deformem et horrendum faciunt. Sic et agros imbres perpetui deturpant. — *Mare Caspium :* Lacus immensus, seu potiùs, mare mediterraneum in Asiâ, antiquum nomen hodiè retinens, inter Persidem à meridie, Armeniam ab occasu, Tartariam à septentrione, et Indiam ab oriente, porrectum. — *Inæquales procellæ :* sivè, quòd procellæ inæqualitèr, h. e. vario, turbido et incoustante impetu decidunt, sivè quòd mare inæquale reddunt, et solitam fluctuum planitiem subvertunt.

2. *Amice Valgi :* Valgium illum honestissimè nominat Noster, Sat. I, 10, 82, cum Vario et Virgilio; poeta epicus fuit, de quo Tibullus, IV, 1, 180: *Est tibi qui possit magnis se accingere rebus Valgius; æterno propior non alter Homero.* Non solùm carmina ejus, sed ipsos carminum titulos abolevit

Querceta Gargani laborant,
Et foliis viduantur orni.
Tu semper urges [3] flebilibus modis
Mysten ademptum; nec tibi, Vespero
Surgente, decedunt amores,
Nec rapidum fugiente Solem.
At non, ter ævo functus [4], amabilem
Ploravit omnes Antilochum senex
Annos; nec impubem parentes
Troïlon, aut Phrygiæ sorores
Flevêre semper. Desine mollium

ætas. — *Querceta Gargani :* Garganus, mons, aut potiùs promontorium Apuliæ, in mare Adriaticum procurrens (hodiè *monte S. Angelo,* in *Capitanata,* regni Neapolitani provinciâ). — *Laborant : laborare* elegantèr dicitur, quidquid vim, impetum, onus vix sustinere potest. Suprà Od. I, 9, 4 : *Sylvæ laborantes.* — *Viduantur :* vox affectûs plena; quam refer ad dolorem Valgii, qui dilectissimo puero orbatus, et quasi viduatus est.

3. *Tu sempèr urges :* indesinentèr prosequeris; similitèr *lacrimis urgere* dixit Propert. IV, 11, 1 : *Desine, Paulle, meum lacrimis urgere sepulchrum.* — *Mysten :* nomen græcum, undè concludere licet puerum illum, non, ut credere se fingunt plerique interpretes, Valgii filium fuisse, sed servulum ab eo adamatum. Quam interpretationem firmat vox subsequens, *amores,* quæ in plurali numero, de amore paterno nusquàm intelligi potuit. — *Vespero surgente :* stella Veneris, cùm solis occasum subsequitur *Vesper,* aut *Vesperus* dicitur; cùm ortum præcedit, *Lucifer.* Eodem nomine, eamdem stellam, sive serotina sit, sive matutina, à poetâ nominari quid vetat?

4. *Ter ævo functus :* triginta et tres circitèr annos, si medium, ut aiunt, terminum sumas, vivunt homines; et, ut Horatianis verbis utar, quicumque anni ultrà hanc communem mensuram nonnullis apponuntur, aliis dempti sunt. Vixit igitùr Nestor centum ferè annos, non, de vulgari opinione, trecentos. — *Amabilem Antilochum :* verè amabilem, qui patri Nestori jàm saucio, in acie periclitanti adversùs Memnonem succurrens, ipse pro patre occubuerit. Vide Hom. in Odyss. γ, et δ. — *Troïlon :* Troïlus, filius Priami et Hecubæ, *Infelix puer, atque impar congressus Achilli,* Virg. Æn. I, 479. — *Phrygiæ sorores :* Cassandra, Creüsa, Polyxena.

Tandèm querelarum [5], et potiùs nova
Cantemus [6] Augusti tropæa
Cæsaris, et rigidum Niphaten [7], 20
Medumque flumen, gentibus additum
Victis, minores volvere vortices;
Intràque præscriptum Gelonos
Exiguis equitare campis.

5. *Desine mollium tandèm querelarum :* Λῆγε γόων, ὀδυρμῶν, pro, desine queri. Nota epitheton illud, *mollium*, quod certè, patri filii mortem deflenti minimè conveniret. *Tandèm*, longas nimis querimonias incusat, quæ primo doloris tempore excusari potuissent.

6. *Cantemus :* ego et tu, concordi voce, celebremus novas, quas Augustus ab Armeniis, Parthis et Gelonis reportavit, victorias. Rem, ut poeta, auget. Justo bello enim nullum horum populorum propriè perdomuit Augustus, sed *Armeniis*, qui per *rigidum Niphaten* designantur, misso in eorum terram Tiberio duce exercitu, regem tantùm Tigranem, pulso Artaxiâ, præposuit, vid. Dio. LIV, 9; Sueton. Tib. cap. 9; Vellei. II, 94; Tacit. Annal. II, 3. A *Parthorum* (pro quibus *Medum flumen* positum est), rege Phraate, eodem anno signa Crassi clade amissa, recepit. vid. Dio. LIV, 8. *Gelonos* deniquè, gentem Sarmaticam, cùm in Romanorum fines trans Istrum incursionem fecissent, misso Lentulo, trans flumen repulit; vid. Flor. IV, 12.

7. *Rigidum Niphaten :* Niphates mons erat Armeniæ, perpetuis nivibus, præ celsitudine, opertus. Alii amnem ejusdem nominis, in Armeniâ quoque fluentem, et sæpissimè gelu constrictum intelligunt. — *Medum flumen :* Parthicum flumen, Euphratem. — *Minores volvere vortices :* submissos, et minori cum superbiâ fluctus volvere. Notus Virgilii locus, Æn. VIII, 726 : *Euphrates ibat jàm mollior undis.* Poetis familiare est animam fluminibus præbere, ità ut aut victorias in ripis suis reportatas, aut clades acceptas quasi sentiant, et majori minorive undarum suarum pompâ testificentur. — *Intràque præscriptum :* subaud. *spatium*, intrà assignatos illi populo terminos.

ODE DECIMA

AD LICINIUM.

Cùm Horatius Licinium Varronem Murænam, Proculeii (de quo v. sup. Od. II, 2, 5) ac Terentiæ fratrem, hominem varium, ambitiosum, seditiosum, et, quidquid suaderet vehementioris animi impetus, cupidè appetentem, jàm id agere intellexisset, ut non solùm meliorem sortem (nàm bonis suis proscriptione exutus fuerat) sibi pararet, sed etiam ad honores altissimos adscenderet; præceptis saluberrimis ei in hoc carmine consulere, eumque à temerariis istis ad rectiora consilia avertere studet. Itaquè primùm ei auctor est, ut inter altiora et humiliora viam mediam, eamque ad felicioris vitæ fructum tutissimam, ingrediatur; deindè eum hujusmodi animo sapientèr se munire jubet, qui in rebus adversis meliorem sortem speret, in secundis iniquiorem timeat, adeòque adversam fortunam fortitèr ferat, in secundâ autèm minimè se efferat. Sed Licinius, uti ex Dione LIV, 3; Vellei. II, 91, discimus, tàm prudentibus amici admonitionibus non usus est; è contrà, initis paulò post cum Fannio Cæpione Augusti opprimendi consiliis, iisque detectis, gravissimas temeritatis suæ pœnas dedit, exilio primùm, deindè morte mulctatus. Tota carminis ethica in eo est, ut Licinio persuasum veniat, mediocritatem cuilibet alii fortunæ anteponendam, et retinendam in utráque sorte animi æquabilitatem.

Rectius vives [1], Licini, neque altum
Semper urgendo; neque, dùm procellas

Rectiùs vives : sapientiùs vitam institues. — *Altum :* subaud. *æquor.* — *Sempèr urgendo :* cursus tuos ità urgens, persequens, ut, cùm longè à littore recesseris, altiùs sempèr procedas, nullum itineri tuo terminum assignans, et, seriùs,

Cautus horrescis, nimiùm premendo
Littus iniquum.
Auream quisquis mediocritatem [2]
Diligit, tutus caret obsoleti
Sordibus tecti, caret invidendâ
Sobrius aulâ.
Sæpiùs [3] ventis agitatur ingens
Pinus; excelsæ graviore casu
Decidunt turres, feriuntque summos
Fulmina montes.
Sperat infestis, metuit secundis
Alteram sortem [4] bene præparatum

ociùs, inevitabile naufragium experturus. — *Nimiùm premendo littus iniquum :* alterum periculi genus notat; nautis enìm timidis, littus continuò radentibus, metuendum est ne ad vada et scopulos navim allidant. Ex dictis in argumento, obvius est allegoriæ sensus.

2. *Auream mediocritatem :* aurea vocamus quæcumque vel pulchra, vel pretiosa sunt. Nihil autèm mediocritate aut pulchrius aut pluris æstimandum. — *Diligit :* non solùm amat, sed eligit et sequitur, enititur ut hanc sibi sortem comparet. — *Tutus caret obsoleti Sordibus tecti :* pauper enìm, nequaquàm ab omni parte *tutus* est. *Fames* est *malesuada*, Virg. Æneid. VI; et *turpis egestas* eod. loco ad omnia scelera incitat. *Caret :* nota verbi reduplicationem. — *Invidendâ aulâ :* ædibus magnificis et verè regiis, quæ invidiam moveant.

3. *Sæpiùs :* nonnulli legunt, *sæviùs;* mss. fides repugnat. — *Feriuntque summos fulmina montes :* non diffitebor in veterib. codicibus legi, pro voce istâ *fulmina*, *fulgura*. Error est, procùl dubio, à manu scribentibus quondàm profectus; qnid enìm periculi à fulguribus? Locum percelebrem multi poetæ imitati sunt. *Tolluntur in altum, Ut lapsu graviore ruant*, Claudian. in Rufi. I, 22. *Numerosa parabat Excelsæ turris tabulata, undè altior esset Casus, et impulsæ præceps immane ruinæ*, Juven. X, 105. Claud. paulò infrà locum jàm citatum : *Incubuit nunquàm cœlestis flamma salictis, Nec parvi frutices iram meruere Tonantis : Ingentes quercus, annosas fulminat ornos.* Seneca denique verba Nostri usurpavit, in Agamemn. 93 : *Feriunt celsos fulmina colles.*

4. *Sperat infestis, metuit secundis Alteram sortem :* sic Seneca in præfatione libri III Quæstion. natural.: *In secundis nemo*

Pectus. Informes hiemes reducit
Jupiter, idem
Summovet. Non, si malè nùnc, et olim
Sic erit. Quondàm citharæ tacentis
Suscitat Musam, neque semper arcum
Tendit Apollo.
Rebus angustis animosus atque
Fortis appare : sapientèr idem
Contrahes vento nimiùm secundo
Turgida vela [5].

confidat, in adversis nemo deficiat ; alternæ sunt vices rerum. — *Informes hiemes :* quæ gratam naturæ faciem deformant : metonymicè. — *Jupiter,* ut omnium rerum, sic præcipuè aeris et tempestatum moderator. — *Si malè nùnc :* subaud. *est.* — *Quondàm :* interdùm, identidèm, si referas ad *suscitat :* si, ad *Musam citharæ tacentis,* intellige : quæ *anteà* silebat.—*Neque semper arcum tendit Apollo :* arcum non, nisi iratus, tendit Apollo. Res notissima ex Homero, Il. α, 59 ; ex Statio Theb. 658 : *Arcus intende sonoros ;* ex Virg. Æneid. VIII, 704 : *Actius hæc cernens arcum intendebat Apollo.*

5. *Contrahes vento nimiùm secundo Turgida vela :* redit ad allegoriam quam in initio carminis adhibuerat.

ODE UNDECIMA

AD QUINCTIUM HIRPINUM.

Amico, variis, ut videtur, curis se maceranti, eamdem, quam sæpè aliis amicis, consilii sui medicinam poeta affert. Monet enim eum, ut vanas tàm de bellis externis quàm de rebus in futurum usum necessariis curas ex animo ejiciat, vitæque potiùs brevitate antè oculos sibi positâ, unà secum, dùm licet, hilaritati et potationi indulgeat. Ad eumdem Quinctium, de quo nihil aliundè constat, scripta quoque est Epistola XVI libri primi. Poetæ nostri cùm artem, tùm ubertatem in unius ejusdemque sententiæ penetratione admiraturum comparasse juvabit, suprà in primo Odarum libro, carmen IV, IX, XI; in libro secundo, carmen III; et infrà, in quarto, carmen VII; in Epod. carmen XIII.

Quid bellicosus Cantaber [1], et Scythes,
Hirpine Quincti, cogitet, Hadriâ
Divisus objecto, remittas
Quærere, nec trepides in usum
Poscentis ævi pauca [2]. Fugit retrò 4

1. *Quidbellicosus Cantaber :* de Cantabris sàt fusè dictum suprà, II, 6, 2. — *Scythes :* in nominativo singulari, terminatione græcâ : ὁ Σκύθης, οῦ. — *Cogitet :* minetur, adversùs nos moliatur. — *Hadriâ :* mari Hadriatico. — *Objecto :* tanquàm obice et propugnaculo. *Ecce maris magno claudit nos objice pontus,* Virg. Æneid. X, 377. — *Remittas quærere :* ne quæras, ne id tibi sollicitudinem injiciat, eodem sensu quo, *quærere distuli :* inf. Od. IV, 4, 21.

2. *Nec trepides in usum pos-*

Levis juventas, et decor, aridâ
Pellente lascivos amores
Canitie, facilemque somnum.
Non semper idem floribus est honos
Vernis [3], neque uno luna rubens nitet
Vultu. Quid æternis minorem
Consiliis animum fatigas?
Cur non sub altâ vel platano, vel hâc
Pinu jacentes sic temerè [4], et rosâ

centis ævi pauca : nec sis sollicitus circà res quæ sint in usum *ævi*, id est, quæ sint necessariæ ad *ævum* hilaritèr transigendum. Vita enim brevis, et quod superest annorum, in quibus fortassè, ad explenda libidinis vota multa tibi exoptare liceret, rapidissimè effluet. Ergò, non tanto apparatu ad cursum tàm brevem peragendum opus est. Sic præcedentia cum subsequentibus facilè connectuntur. *Levis juventas :* primam του *levis* syllabam, contrà metri leges, nonnulli corripiunt, ità ut, per *levem juventam*, intelligant, juventam levibus jocis et amoribus aptam. Præstat tamèn, meo quidèm judicio, intelligere de perpetuo juventutis attributo, et servatâ versûs Alcaïci mensurâ, hanc vocem deducere à voce græcâ λεῖος, *lævis* vel *levis*, id est, imberbis, mollis, tenera, et sìc epitheton opponere vocibus sequentibus : *aridâ canitie.* — *Aridâ :* senectus vulgò sicca, macilenta, rugosa, quià vitali humore magìs ac magìs in dies destituitur.

3. *Non semper idem floribus est honos Vernis :* frequentissima veris cum juventute comparatio. Nexum autèm Horatianæ sententiæ cum præcedentibus, clarissimè indicant versus Tib. I, 4, 28: *Transiet ætas Quàm citò! non segnis stat remeatque dies. Quàm citò purpureos deperdit terra colores! Quàm citò formosas populus alba comas! — Neque uno luna rubens nitet Vultu :* luna, propter tranquillum splendorem et albedinem, pro pulchritudinis imagine à poetis sæpissimè adhibetur. Porrò nihil illo sidere magìs varium ac mutabile; nunquàm eamdem faciem servat; vix pleno lumine coruscat, statìm decrescit, et post quindecìm dies, extinguitur; redit quidèm, ut flores verni anno sequente revirescunt. Hoc inter juventutem, et omnia quibus vulgò assimilatur, discrimen. — *Æternis consiliis :* quæ vitæ humanæ spatium egrediuntur, quasi te in æternum victurum speres. — *Minorem :* cùm sis homo aliquot dierum, neque in tuâ potestate sit immensa vota, tuas vires superantia, exsequi.

4. *Sìc temerè :* ut primum se

Canos odorati capillos,
Dùm licèt, Assyriâque nardo
Potamus uncti? Dissipat Evius
Curas edaces. Quis puer ociùs
Restinguet ardentis Falerni
Pocula, prætereunte lymphâ?
Quis, devium scortum [5], eliciet domo
Lyden? Eburnâ, dic age, cum lyrâ

nobis obtulerit apta potationi, aut platanus, aut pinus, aut alia quæcumque arbos. *Jàmque ministrantem platanum potantibus umbras*, Virg. Georg. IV, 146. — *Canos odorati capillos :* hellenismus : habentes odoratos rosâ capillos jàm canescere incipientes, et ideò admoniti ut fugiente ætate utamur. — *Assyriâque nardo :* est nardus, planta odoris suavissimi, ex quâ oleum sive unguentum Nardinum elicitur. — *Evius :* Bacchus. Vide suprà, Od. I, 18, 9. — *Prætereunte lymphâ :* solebant Romani, vel nive, vel glacie, vini nimiùm effervescentis ardorem restinguere ; quòd si neutra esset in promptu, rivulis, aut aquis è profundo puteo haustis, illud immergebant, donèc refrigesceret. Quem morem nos recentiores, præsertìm durante æstate, æmulamur.

5. *Devium scortum :* meretricem, quæ non in latis civitatis viis habitare audet, sed in obscuro quolibet recessu vel angiportu, artis suæ infamiam abscondit. Eodem nomine prostibula notat Ovid. Trist. III, 7, 28 : *Tantummodo fœmina non sit Devia.* —*Èliciet domo :* pacto pretio, ad nos adducet. — *In comptum, Lacœnæ More, comam religata nodum :* multæ hìc in variis editionibus lectiones: *Incomptam comam religata nodum ;* aliàs : *incomptum comam religata nodum ;* quæ vix intelligi possunt. Quomodò enìm duo accusativi, absque ullâ præpositione, à verbo passivo, *religata*, regerentur? Meliùs in aliis : *Incomptam comam religata nodo* : malim tamèn legere cum Mitscherlich et cæteris recentioribus: *In comptum nodum religata comam*, id est, cujus coma est religata in nodum elegantèr contextum, dispositum. — *More Lacœnæ :* more puellæ Spartanæ. Fœminæ enìm Spartanæ simplicitèr quidèm, et sine luxu comebantur; sed non sine arte quàdam, ad alliciendos hominum oculos mirè accommodatâ. Undè, voluptatem somnians Virgilius in Georg. II, 487, ruris primùm extollit delicias, sylvarum umbras, dulce è fluminibus refrigerium, mox præcipuum ruris ornamentum sibi pingit virgines Lacœnas: *O ubi Tempe, Sperchiusque, et Virginibus bac-*

Maturet, in comptum, Lacœnæ
More, comam religata nodum.

chata Lacœnis Taygeta! Cultum verò meretricium artificio et naturâ benè mixtum et compositum esse decet.

ODE DUODECIMA

AD MÆCENATEM.

Mæcenas Horatium invitaverat ut res ab Augusto egregiè scriptas caneret. Musam suam sublimi huic argumento imparem fatetur vates, et, ne Augusti laudes oblivione deleantur, Mæcenatem vicissìm hortatur ut eas solutâ et historicâ oratione celebret. Indè ad genus lyræ suæ aptissimum defluit. Licymniam laudat, ipsius Horatii dominam, quamque, nescio quo errore obcæcati multi interpretes, non Mæcenatis amasiam, sed et ipsam uxorem esse voluerunt. Quæ quidèm opinio, in notis, falsa demonstrabitur. Mæcenatem autèm scribendæ Augusti historiæ operam reverà dedisse tradit Plinius, VII, 45. Eâdem arte, in celebrandis Augusti laudibus, usus est Propertius II, 1.

Nolis longa feræ bella Numantiæ [1],
Nec dirum Hannibalem, nec Siculum mare
Pœno purpureum sanguine, mollibus
Aptari citharæ modis;

1. *Feræ Numantiæ : Numantia,* Hispaniæ Tarraconensis urbs olim nobilissima, quæ, cùm plures annos (in annorum numero scriptores inter se discrepant) fortissimè Romanis restitisset, tandèm à Scipione Africano minore deleta est; vide Flor. II, 18; Vellei. II, 4, 2; Strabon. III, p. 246. *Feræ* referendum fortassè eò, quòd ejus incolæ, ut tradit Florus l. I, *in ultimam rabiem furoremque conversi, duces suos seque patriamque, ferro et veneno subjectoque undique igne, peremerunt.* — *Nec durum Hannibalem :* in multis codic. legitur *dirum.* — *Nec Siculum mare :* intellige tres nobilissimas illas pugnas na-

Nec sævos Lapithas [2], et nimium mero
Hylæum, domitosque Herculeâ manu
Telluris juvenes, undè periculum
Fulgens contremuit domus
Saturni veteris. Tuque pedestribus
Dices historiis [3] prælia Cæsaris,

vales, quibus Carthaginienses in bello Punico primo, ad Siciliam victi sunt à Romanis, C. Duillio, Regulo, et C. Lutatio ducibus.

2. *Sævos Lapithas :* vide Lapitharum cum Centauris pugnam, ab Ovidio descriptam, Metam. XII, 220.—*Nimium mero Hylæum.* Memoratur quoque in celeberrimo prælio Hylæus à Virgil. Georg. II, 457 : *Et magno Hylæum Lapithis cratere minantem.* —*Domitos Herculeâ manu :* Hercules non minorem quàm Bacchus ipse partem in victoriâ de Gigantibus reportatâ, sibi vindicat; vide infrà, Od. II, 19, 21. — *Telluris juvenes :* Terræ filios, Gigantes, γηγενεῖς. Illi cùm Jovem et cœlum obsiderent, essetque diù anceps et periculosa pugna, ferunt Terram Jovi renuntiasse, non alitèr Deos Gigantibus superiores futuros, quàm si duos semideos sibi belli socios et adjutores adjungerent. Ità Bacchus et Hercules accersiti sunt, quorum operâ et virtute, Superi victoriam sunt adepti. Juvenc.

3. *Tuque pedestribus Dices historiis :* nexus sententiæ cum præcedentibus : non meum est res heroïcas molliori citharâ celebrare, sive à fabulis, sive à nostris annalibus deductæ sint. Non hæc jocosæ et amatoriæ lyræ conveniunt; neque adeò res ab Augusto magnificè gestas, quæ vim non solùm meæ, sed cujuslibet poeseos superant, quasque non alitèr quàm per fidam narrationem laudare fas est. Tuum igitur est, ô Mæcenas, tantarum rerum testis, dux aliquandò et minister, eas in historiis simplici et solutâ oratione conscriptis, posteritati commendare. Historia autèm dicitur *pedestris*, quæ prosam tantummodò admittit. Prosa etenim à Græcis πεζὸς λόγος, latinè, sermo *pedestris* appellata, quià non audactèr incedit, pedestri viatori similis, qui iter suum certo, sed lento passu sequitur; dùm poesis, et præsertim poesis lyrica, sublimi volatu ad cœlum fertur, naturam universam percurrit alis igneis evecta. Undè, cùm poeta, sive argumenti naturâ, sive sponte suâ, stylum, ut Noster in satyris, licèt certis conclusum numeris, ad prosæ humilitatem quasi reducit, tùnc musa ipsa *pedestris* vocatur. *Quid priùs illustrem satyris, Musâque pedestri ?* Sat. II, 6, 17; *Et tragicus plerùnque dolet sermone*

Mæcenas, meliùs, ductaque per vias
Regum colla minacium.
Me dulces dominæ Musa Licymniæ [4]
Cantus, me voluit dicere lucidum
Fulgentes oculos, et benè mutuis
Fidum pectus amoribus :
Quam nec ferre pedem dedecuit [5] choris,
Nec certare joco, nec dare brachia
Ludentem nitidis virginibus, sacro
Dianæ celebris die.
Nùm tu, quæ tenuit dives Achæmenes [6],

pedestri, Ars poet. 95. — *Ductaque per vias :* reges, collo catenas gerentes, per vias Romæ in triumpho ducti ad capitolium, vel in indignâ sorte minas vultu præferentes, victoribus suis insultantes.

4. *Dominæ Licymniæ :* ambigitur inter interpretes quæ esset illa *Licymnia* cui laudandæ totum se devovet Horatius ; alii, ut Dacierius, Liciniæ Terentiæ, quæ paulò post Mæcenati nupsit, nomen, levi mutatione in Licymniæ nomen conversum putant ; alii, ut Turnebus, mulierculam Mæcenati dilectam sub eodem Licymniæ nomine intelligunt ; Sanado et Mitscherlich de amicâ ipsius Horatii agi arbitrantur. Uterque opinionem suam longâ argumentorum serie fulcivit, quæ mihi rem attentè perpendenti fidem faciunt. Cui enim persuasum erit Horatium, de futurâ patroni sui uxore, vel etiam de amicâ, tàm levitèr, tàm amatoriè eloqui potuisse, ut non solùm illam cantantem et saltantem, sed etiam oscula præripientem exhibeat? Quæ omnia de suâ amasiâ, procùl dubio, amatori dicere et jactare licet, qui, felicitate suâ plenus, eam diffundere gestit. Videbitur infrà quid alitèr interpretantes in errorem induxerit. — *Lucidum fulgentes :* lucidè.

5. *Nec dedecuit :* quam nunquàm dedecuit, quam semper decet. — *Ferre pedem :* saltantium enim ars præcipuè in concinno pedum motu vel incessu cernitur. — *Certare joco :* varii cogitari possunt lusus, quibus saltantes invicèm se excipiunt et jocosè inter se certant. — *Dare brachia :* quod quoque, cùm saltantes brachia inter se nectunt, vel manus invicèm sibi porrigunt, cum lepore quodam fieri debet. — *Ludentem*, hoc est, saltantem ; *ludere* ut παίζειν apud Græcos sæpè pro, saltare, sive choreas ducere. — *Nitidis virginibus :* pulcherrimis quarum in cœtu Licymnia locum jure obtinet.

6. *Dives Achæmenes :* rex Per-

Aut pinguis Phrygiæ Mygdonias opes,
Permutare velis crine Licymniæ [7],
Plenas aut Arabum domos,
Dùm flagrantia detorquet ad oscula
Cervicem [8], aut facili sævitiâ negat
Quæ, poscente magìs, gaudeat eripi,
Interdùm rapere occupat?

sarum qui ab eo appellantur Achæmenii, Achæmenides. — *Mygdonias opes :* Mygdones, Macedoniæ veteres incolæ Thraciam versùs, undè in Asiam profecti, partem magnæ Phrygiæ occupârunt, quam, à patriæ nomine, *Mygdoniam* appellârunt. Ibì autèm regnavit Midas ille, opibus et avaritiâ celebratus.

7. *Permutare velis crine Licymniæ : crine,* pro crinibus, pro nniversâ comâ. Ex eo versu profecti sunt interpretes qui probare voluerunt Licymniam fuisse Mæcenatis amicam. Quomodò, inquiunt, Horatius diceret, comam amicæ suæ potiorem omnibus orbis opibus videri debere Mæcenati? Respondeo cum Sanadono, ità vulgò amatoris animum disponi, ut, quidquid de amatæ mulieris pretio sentit, illud alios et præsertìm amicos sentire quoque præsumat. Hypotheticè, addit Sanado, ratiocinatur Horatius : Ah! si, ut mihi, sic tibi, Mæcenas, nota esset Licymniæ meæ forma, si dulci ejus commercio, loquelâ, ingenii et voluptatis artibus æstimata tibi foret, hæc omnia plurìs faceres quàm thesauros orbis universi. Amantis delirium : nihil magìs. — *Plenas aut Arabum domos :* domos opulentas, propter aromatum mercaturam.

8. *Dùm flagrantia detorquet ad oscula cervicem :* dùm obsequiosè inflectit caput, sive ad excipienda oscula quæ à me ipsi offeruntur, sivè etiàm ad ea provocanda. — *Facili sævitiâ negat : sævitiâ* quæ facilè expugnatur, quæ nihil sinceri habet. — *Quæ, poscente magìs, gaudeat eripi :* negat quidèm, aut potiùs negare videtur oscula, dùm tamèn, cupit vehementiùs adhùc quàm ego qui illa poposceram, sibi ea eripi. — *Interdùm rapere occupat :* græcè, φθάνει ἁρπάζουσα; prior rapit oscula, osculatur nec poscentem. Sic in Sthico Plauti, Panegyris socero Antiphoni occurrens : *Ferre adversùm hominem occupemus osculum :* gallicè *: Courons au-devant de lui, et hâtons-nous de l'embrasser la première.* Dicant nùnc illi Horatii interpretes à quibus de personâ Licymniæ dissentimus, àn gratum fuisset Mæcenati, hanc tàm veram, tàm nativis coloribus descriptam artificii meretricii imaginem, sivè ad amicam, sivè, quod magìs repugnat, ad uxorem suam, referendam habere.

ODE DECIMA TERTIA

IN ARBOREM

CUJUS CASU REPENTINO, IN AGRO SABINO PENE OPPRESSUS FUERAT.

E vulgari eventu, ditissimum lyrici carminis argumentum depromit Horatius. Tantam spirat indignationem exordium, ut ex tempore scriptum, et in primâ quæ ingens periculum sequitur agitatione, compositum fuisse videatur. Sedatiori mòx animo, in sententiam moralem defluit vates, quâ nos de instantibus unoquoque vitæ momento periculis admonet. Transit indè ad descriptionem inferorum, et per magnificum Alcæi, Sapphûs et poeseos præconium concludit.

Ille et nefasto te posuit die [1],
Quicunque primùm, et sacrilegâ manu

1. *Ille et nefasto te posuit die:* de servando in hâc strophe verborum ordine inter annotatores non convenit. Varias eorum tùm lectiones, tùm opiniones referre nimis longum, quià prorsùs inutile. Simplicissima nobis eademque lucidissima visa est ea quam doctiss. Mitscherlich adoptavit vocum dispositio. « Tene, in- « quit, hunc verborum ordinem. « *Ille et nefasto*, inauspicato, in- « fausto *die* te posuit, *quicunque* « *primùm*, subaud. *te posuit*, id « est te plantavit, sevit. » Adde ad complementum sensûs : *et quicumque te produxit*, non nisi sacrilegâ manu potuit *producere* h. e. alere, educare, cùm in tuis fatis esset, ô arbos, ut quondàm perniciem uni è conditoris tui posteris afferres.—*Nefasto die :* fasti dies apud Romanos dicebantur ii quibus in foro causas agere fas erat; quibus licebat prætori solemnia quædam fari verba. Nefasti verò quibus nefas erat quidquam in foro publicæ vel privatæ rei tractare. Qui dies quià vulgò erant ob aliquam calamitatem publicam notati, et funesti, eà de causâ, nefastus dies

Produxit, arbos, in nepotum
Perniciem, opprobriumque pagi.
Illum et parentis [2] crediderim sui
Fregisse cervicem, et penetralia
Sparsisse nocturno cruore
Hospitis; ille venena Colcha,
Et quidquid usquàm concipitur nefas
Tractavit, agro qui statuit meo
Te, triste lignum, te caducum
In domini caput immerentis.
Quid quisque vitet nunquàm homini satìs
Cautum est in horas [3]. Navita Bosporum

pro die inauspicato et infortunato accipitur. — *Opprobriumque pagi :* mors enìm immerentis, labem quamdam toti pago in quo accidit inurere videtur. Diceres deorum ultionem sontibus aliquot destinatam, in innocuum caput, per errorem incidisse.

2. *Illum et parentis :* familiaris Horatio illa imprecationis formula, quâ rursùs utitur in allii detestatione : infrà, Epod. III, 2. — *Fregisse cervicem :* jugulasse, vel strangulasse, loco modò citato : *Senile guttur fregerit. Vindices rerum capitalium laqueo gulam fregére,* Sallust. Catil. LV. — *Nocturno cruore :* per noctem effuso. Auget rei atrocitatem, quòd non ignotus quidam, sed hospes; non die, ubì se defendere potuisset, sed noctu et per somnum; non in ædium vestibulo, sed in ipsis penetralibus, coràm diis penatibus, diis hospitii protectoribus, scelus perpetratur. — *Venena Colcha :* in multis *venena Colchica,* ità ut ultima syllaba enm vocali versum sequentem incipiente elidatur; sine necessitate. *Littoraque intravit Pagaseâ Colcha carinâ,* Ovid. Metam. XIII, 24. *Læsa neque est Colchâ Thessala terra manu,* id. Heroid. XVI, 346. Colchis verò est Asiæ regio ad orientem Ponti Euxini sita, Medeæ patria, venenorum ferax. — *Caducum :* arbos, quæ quoudàm casura eras.

5. *Quid quisque vitet nunquàm homini satìs cautum est in horas :* nunquàm homines satìs se præmunierunt contrà pericula, singulis vitæ momentis impendentia. Cavent ab iis è quibus nihil fermè reformidandum habent, et ab eventu prorsùs improviso opprimuntur : exempla affluunt.— *Navita Pœnus :* pro quolibet alio navità. Cum delecta citat Pœnos, ut in arte navigandi exercitatissimos. — *Bosporum :* sive Thracium, per quem navigantes è Propontide in Pontum Euxinum deferuntur, hodiè, *le détroit de*

Pœnus perhorrescit, neque ultrà
Cæca timet aliundè fata;
Miles sagittas et celerem fugam
Parthi [4]; catenas Parthus et Italum
Robur; sed improvisa lethi
Vis rapuit rapietque gentes.
Quàm pænè furvæ regna Proserpinæ [5],
Et judicantem vidimus Æacum,
Sedesque discretas piorum, et
Æoliis fidibus querentem

Constantinople; sivè Cimmeriensem, qui è Ponto Euxino in Mœotida (*la mer d'Azof*) influit, hodiè, *le détroit de Caffa.* — *Neque ultrà;* nec si excipias loca illa, propter freti angustias, periculosissima, quidquam aliundè timet, forsitàn in plano mari et sereno tempore perituras. — *Cæca fata :* quorum causa latet, et effectus ideò non prævidentur. Rem elucidat Propert. II, 1, 76 : *Quippè ubi nec causas, nec apertos cernimus ictus, Undè tamen veniant tot mala, cæca via est. Non eget hic medicis, non lectis mollibus æger, Huic nullum cœli tempus et hora nocet; Ambulat et subitò mirantur funus amici.*

4. *Celerem fugam Parthi :* nunquàm magis metuendi, quàm cùm fugit. — *Robur Italum :* vires Romanas. — *Gentes :* non populos vel nationes, sed homines *generatim* sumptos intellige; unanimis in eo tùm annotatorum tùm præcipuorum interpretum, Sanadonis, Le Batteux, Binet, de Wailly, consensus. Hunc loquendi modum in nostram linguam transtulimus, et eodem sensu dicimus : *Les gens; les gens du Roi* pro, *les hommes du Roi. Beaucoup de gens croient;* multi homines arbitrantur.

5. *Furvæ Proserpinæ : furvum* atrum sivè nigrum, à voce *fur*, si Varroni credimus, quòd fures atrà nocte artem suam exerceant. — *Æacum :* unum è tribus inferorum judicibus, avum Achillis, undè ille sæpiùs Æacides appellatur. — *Sedesque discretas piorum :* in nonnullis codic. *descriptas.* Multò meliùs *discretas;* id est, separatas à Tartaro. *Secretosque pios*, Virg. Æneid. VIII, 670. — *Æoliis fidibus :* Æoles erant Græciæ veteris populus. In Asiam minorem transgressi, consederunt in eâ parte quæ est inter Troadem et Ioniam, ibique urbes duodecim condidêre. Eorum etiàm in ditione Lesbos insula fuit, *Metelin*, Alcæi patria, et Sapphûs, cujus, eam ob rem, cithara hoc in versiculo Æolia vocatur.—*Querentem Sappho puellis de po-*

Sappho puellis de popularibus;
Et te sonantem pleniùs [6] aureo,
Alcæe, plectro, dura navis,
Dura fugæ mala, dura belli.
Utrumque sacro digna silentio [7]
Mirantur umbræ dicere; sed magìs
Pugnas et exactos tyrannos
Densum humeris bibit aure vulgus.
Quid mirum? ubi illis carminibus stupens
Demittit atras bellua centiceps [8]
Aures, et intorti capillis
Eumenidum recreantur angues?

pularibus : Lesbiis puellis, quas *populares* vocat, id est, ex eâdem insulâ oriundas. Querebatur autèm Sappho, vel quòd illæ Lesbiæ, Phaoni, quem ipsa perditè amabat, adhærebant; vel quod ipsi Sappho turpiter eas amanti, parùm obsequiosas se præbebant.

6. *Et te sonantem pleniùs:* quià non nugas amatorias, sed res graves, lyrâ sonabat Alcæus, quales mox Horatius descripturus est. Ipsa Sappho apud Ovid. Heroid. XV, 30, de Alcæo : *Nec plus Alcæus, consors patriæque lyræque Laudis habet, quamvìs grandiùs ille sonet.* — *Dura navis mala :* tempestates; *dura fugæ :* exilium; — *dura belli :* contrà patriæ suæ tyrannos suscepti, Myrsilum et Pittacum, à quibus in exsilium pulsus est. Quantam vim triplex illa vocis *dura* repetitio, sententiæ addat, poeseos amatori indicare sufficiat.

7. *Sacro digna silentio :* alto illo silentio, quod in sacris et solemnibus cærimoniis adhibebatur.— *Favete linguis :* infrà, Od. III, 1, 2. — *Sed magìs:* vulgus enìm præliorum et rerum politicarum narratione meliùs delectatur quàm cantibus jocosis et eroticis. — *Densum humeris:* præclaram imaginem! Omnes umbræ, tàm spissâ catervâ Alcæum circumdant, ità glomerantur, ut invicèm humeris se premere et terere videantur. — *Bibit aure :* egregia catachresis! ut enìm liquores gutture, sic auribus sonos percipimus. *Suspensis auribus ista bibam;* Prop. III, 6, 8.

8. *Bellua centiceps :* tria tantùm capita vulgò à poetis Cerbero assignantur; quibus Noster serpentum turmam adjungit, qui tot inferno cani capita videntur addere, quot illi oribus sibilant et minantur. Compara hunc locum cum Virgilio, Georg. IV, 471 et sequentibus, Orphei in inferos descensum, et prodigia ab eo patrata describente.—*Eu-*

Quin et Prometheus et Pelopis parens [9]
Dulci laborem decipitur sono;
Nec curat Orion leones
Aut timidos agitare lyncas. 40

menidum : Furiæ dicebantur Eumenides, græcè mansuetæ, benignæ, misericordes, non per antiphrasim, ut ait Juvencius, communi errore deceptus; sed quòd istud nomen ab Orestis gratitudine obtinere meruerant, postquàm ille ab Areopago, de parricidii crimine absolutus, à Furiis torqueri desiit. Eodem nomine ab Æschyle in tragœdiâ cui titulus : Εὐμενίδες, designatæ, illud posteà retinuerunt; et ipsa lingua metuendis deabus adulari visa est.

9. *Pelopis parens :* Tantalus, de quo omnia notissima. — *Dulci laborem decipitur sono :* alii legunt, *laborum;* idem sensus; sed, hellenismo longè frequentiùs usitato, malim legere : *decipitur laborem.* Dulci cantuum harmoniâ delectatus, *decipitur* secundùm *laborem,* id est, laborum obliviscitur. — *Orion :* venationem, cujus studiosissimus in vitâ fuerat, apud inferos quoque (quià, ut dicitur apùd Virg. Æn. VI, 665, *cura — eadem sequitur tellure repostos*) exercebat; *Orionis* apud inferos venantis imaginem jàm adumbravit Homerus Odyss. XI, 571. Quò magìs autèm Orion venatione delectabatur, eò major carminum, quibus audiendis, ab eâ se distrahi patiebatur, vis esse debuit.

ODE DECIMA QUARTA

AD POSTUMUM [1].

Amicum de brevitate vitæ, et de mortis necessitate Horatius admonet.

Eheu [2]! fugaces, Postume, Postume,
Labuntur anni, nec pietas moram
Rugis, et instanti senectæ
Afferet, indomitæque morti;
Non, si trecenis [3], quotquot eunt dies, 5
Amice, places illacrymabilem

1. *Postumum :* àn nomen illud *Postumus* vel *Posthumus* scribi debeat magna fuit intèr veteres interpretes controversia: nugas illas, nullius utilitatis, et aliundè verè inextricabiles, silentio prætereundas censuimus.

2. *Eheu!* per exclamationem, et vividam illam repetitionem, *Postume, Postume*, lyricè indicat quàm gravem, quàm luctuosam materiem tractaturus sit. — *Fugaces labuntur :* rapidum simùl et vix sensibilem temporis cursum notat, duas voces conjungendo, quarum altera alterius sensum temperat. Tempus enìm, ut horologii cuspis, cito, sed tacito pede, fluit, ità tamèn ut stare videatur. Sic Ovid. Fast. VI, 772: *Tempora labuntur, tacitisque senescimus annis, Et fugiunt, frœno non remorante, dies.* — *Pietas :* stricto sensu, pietas ergà Deos; preces, sacrificia, ut ex sequentibus apparet. — *Indomitæ :* quam nil flectere valet.

3. *Non, si trecenis :* hæc verba conjunge cum præcedentibus, et sic construe : pietas non retardabit rugas et instantem senectam, non, *si*, id est, etiamsi *places*, pro, placare tentes, Plutona, etc. Sic Sanado, et ille quidèm rectissimè. — *Trecenis tauris :* triplici hecatombâ. — *Quotquot eunt dies :* quotidiè.— *Illacrymabilem :* immisericordem, durum, inexorabilem. Diverso sensu eadem vox accipi

Plutona tauris, qui tèr amplum
Geryonen, Tityonque tristi
Compescit undâ, scilicèt omnibus,
Quicumque terræ munere vescimur [4],
Enavigandâ, sive reges,
Sive inopes erimus coloni.
Frustrà cruento Marte carebimus,
Fractisque rauci fluctibus Hadriæ;
Frustrà per auctumnos nocentem
Corporibus metuemus Austrum;
Visendus [5] ater flumine languido
Cocytus errans, et Danaï genus

tur, infrà od. IV, 9, 26. Quem locum vide. — *Geryonen :* fuit Geryon insularum propè Hispaniam trium, Ebusi videlicèt, ac Balearidum duarum, rex; quæ res locum fecit fabulis poetarum, qui eum tricorporem fuisse dixerunt, ità ut illa corpora, pectore tenùs divisa, in duo crura inferuè coalescerent. Hunc peremit Hercules, et ejus boves in Italiam abegit. Sunt qui tres fuisse fratres velint eodem nomine, tantâ inter se concordiâ devinctos, ut animâ unâ tribus in corporibus spirare viderentur. — *Tityon,* pro Tityum. Ille, cùm Latonem de stupro interpellasset, Jovis fulmine ad inferos detrusus est, ubi humi exporrectus, novem terræ jugera dicitur occupare, jecurque perpetuò renascens, vulturi exedendum præbere. Juvenc.

4. *Quicumque terræ munere vescimur :* terræ muneribus, id est fructibus quos illa ad vitam sustentandam producit; Homerica locutio; εἰ ἀρούρης καρπὸν ἔδουσι, Il. ζ, 142. — *Frustrà cruento Marte carebimus :* frustrà bello abstinebimus. — *Fractis :* allisis ad scopulos. — *Per auctumnos :* hoc anni tempus febrium aliorumque morborum proventu periculosissimum; undè à Nostro vocatur, *Auctumnusque gravis, Libitinæ quæstus acerbæ,* Sat. II, 6, 19; et à Juvenale, *letifer,* IV, 56.

5. *Visendus :* attende ad proprietatem vocis; dicere cavet : *incolendus, habitandus,* sed solummodò *visendus,* quià scilicèt omnibus sedes inferas intrantibus subeundum Tartaris pectaculum, piis ipsis ad locum sibi destinatum euntibus. Vid. VIum Æn. lib. *Ater flumine languido :* confer Virgilium Georg. IV, 478 : *deformis arundo Cocyti, tardâque palus inamabilis undâ;* et Senec. Hercul. Fur. 686 : *Palus inertis fœda Cocyti jacet.* Cocytus autèm sic nominatur à verbo græco, Κωκύω, lamentor.

Infame [6], damnatusque longi
Sysiphus Æolides laboris.
Linquenda tellus, et domus, et placens
Uxor [7]; neque harum, quas colis, arborum
Te, præter invisas cupressos,
Ulla brevem dominum sequetur.
Absumet hæres [8] Cæcuba dignior

6. *Danaï genus infame :* Danaüs et Ægyptus fratres, Belo geniti fuêre. Alter filios quinquaginta, ut aiunt, alter filias totidem susceperant. Ægypti filiis nupserunt Danaï filiæ : et viros suos ipsâ nuptiarum nocte jugularunt, præter unam Hypermnestram quæ Lynceum maritum servavit. Ob id scelus eâ damnatæ finguntur apud inferos pœnâ, ut pertusum dolium aquâ cogantur implere, ità ut tantùmdem effluat quantùm infunditur. Belides vocantur à suo avo ; Danaïdes à patre. Danaïdum fabulam fusiùs enarratam, invenies infrà, Od. III, 11. — *Sysiphus Æolides :* Æoli filius, mortalium omnium ætatis suæ valarrimus, cùm Atticam latrociniis infestaret, à Theseo interfectus est. Hunc poetæ aiunt eo supplicii genere in Tartaro plecti, ut saxum ingens in montis verticem provolvat, quod, cùm ad summum cacumen est provectum, suâ sponte deorsùm usque relabitur. Juvenc. — *Damnatusque longi laboris :* subaud. ad pœnam. Sisyphi supplicium admirandis versibus describit Homerus in Odyss. ι ά, 592.

7. *Linquenda tellus, et domus, et placens uxor :* non sine causâ repetitur conjunctio *et ;* nota quoque gradationem in affectibus ; minori etenim desiderio à morituro relinquitur tellus quàm domus, in quâ dii Penates, societatis commercium, epularum et lecti genialis deliciæ ; utraque, minori tamèn quàm uxor verè dilecta à marito, pro cujus servando consortio, à cæteris bonis avelli se ultrò pacisceretur. Multò superior hìc Noster Lucretio, quem imitatus est : *At jàm non domus accipiet te lætа, neque uxor Optima..... omnia ademit Una dies infesta tibi tot præmia vitæ ;* lib. III, 907. — *Brevem dominum :* cujus dominium in res quas possidet breve est. Inest nescio quid exquisitissimi sensûs in his vocibus, *brevem dominum*, cum quibus malè comparant interpretes, *breve lilium*, *brevem rosam*. Brevitas enìm vitæ affectus in nobis excitat, quos ἐφημέρους et tàm citò caducus pulcherrimorum florum splendor promovere nequit.

8. *Absumet hæres :* simillimè, Sat. II, 3, 122 : *Filius, aut etiam hæc libertus ut ebibat hæres, Dis inimice senex, custodis.* — *Dignior :* avarus enìm qui centùm clavibus opes suas

Servata centum clavibus, et mero
Tinget pavimentum superbis
Pontificum potiore cœnis.

defendit, et ab earum usu turpitèr abstinet, minùs earum possessione dignus est, quàm hæres insanus qui eas profundit et dissipat. — *Superbis :* alitèr *superbo*, quod referunt ad merum ; vix tolerabilis lectio ; vinum enìm, suave, fragrans, generosum, validum, sæpissiuè appellatur ; *superbum*, nunquàm ; alitèr, *superbum*, referendo ad *pavimentum*. Sed dura hæc trium vocum in eosdem sonos desinentium vicinia. Emendationem igitùr à Cuningham propositam eò faciliùs adoptandam esse censuimus, quòd cum universo sensu mirè congruit. — *Pontificum potiore cœnis :* per ellipsim : potiore quàm vinum quod in cœnis pontificalibus bibitur. Vide sup. notam in Od. I, 37, 2.

ODE DECIMA QUINTA

IN PRIVATUM ÆTATIS SUÆ LUXUM.

Ad luxum, qui tùm Romam immigraverat, pertinebat ea inprimis magnificentia, quæ ab hominibus privatis in amplissimorum ædificiorum, piscinarum, nemorum et aliarum rerum, non ad communem utilitatem, sed ad solam voluptatem spectantium, usu atque possessione ponebatur. In hoc insanum studium nobili indignationis affectu Horatius invelitur, veterumque Romanorum severiore disciplinâ, frugalitate et continentiâ antè oculos positâ, quantùm à majoribus suis nùnc degeneraverint Romani, ostendit.

Jam pauca aratro jugera regiæ
Moles [1] relinquent; undique latiùs
Extenta visentur Lucrino
Stagna lacu, platanusque cælebs

1. *Regiæ moles:* ædificia, regio splendore in altum educta. Vide infrà III, 29, 10: *Molem propinquam nubibus arduis.*—*Stagna:* viyaria, piscinæ in immensum extensæ, arte humanâ magnis sumptibus excavatæ, et aggeribus seu molibus, ad piscium conservatiouem, clausæ.—*Lacu Lucrino:* erat ille lacus in Campaniâ, propè locum Avernum, inter Puteolos et Baias: absorptus est ingenti terræ motu, anno 1538. Restat hodiè lutosa palus, quæ *Mare Mortuo* ab Italis nuncupatur. — *Platanusque cælebs evincet ulmos:* ulmi utili consortio vitibus adjungebantur (Virgil. Georgic. I, 2), et ideò dicebantur *maritari.* Infrà Epod. II, 10: *Ergò aut ad ultâ vitium propagine Altas maritat populos.* Platanus autèm et ipsa sterilis est, nec aliarum arborum fertilitatem juvat, nullâ aliâ re quàm umbræ opacitate ac frondium pulchritudine celebrata. Per idoneam igitùr

Evincet ulmos. Tùm violaria, et
Myrtus [2], et omnis copia narium
Spargent olivetis odorem,
Fertilibus domino priori.
Tùm spissa ramis laurea [3] fervidos
Excludet ictus. Non ità Romuli
Præscriptum, et intonsi Catonis
Auspiciis [4], veterumque normâ.
Privatus illis census [5] erat brevis,
Commune magnum; nulla decempedis [6]

metaphoram ulmis *maritis* platanus *cælebs* opponitur.—*Evincet :* cedere coget, loco suo demovebit, penitùs expellet. Translatam in nostros mores similis luxûs insaniam his versibus attigit poeta recentior (Clemens Divionensis) : *Ils livrent à la hache un fertile verger, Mais ils font à grands frais cultiver des épines, Planter des arbres morts et bâtir des ruines.*

2. *Myrtus :* in plurali nominativo quartæ declinationis. Dicitur *myrtus, myrtûs*, ut *laurus, laurûs*. Suprà Od. II, 7, 19: *Depone sub lauru meâ. — Omnis copia narium :* omnes flores suaveolentes, qui naribus blandiendis, ipsâ multitudine, affatim inserviunt. Poeticam periphrasim injustè damnat Dacierius, meritis Sanado ornat laudibus. — *Spargent olivetis :* pro spargent in olivetis, nùnc avulsis, quanquàm magna ex iis in priorem dominum utilitas redundaret.

3. *Tùm spissa ramis laurea :* laurea densis foliis et perpetuò virentibus. — *Fervidos excludet ictus :* solis radios arcebit. Ἡλίου βολαί, Euripid. Bacch. 458; *ictus, verbera solis*, Lucret. V, 486, 612.

4. *Non ità Romuli Præscriptum, et intonsi Catonis Auspiciis :* Romulum et priscum Catonem ideò conjungit, quià prior leges disciplinæ condiderat, posterior verò eas in pronum delabentes censuræ suæ severitate sustinere tentaverat. Studium autèm in antiquam morum rigiditatem prodebat Cato, ipso corporis habitu, barbâque *intonsâ*. Vide notam in Od. I, 12, 41.

5. *Privatus illis census :* illi parvam et modestam habebant rem familiarem. — *Commune :* τὸ κοινὸν, sub. *bonum*. Quidquid ad civitatem pertinebat, templa deorum, ædes senatui et magistratibus destinatæ, tantùm dignitatis præferebant, quantum simplicitatis ædes privatæ.

6. *Nulla decempedis metata porticus :* locus hic non sinè difficultate, nec à scholiastis sàt lucidè, ut opinor, explicatus. Decempeda est mensura, vel potiùs portica in pedum decem longi-

Metata privatis opacam
Porticus excipiebat Arcton.
Nec fortuitum spernere cespitem [7]
Leges sinebant; oppida publico
Sumptu jubentes, et deorum
Templa novo decorare saxo.

tudinem porrecta (*une perche de dix pieds*). Porticus, non intelligenda ut universum vestibulum, multis porticibus constans, sed ut una quæque arcula (*arcade*), quæ alteri et alteri arculæ vicinæ adjuncta, anteriorem ædificii partem (*la façade*) exornat, quales hodiè admiramur Parisiis, in viâ, vulgò dictâ, *de Rivoli*. Suppone unicuique arcui latitudinem decempedalem, et habebis magnificentiæ imaginem, quam, ut nimiam in privatis ædibus jure arguit vates. Nunc, quid sit porticus metata decempedis facilè intelligi potest. *Metata* enim passivo sensu significat porticus cujus *metæ*, sive extremæ partes *decempedis* inter se separantur, id est, pedibus decèm inter se distant. Novempedali duntaxàt intervallo aperiuntur viæ Rivoliensis porticus. — *Privatis :* potest per metonymiam referri τῷ *decempedis ;* si tropo abstineas, de *privatis* hominibus intellige, et pone in dativo casu. — *Opacam excipiebat Arcton :* ad Septentrionem versa erat, ad frigus captandum, quæ res voluptatis summæ, præsertim per æstatem, in Italiâ. *Opacam* dicit *Arcton*, quòd loca Septentrionem spectantia, lumine solis carent, et ideò *opaca* vel umbrosa dici possunt; epitheton ab effectu ad causam, notissimâ figurâ, transfertur.

7. *Fortuitum spernere cespitem :* vulgarem, in quem fortè incidimus, ubique obvium. Agit hìc Noster non de *cespite*, vel gramine, in quo recubans quis somnum quærat; sed de illo cespite, quo, nascente re Romanâ, humiles civium casulæ congerebantur; eodem sensu quo Virg. Ecl. I, 69 : *Pauperis et tugurî congestum cespite culmen.* Sensus liquet è sequentium verborum oppositione. — *Oppida :* propriè urbis munimenta, arces, muros. *Oppidum*, inquit Varro, ab *ope* deducitur, quòd munitur opis causâ. — *Novo saxo :* recèns exciso, unicè ad hoc consilium è terræ visceribus eruto.

ODE DECIMA SEXTA

AD POMPEIUM GROSPHUM [1].

Omnes otium exoptant, paucis initur via quâ ad animi et corporis tranquillitatem pervenire fas est. Vera felicitas neque in divitiis, neque in honoribus posita, quæ non alitèr quàm rectâ conscientiâ obtinetur, cùm nemini detur sese ipsum fugere. Unusquisque igitùr suâ sorte contentus vivat; in vitâ enìm humanâ, bona malis, mala bonis pensantur. Rem exemplis confirmat Horatius; percelebris fuit Achilles, sed in flore juventutis occidit; ultimam senectutem Titho attigit, sed illam quidèm gravem, inutilem, fastidiosam. Grosphus opibus diffluit; Horatius paupertatem, vel certè mediocritatem suam Musarum commercio solatur. Sic omnia felicitèr procedunt et benè connectuntur in elegantissimo carmine, cujus sententias inter se vix cohærere temerarii interpretes asserere ausi sunt.

Otium [2] divos rogat in patenti
Prensus Ægeo, simùl atra nubes

1. *Pompeium Grosphum :* idem ille est Grosphus quem Iccio commendat Noster infrà, Epist. I, 12, 22 et 23. Amicus Horatio fuit; aliundè parùm notus.

2. *Otium :* à laboribus quietem, securitatem, tranquillitatem animi et corporis. Eodem sensu quo suprà Od. I, 1, 16: *Otium, et oppidi Laudat rura sui.* — *In patenti Ægeo :* in alto mari deprehensus. Duplex enìm navigantibus periculum, sivè *altum urgeant*, sivè *nimiùm premant littus iniquum*, suprà

Condidit lunam, neque certa fulgent
Sidera nautis :
Otium bello furiosa Thrace,
Otium [3] Medi pharetrâ decori,
Grosphe, non gemmis, neque purpurâ venale, nec auro.
Non enim gazæ, neque consularis
Summovet lictor [4] miseros tumultus
Mentis, et curas laqueata circùm
Tecta volantes.
Vivitur parvo benè [5], cui paternum
Splendet in mensâ tenui salinum :

Od. II, 10, 1 et 3. — *Certa sidera :* stellæ, quarum solo aspectu, antè inventam nauticam pyxida (*la boussole*), navium cursus dirigi poterat; præsertim illæ, quæ ob vicinitatem poli, per totam noctem, *certum* cœli spatium occupant, à loco vix ac ne vix quidèm dimoveri videntur, et sic *certam* navigiis viam indicant; benè gallicè vertas : *les astres indicateurs.*

3. *Otium..... otium :* ad augendam sententiæ vim tèr *otium* vocat, tèr eamdem vocem repetit, ut intelligatur quàm repetitis votis homines *otium* cupiant. Sic noster Fontanius, Fab. VII, 12: *Le repos, le repos! trésor si précieux, Qu'on en faisoit jadis le partage des Dieux.* — *Medi pharetrâ decori :* Parthi, arte sagittandi insignes.

4. *Neque consularis Summovet lictor :* quemadmodùm summovet turbam, incedentis consulis liberum iter impedientem.— *Et curas laqueata circùm Tecta volantes :* crediderim hìc poetam per vividissimam imaginem alludere ad sinistras illas et nocturnas aves, quæ in magnificas ædes, multò frequentiùs quàm in exiguas casas, tenebris obortis irrumpunt, excutiunt somnum, et sìn minùs terrorem, at certè sollicitudinem circumferunt.

5. *Vivitur parvo benè. Parvum*, de re tenui, de fortunâ mediocri rectè dicitur. *Quæ virtus et quanta, Boni, sit vivere parvo*, infrà, Sat. II, 2, 1. Nostrum expressit Claudian. in Rufin. I, 215 : *Vivitur exiguo melius.* — *Paternum Splendet in mensâ tenui salinum :* omnia in exquisito loco notatu digna. Per *salinum*, minimam domesticæ supellectilis partem, universa supellex indicatur. *Paternum* innuit nihil rebus sibi per hæreditatem transmissis à modesto immutatum fuisse domino, qui paterno etiàm salino uti pergat.

Nec leves somnos timor, aut cupido
Sordidus aufert.
Quid brevi fortes jaculamur ævo
Multa [6]? quid terras alio calentes
Sole mutamus? patriæ quis exsul
Se quoque fugit?
Scandit æratas vitiosa [7] naves
Cura, nec turmas equitum relinquit,
Ocior cervis, et agente nimbos
Ocior Euro.
Lætus in præsens animus [8], quod ultrà est
Oderit curare, et amara læto
Temperet risu : nihil est ab omni
Parte beatum.
Abstulit clarum cita mors Achillem;

Mensâ tenui frugalitas et simplex victus designantur; ne fortè tamèn turpis egestatis imaginem inducat vates, addit verbum illud, *splendet*, quo munditiem, honestæ mediocritatis indicium osteudit. — *Timor, aut cupido Sordidus aufert :* refer epitheton *sordidus*, duabus vocibus, *timor* aut *cupido. Timor sordidus* perdendi, *cupiditas sordida* quæstum faciendi.

6. *Quid brevi fortes jaculamur ævo Multa?* quid nos, *ævi* tàm *brevis* homines, *fortes*, id est, magno cum nisu, *jaculamur multa*, tot et tantas res votis, quasi totidèm sagittis, appetimus? *Patriæ quis exsul Se quoque fugit?* sic dixerat antè Horatium Lucret. III, 1081 : *Hoc se quisque modo semper fugit.* Quem textum citat et diffundit Senec. de Tranquillit. anim. II : *Aliud ex alio iter suscipitur, et spectacula spectaculis mutantur. Se quisque semper fugit; sed quid prodest, si non effugit? sequitur se ipse, et urget gravissimus comes.*

7. *Cura vitiosa :* vèl, quæ vitiat, quæ inficit animum; vèl quæ è vitiis, è pravis libidinibus originem ducit. — *Nec turmas equitum relinquit :* iisdem ferè verbis eamdem imaginem repræsentat Horatius, infrà III, 1, 39 et 40 : *Neque Decedit æratâ triremi, et Post equitem sedet atra cura.* — Sic Bolœus : *Le chagrin monte en croupe et galope avec lui;* Epist. V.

8. *Lætus in præsens animus, quod ultrà est oderit curare :* contentus præsenti tempore, ne cures futura prævidere. — *Læto risu :* in multis codic. legitur *lento*, quam lectionem plerique

Longa Tithonum minuit senectus [9] : 30
Et mihi forsàn, tibi quod negârit,
Porriget hora.
Te greges centum [10], Siculæque circùm
Mugiunt vaccæ; tibi tollit hinnitum
Apta quadrigis equa : te bis Afro 35
Murice tinctæ
Vestiunt lanæ : mihi parva rura [11], et
Spiritum Graiæ tenuem Camœnæ

interpretes, ob vicinitatem vocis, *lætus*, in versu præcedenti appositæ, mâlunt. Per *lentum* autèm *risum*, risum moderatum, et severitati propiorem intelligunt. Quæ quidèm interpretatio mihi dura videtur et nullo alio exemplo approbata. Mâlim repetitionem, quæ negligentiam tantùm argnat.

9. *Longa Tithonum minuit senectus :* decrepitam et ingloriam Tithoni senectutem opponit gloriæ Achillis, præmaturâ quidèm, sed illustri, sed in perpetuum celebrandâ morte perempti, et duobus his exemplis probat, *nihil esse ex omni parte beatum. —Et mihi forsàn, tibi quod negârit Porriget hora :* hora, id est, tempus mihi non petenti ultrò deferet quod tu frustrà votis expetiveris.

10. *Te greges centum :* quàm doctè simplicem et nudam illam sententiam : tu possides greges, vaccas Siculas, vestes purpureas; quàm poeticè variat: *Te circùm mugiunt, tibi tollit hinnitum, te vestiunt!* Siculas notat vaccas, quas opulentus herus in Siciliâ, ubì pascua erant præstantissima, ad prædiorum suorum honorem et utilitatem accersiverat. Nos hodiè diceremus : *vaccas Helveticas.— Apta quadrigis equa :* de quadrigis vel Circensibus, vel Triumphalibus loquitur, quibus jungebantur equi nobilissimi, et sæpiùs equæ, si Virgilio credas, Georg. I, 59 *: Eliadum palmas Epirus equarum.—Afro murice :* murex, è cujus succo color purpureus exprimebatur, ad littora Africæ capi solebat. Hinc infrà Epist. II, 2, 181, *vestes Gætulo murice tinctas.* Muricem è Phœniciâ quoque Romani extrahebant, undè plerumque, *Tyrius* vel *Sidonius* dicitur.

11. *Mihi parva rura :* fortunæ suæ mediocritatem fatetur; se tamèn felicem jactat, qui à naturâ genium poeticum omnibus opibus comparandum sortitus sit. — *Spiritum Graiæ tenuem Camœnæ :* scintillulam aliquam ignis illius Apollinei, quo poetæ græci, Pindarus scilicèt, Alcæus, Sappho, quorum se humilem discipulum profite-

Parca non mendax dedit, et malignum
Spernere vulgus. 40

tur, incaluerunt. — *Parca non mendax :* Parcæ Fati ministræ erant; Fati autèm decreta immutabilia. Undè à Persio V, 48 : *Parca tenax veri*, ut hìc à Nostro *non mendax* appellatur. — *Malignum vulgus :* invidiosum.

ODE DECIMA SEPTIMA

AD MÆCENATEM.

Erat Mæcenas vitæ amantissimus, et perpetuâ febre, per extremos vitæ annos, tentatus, proximam sibi mortem imminere non ignorabat. Sortem suam cum amicis, et præcipuè cum Horatio lamentabatur. In carmine sequenti, solatur patronum poeta; asseritque se, licèt multò juniorem, eodem die quo Mæcenas, moriturum; hujus autèm polliciti effectum ex eo confirmat, quòd indissolubili amicitiæ vinculo cum Mæcenate conjungatur, in quo solvendo mors ipsa potestatem suam amittat, quòdque, secundùm astrologiæ leges quibus Mæcenas fidem adhibebat, in sideribus scriptum esset utrumque communi fato simùl esse decessurum.

Cur me querelis exanimas [1] tuis?
Nec Dîs amicum est, nec mihi, te priùs
Obire, Mæcenas, mearum
Grande decus columenque rerum.
Ah! te mihi si partem animæ rapit

1. *Exanimas :* animum meum conturbas. — *Querelis tuis :* de malâ valetudine, imminens mortis periculum ipsi denuntiante, queri frequentiùs debebat, quî, si Senecæ credas, Epist. 101, vitam omnibus malis refertam, et crudelibus addictam suppliciis vivere mallet, quàm mori. Lege l. cit. versus à Mæcenate conscriptos, eosdemque fidelitèr, quoàd sensum à Fontanio expressos, in Fab. I, 15, cui titulus : *La mort et le malheureux. Mœcénas fut un galant homme.....* — *Nec Dîs amicum est, nec mihi : non Dîs,* proptèr natalitium sidus, non mihi, proptèr semper servandam irruptæ amicitiæ copulam.

Maturior vis [2], quid moror altera,
Nec carus æquè, nec superstes
Integer? Ille dies utramque
Ducet ruinam. Non ego perfidum
Dixi sacramentum : ibimus, ibimus,
Utcumque præcedes [3], supremum
Carpere iter comites parati.
Me nec Chimæræ spiritus igneæ [4],
Nec, si resurgat, centimanus Gyges,
Divellet unquàm : sic potenti
Justitiæ placitumque Parcis.
Seu Libra [5], seu me Scorpius aspicit

2. *Maturior vis :* vis lethi quæ, quoquo tempore incumbat, sempèr præmatura videbitur omnibus Romanis, et mihi inprimis, qui tibi superstes esse recuso.— *Quid moror altera ?* quid ego, cujus dimidia tantùm animæ pars restat, amissâ te alterâ, *moror* his in terris, cùm nec mihi jàm, *æquè* ac anteà mihi ipsi *carus* victurus sim, mutilus, orbatus eâ mei parte, proptèr quam vita mihi in deliciis erat. Sic Statius de Metio, mòx navigaturo : *animæ partem supèr æquora nostræ Majorem transferre parat ;* Silv. III, 2, 7.

3. *Ibimus, ibimus utcumque præcedes :* quandocumque præcedes, sivè ætate, sivè sorte correptus. Ad firmiorem sacramenti fidem geminata vox, *ibimus, ibimus.*

4. *Nec Chimæræ spiritus igneæ :* de Chimærâ, vide suprà, Od. I, 27, 24. — *Centimanus Gyges :* unus è Titanibus qui *Fulmine dejecti,* Virg. Æneid. VI, 581, *fundo volvuntur in imo.* Undè, *si resurgat,* non, si ad vitam redeat; verùm, si ex imo Tartarei barathri solo cui fixus adhæret, Jovis favore, emergat, ad stabulandum, ut Briareus (Virg. loco citato, vers. 287), in ipso inferorum vestibulo; neque monstrum illud, centum armatum manibus, neque Chimæra flammas spirans ac evomens, *me* à te *divellet.* Non obstabunt quìn infernas sedes, tibi in perpetuum comes, adeam. —*Sic potenti Justitiæ, placitumque Parcis :* duplicem reddit propositi sui rationem : Justitia id poscit proptèr accepta à Mæcenate beneficia; Parcæ poscunt, quià Mæcenas et Horatius sub eodem sidere nati erant, quod est jàm evoluturus.

5. *Seu Libra :* sub quibuscunque tandèm, tàm faustis quàm infaustis, sideribus ego natus sum, mirificè illa cum iis, sub quibus tu natus es, consentiunt; uterque enim, jàm semèl ex

Formidolosus, pars violentior
Natalis horæ, seu tyrannus
Hesperiæ Capricornus undæ;
Utrumque nostrum incredibili modo
Consentit astrum. Te Jovis impio
Tutela Saturno refulgens
Eripuit, volucrisque fati
Tardavit alas, cùm populus frequens
Lætum theatris tèr crepuit sonum:
Me truncus illapsus cerebro
Sustulerat, nisi Faunus ictum

imminenti periculo servatus, simillimam sortem expertus est; ergò (nam hæc conclusio indè elici debet) uno eodemque quoque die simùl moriemur. — Consensus autèm siderum, sub quibus Horatius et Mæcenas nati esse dicuntur, ponendus est in singulari stellarum tàm faustarum quàm infaustarum conjunctione, quâ factum est, ut vis salutaris unius, vim noxiam alterius infringeret. *Libra*, stella salutaris; at *Scorpius* et *Capricornus* mali ominis sidera: *Formidolosus*, cujus ipse adspectus formidine implet. — *Pars violentior natalis horæ:* una infestiorum geneseos meæ stellarum. — *Capricornus* dicitur *tyrannus Hesperiæ undæ*, quòd tàm ortus quàm occasus ejus procellas comparare putabatur; similitèr sup. I, 3, 15, *Notus* dicitur *arbiter Hadriæ*. — *Tutela Jovis:* sidus tutelare. Jupiter, *refulgens impio Saturno eripuit;* contrà impii Saturni stellam fulgens, periculo, quod illud tibi portendebat, te eripuit; exitiosum Saturni sidus appositè dicitur *impium;* impiæ nempè Saturni in liberos suos sævitiæ. Ceterùm totum hunc locum expressit Persius V, 45 sq. *Non equidèm hoc dubites, amborum fœdere certo Consentire dies, et ab uno sidere duci. Nostra vel æquali suspendit tempora Librâ Parca tenax veri, seu nata fidelibus hora Dividit in Geminos concordia fata duorum, Saturnumque gravem nostro Jove franginus unà.*

6. *Cùm populus frequens:* gratissimam Mæcenati hujus eventûs memoriam jàm revocavit suprà I, 20. — *Tèr crepuit sonum:* numerus finitus pro indefinito communitèr in poetis sumitur. *Et manibus faustos tèr crepuere sonos*, Propert. IV, 10. — *Nisi Faunus ictum Sustulerat:* villa enim Sabina, ubi Horatius arboris casu propè oppressus fuerat, in peculiari Fauni tutelâ fuit. Vide supr. I, 17, 1: *Velox amœnum sæpè Lucretilem Mutat Lycæo Faunus.* —

Dextrâ levasset, Mercurialium
Custos virorum. Reddere victimas
Ædemque votivam memento;
Nos humilem feriemus agnam.

Virorum Mercurialium : poetarum, qui Mercurium, curvæ lyræ parentem, suprà I, 10, 6, ut patronum suum reverentur. Jàm in ode VII hujus libri, se pugnantem ad Philippos à Mercurio servatum fuisse jactitaverat Horatius.

7. *Reddere victimas Ædemque votivam : reddere* est proprium verbum de sacrificiis et muneribus quæ Diis ex voto debentur. *Tu quoniàm es, mea lux, magno demissa periclo, Munera Dianæ debita, redde choros;* Propert. II, 21, 59. — *Nos humilem feriemus agnam :* quotiès Noster aliquam inter se et patronum suum comparationem instituit, sese è consilio attenuat, Mæcenatem verò extollit, ità ut excusare se videatur quòd *parva magnis componere* sibi permiserit (confer ultimam strophen od. I, 20). Nùnc *humilem agnam*, tenuissimum sacrificium, majoribus victimis et magnifico templo à Mæcenate offerendis opponit, quod modesti simùl et politici hominis est.

ODE OCTAVA DECIMA

Suo ipsius exemplo hoc carmine ostendit Horatius, quàm verè beatus sit, qui, ab omni cupiditate liber, mediocri sorte contentus vivit. Ridet contrà atque exagitat insanas divitum sæculi sui libidines, à quibus explendis ne mortis quidèm ipsius instantis cogitatione abstrahantur. Exsplendescit hoc carmen, inquit Mistcherlich, summo imaginum vigore; oratio exquisitè compta, numerorumque harmoniâ suavissima, ità ut illud inter consummatissima totius antiquitatis monumenta facilè posuerim.

Non ebur, neque aureum
Meâ renidet [1] in domo lacunar;
Non trabes Hymettiæ
Premunt columnas ultimâ recisas
Africâ; neque Attali,
Ignotus hæres, regiam occupavi [2];

1. *Renidet:* splendet; nihil amplius. — *Trabes Hymettiæ:* trabes non ligneæ, sed marmoreæ, ex monte Hymetto petitæ, quæ ex transverso columnis superimponuntur, et eas, quasi per pontem, continuo tenore jungunt et adunant.—*Premunt:* gravissimo pondere, quale marmoris esse debet, onerant. — *Ultimâ Africâ recisas:* Numidicas; nobilissimum autèm Numidiæ marmor, in pavimentis maximè et columnis, à veteribus adhibitum. Vide Plin. XXXVI, 8, *Ultimam Africam* dicit, quo majorem luxum significet. Marmor, quò è remotiori loco advectum, eò pretiosius.

2. *Neque Attali, ignotus hæres, regiam occupavi:* alludit ad captatores illos hærediorum, quos totiès et Noster et Juvenalis persecuti sunt; qui, corruptis aut suppositis testamentis, in pecunias alienissimorum hominum (*hærcdes* ipsi etiàm testatori prorsùs *ignoti*) ejectis veris hæredibus, invadebant, ut ait Cic. de Antonio, Philipp. II, 16. Errant autèm qui crediderunt poetam hìc alludere ad populum Romanum, quem filiis carens Attalus, rex Pergami,

Nec Laconicas mihi
Trahunt honestæ purpuras clientæ.
At fides et ingenî
Benigna vena est [3], pauperemque dives
Me petit. Nihil suprà
Deos lacesso, nec potentem amicum
Largiora flagito,
Satis beatus unicis Sabinis.
Truditur dies die [4],
Novæque pergunt interire lunæ;
Tu [5] secanda marmora

moriendo hæredem suum instituit, aut ad Aristonicum, Eumenis è pellice filium, qui reverà, licèt hæres ab Attalo dictus non fuisset, ejus regiam aliquandiù occupavit, et à Perpennâ, consule Romano, anno U. C. 664, profligatus est. *Attalum*, pro, quemlibet divitem; *regiam*, pro, opulentam quamlibet domum; *ignotus hæres*, pro, quilibet hæreditatum captator, intellige. Transierat verisimilitèr in proverbium et Attali opulentia, et ejus imperii per pop. Rom. occupatio, ut v. g., apud nos, *le partage de Montgommery*. — *Nec Laconicas mihi Trahunt honestæ purpuras clientæ:* nec mihi nent lanam purpuream ingenuæ clientium meorum aut uxores aut filiæ: lanificium propriè servarum opus erat. Auget superbiam patroni, qui servilem operam à matronis sibi præstari non solùm permittit, sed etiàm postulat. Murex autèm, piscis è cujus succo purpura, circà Tænarum, Laconiæ promontorium, frequens.

3. *At fides et ingenî Benigna vena est:* ob vitæ suæ integritatem et poeticum ingenium rectè gloriatur vates, qui jàm, suprà, Od. I, 22, 1, se *integrum vitæ, scelerisque purum* cecinit. — *Suprà:* alterius. — *Potentem amicum:* Mæcenatem. — *Sabinis:* notat villulam suam, in Sabino agro sitam, quam à Mæcenatis liberalitate acceperat.

4. *Truditur dies die:* sic cum præcedentibus connecte: cur mediocritate meâ, cur agello meo Sabino contentus sum? Cur aliorum luxuriem non æmulor, sed è contrà indignor? Quià scilicèt, per varia quæ oculis meis quotidiè subjiciuntur phœnomena, de rapiditate temporis admoneor. Vix una dies mihi illuxit, jàm altera eam excepit; menses mensibus succedunt, anni annis, et quidèm celerrimè. Cur majora ad usum vitæ tàm brevis exoptarem?

5. *Tu:* avarum quemlibet et divitem alloquitur. — *Secanda marmora locas:* mercenarios

Locas, sub ipsum funus, et sepulcri
Immemor, struis domos,
Marisque Baïis obstrepentis urges
Summovere littora [6],
Parùm locuples continente ripâ.
Quid, quòd [7] usque proximos
Revellis agri terminos? et ultrà
Limites clientium
Salis avarus? Pellitur paternos
In sinu ferens Deos [8]
Et uxor et vir, sordidosque natos.
Nulla certior tamèn
Rapacis Orci sede destinatâ
Aula [9] divitem manet
Herum. Quid ultrà tendis? Æqua tellus

conducis qui tibi marmora pretiosissima advehant, ad ædificiorum tuorum structuram. — *Et sepulcri Immemor struis domos :* quàm benè hic *sepulcro*, *quæ una* et exigua sedes opulentissimum hominem manet, opponit, in plurali numero, *domos*, quas insanus ille et improvidus jamjàm relicturus est!

6. *Marisque Baïis obstrepentis urges Summovere littora :* et festinas, *factis in altum molibus*, infrà od. III, 1, 34, continentem ripam, cumulato mari, amplificare.

7. *Quid, quòd :* nec satis est immoderato luxu solum de mari usurpare; majori flagitio, vicina dominia invadis.—*Limites clientium :* clientes ipsos, quos, contrà injustam occupationem protegere in tuis officiis erat, spolias.

8. *Pellitur paternos In sinu ferens Deos :* simplicitèr primùm injustæ avaritiæ formam expresserat; nùnc eam imaginibus, et iis ad misericordiam moventibus adornat. Non arida et jejuna est poetæ nostri philosophia. Vides desolatam familiam lento gradu à tectis paternis recedere, ex omnibus quæ possidebat nihil auferentem, nisi Lares et natos paupertate squalidos. Siccis oculis avarus pietatem et egestatem contemplatur, quæ, tàm graphicè descriptæ, legentibus etiàm invitis lacrymas eliciunt.

9. *Nulla certior tamèn aula :* quasi diceret : insane! quò tàm crudelia facinora? ut incertas opes adaugeas, quas mors tibi jàm ereptura est. Unum tibi certum et definitum est domicilium, *Orcus* scilicèt *rapax*. Hæc demùm *finis* tibi *destinata* est, id est, à Fato inevitabili assignata.

Pauperi recluditur
Regumque pueris [10] : nec satelles Orci
Callidum Promethea
Revexit, auro captus. Hic superbum
Tantalum, atque Tantali
Genus coërcet : hic levare functum
Pauperem laboribus,
Vocatus atque non vocatus, audit.

Porrò, *finis* in utroque genere usurpatur.

10. *Æqua tellus pauperi recluditur, Regumque pueris :* vide Od. I, 4, 13. *Æqua*, pro, *æquè*. — *Satelles Orci :* Charon, qui animas suâ cymbâ transvectas nunquàm revebit. — *Auro captus :* de hâc narratione nihil aliundè constat; supponunt interpretes, Græcum poetam aliquem, figmenti hujus auctorem, Horatio præivisse. Res autèm ad carminis sui argumentum benè accommodata. Probat aurum nullius esse commodi in Inferis, quod in terrâ *amat per medios ire satellites*, infrà Od. III, 16, 9. Tartari *satelles*, incorruptus. Citat illicò *Tantalum* et Tantali genus, opibus aut avaritiâ in fabulis celebratum. — *Hic levare functum Pauperem laboribus, Vocatus atque non vocatus, audit :* sic construe : *hic*, Charon, *audit*, id est, dicitur, asseritur, *levare à laboribus pauperem fato functum.* Verbum *audire* eo sensu apud scriptores Latinos vulgò accipi notissimum est. Malè igitùr, τὸ levare ad, *vocatus* refertur, quasì Horatius dixisset : Charon *vocatus* ad sublevandum pauperem, *audit* ejus vota; rectè quidèm hactenùs : sed quid tùm significat, *non vocatus?* audit-ne Charon pauperem non vocantem? absurda res! Sensus autèm cum præcedenti interpretatione luce clarior : inter pauperes, nonnulli mortem, ut laborum suorum finem invocant : plures, licèt miserrimi, ut ille fabulæ lignator, pati màlunt quàm mori. Quidquid sit, inquit Horatius, mors vocata aut non vocata advenit, et ut divitis gaudio et voluptatibus, sic et egeni angustiis terminum imponit.

ODE DECIMA NONA

BACCHI LAUDES

SIVE

DITHYRAMBUS [1].

Bacchi mysteria, munera, potestatem, ultiones, victorias celebraturus, in ipsum Bacchum poeta incidit; illum canentem audit; præsentiâ Dei attonitus stupet, veniam deprecatur; mox, quasi ejus assensu fretus, quasi plenus numine, furit, æstuat, ardet, et in sublimiores cantus erumpit. In admirando illo carmine, Horatium cum aliquo Græco poetâ Dithyrambico colluctatum fuisse facilè crederes; victoriam retulisse, libentèr.

Bacchum in remotis carmina rupibus [2]
Vidi docentem (credite posteri),

1. *Dithyrambus:* unum è Bacchi nominibus, quod posteà ad hymnos in ejus honorem conscriptos translatum est. Sic autèm cognominatus est Bacchus, παρὰ τὸ διά δυὸ θύρας εἰς τόν βίον βῆναι, quià per duas portas in vitam intrasset, ex utero primùm matris Semeles, deindè è coxâ Jovis, patris sui. Notissima fabula.

2. *In remotis rupibus:* in locis enìm inaccessis, per avia montium, celebrantur orgia, id est Bacchi festa. — *Docentem carmina:* dignum erat Baccho non solùm canere, sed cantûs modos, rhythmum et materiem præcipere. Sic Bacchus, apud Euripid. Bacch. 150, canens introducitur; sìc Bacchi comes et nutritor Silenus, apud Virg. Eclog. VI, Ægle Naiadum pulcherrimæ præcinit. — *Vidi:* ausus est loca cæteris hominibus inaccesa penetrare, pro quâ audaciâ veniam mox deprecaturus est. — *Credite, posteri:* rei in-

Nymphasque discentes, et aures
Capripedum Satyrorum acutas.
Evoë [3]! recenti mens trepidat metu,
Plenoque Bacchi pectore turbidùm
Lætatur! Evoë! parce, Liber,
Parce, gravi metuende thyrso!
Fas pervivaces est mihi [4] Thyiadas,
Vinique fontem, lactis et uberes
Cantare rivos, atque truncis
Lapsa cavis iterare mella.
Fas et beatæ conjugis [5] additum
Stellis honorem, tectaque Penthei

auditæ fidem vividâ affirmatione conciliat. Mirum quidèm, sed non absurdum poetæ à vino minimè abhorrenti id concessum fuisse, ut sese, privilegio quodam, Bacchi sacris initiaret. — *Nymphasque discentes :* refer ad Bacchum *docentem.* — *Aures acutas :* arrectas ad audiendum.

3. *Evoë!* dissyllaba ad mensuram versûs. Furentium Bacchantium clamor, à vate, *cujus mens recenti metu trepidat*, quasi invito repetitus. — *Lætatur turbidùm :* lætitia quam Bacchus parit nil placidi habet; tale fermè illud Virgilianum, Æneid. III, 99 : *Mixtoque ingens exorta tumultu Lætitia.* — *Parce, Liber, parce :* per reduplicationem hujus vocis, *parce*, humile testatur obsequium, quo veniam facilius obtineat; quæ quidèm reduplicatio è naturâ deprimitur, et ipsius quasi vox est. — *Thyrso :* thyrsus est hasta pampinis involuta, quâ, qui à Baccho irato ferirentur, is furore inflammari, et dementiâ illicò corripi putabatur.

4. *Fas est mihi :* supponit sibi Bacchum jàm veniam indulsisse, proindè in jure suo esse ut ejus mysteria celebret.—*Pervicaces Thyiadas :* Mænadas, sivè Bacchas, sic dictas à verbo græco, θύω, *furo*, *ruo*. Illas *pervicaces* appellat, ob cœpti semèl furoris pertinaciam. — *Vini fontem, lactis rivos, mella lapsa truncis ;* totidèm Bacchi victoris ex Indiâ redeuntis miracula, à veteribus poetis celebrata, à Nostro *iterata* tantùm, quià jàm decantata fuerant.

5. *Beatæ conjugis :* Ariadnæ, quam licèt à Theseo relictam Bacchus connubio sibi jungere non dedignatus est. Nuptialem coronam octo gemmis ornatam cœlo inseruit, gemmasque in totidem stellas mutavit. Est signum septentrionale, Arcto vicinum, quod *Coronæ* nomen servavit, ob circularem stellarum dispositionem. — *Tectaque Pen-*

Disjecta non leni ruinâ,
Thracis et exitium Lycurgi.
Tu flectis amnes [6], tu mare barbarum :
Tu separatis uvidus in jugis [7]
Nodo coërces viperino
Bistonidum sine fraude crines.
Tu, cùm Parentis regna [8] per arduum
Cohors Gigantum scanderet impia,

thei : Pentheus, rex Thebarum in Græciâ, Echionis et Agaves filius, cùm Bacchi sacra contemneret, à matre et sorore, numinis furore correptis, dilaceratus est; domus ipsius eversa. — *Non leni ruinâ :* aliàs, *levi :* sed malè, et contrà metri Alcaïci leges. — *Lycurgi :* Thraciæ regis, qui, quòd Thracas vino et ebrietati deditos videret, omnes vites toto regno excidi jussit. Itaque fingunt illum à Baccho in furorem actum, cùm vites ipse quoque arreptâ securi vellet exscindere, sibi ipsi crura suffregisse. Alius ab eo fuit Lycurgus Spartanorum legislator.

6. *Tu flectis amnes :* æstu divino correptus, ad directam Bacchi laudationem rapidè transit; sic Virg. Æneid. VIII, 293, postquàm Herculeas laudes ab Arcadibus cantari narravit, nullâ transitione adhibitâ, et per directam orationem incipit ipse : *Tu nubigenas, invicte, bimembres*, etc., etc. Quem canendi modum æmulatus est quoque Claudianus in præfat. lib. II, 33, Rapt. Proserp. Alludit verò poeta ad antiquam traditionem, quâ credebatur Bacchus, Hydaspin et Oronta, thyrso suo contactos, sicco pede transiisse. — *Mare barbarum :* mare sivè Rubrum, seu, quod verisimilius est, mare Indicum (hodiè, *le golfe Persique*), designat.

7. *Separatis in jugis :* ut suprà : *in rupibus remotis.* — *Uvidus :* uvarum succo ebrius. — *Nodo coerces viperino :* angues innoxios (sine fraude) crinibus suis immiscebant Bistonides, id est mulieres Thraciæ (nàm Bistones Thraciæ populus). Apud Euripidem Bacchus, Bacch. 101, sibi ipse comam serpentibus implicat, et ad ejus exemplum, Bacchæ, sivè Bistonides. Serpentes autèm illos, ad terrorem tantùm dispositos, nil nocere vel gerentibus vel tractantibus, nùnc, phœnomeno vulgari, constat. Sed à divino Bacchi favore, miraculum illud originem ducere ignari hujusce ætatis homines existimabant.—*Sine fraude* apud juris peritos frequens formula, pro, *sine pœnâ, sine periculo, impunè.*

8. *Parentis regna :* Jovis. — *Per arduum :* propria vox, quâ difficilis è terrâ ad altum scandentibus ascensus notatur. —

Rhœtum retorsisti leonis
Unguibus, horribilique malâ:
Quamquàm choreis aptior et jocis
Ludoque 9 dictus, non sat idoneus
Pugnæ ferebaris; sed idem
Pacis eras mediusque belli.
Te vidit insons Cerberus 10 aureo
Cornu decorum, lenitèr atterens
Caudam, et recedentis trilingui
Ore pedes tetigitque crura.

Rhœtum : unum è Titanibus. — *Retorsisti :* retrò cedere coegisti. — *Leonis Unguibus horribilique malâ :* in leonem versus; designat arma leonis maximè metuenda; ungues scilicèt, et dentes malæ vel maxillæ adhærentes.

9. *Quamquàm choreis aptior et jocis, Ludoque :* per *ludum*, intellige amoris delicias et voluptates. Reverà Bacchi numine sæpiùs dicuntur afflati, qui Venerem sectantur et jocos. Martis tamèn amicum esse non diffitebantur, quicumque rixas et jurgia è nimio vini haustu nata in memoriam revocabunt. Ideò, *pacis et belli medius dicitur*, id est, ità positus, ut à pace non longius quàm à bello recedat, et utrique, proût tempora poscunt, famuletur.

10. *Te vidit insons Cerberus :* Cerberus, tibi non nocens ad inferos descendenti, ut indè Ariadnem uxorem reduceres. — *Aureo Cornu decorum :* Baccho cornua tribuuntur, sivè quòd in parte Asiæ quam subegit, vulgari sermone *cornu* ut potestatis indicium communitèr usurpatur. Frequens in eo sensu apud sacros Scriptores vocis *cornu* usus; sivè, quòd, immodico vino obruti, truces et contumeliosi efficiuntur, taurisque similes, obvia quæque veluti cornu feriunt; sivè denique quòd, per *cornua*, radios, immortalitatis et divinæ naturæ indices, capitique supèr imminentes poetæ et pictores intellexerint. — *Lenitèr atterens caudam :* imago suavissima canis pavitantis simùl et blandientis. Vide Virg. Æneid. XI, 812, de lupo fugaci : *Caudamque remulcens Subjecit pavitantem utero.* Nota in Horatio adverbium *lenitèr*, quod quidem cani mirum in modum congruit, lupo, nullatenùs.

ODE VIGESIMA

AD MÆCENATEM.

Horatius nomini suo immortalitatem pollicetur, ingenii laude minùs quàm Mœcenatis suffragio sibi asserendam. Jàm, divino raptus enthusiasmo, sibi ipse videtur in cycnum mutatus, alitem Musis sacrum; orbemque percurrit, remotissimos populos cantûs dulcedine permulcens. Debitas ergò cæteris mortalibus obsequias, cantus funebres, honorem sepulcri, per quæ omnia de apotheosi suâ dubitari posset, recusat. Ne autèm niniæ arguatur poeta arrogantiæ vetat posteritatis consensus et admiratio; vide in idem argumentum infrà, Od. III, 30. Concessum est poetis ut sibi laudes tribuant, maximè cùm nihil ex iis ætates sequentes detrahunt. Jàm verò ad quem vatem illud privilegium meliori jure tribuetur, quàm Nostro, cujus gloria in dies crevit, manebitque intacta, quamdiù suus poesi et litteris honos servabitur?

Non usitatâ, nec tenui ferar
Pennâ [1], biformis per liquidum æthera
Vates; neque in terris morabor
Longiùs, invidiâque major [2]

1. *Non usitatâ pennâ:* volatu paucissimis vatibus concesso. — *Nec tenui:* volatu valido, et qui nunquàm fatigari debeat. — *Biformis:* nupèr homo, nùnc cycnus, et sub novâ *formâ* prioris formæ sensum et spiritus retinens.

2. *Invidiâque major:* invidiæ victor. Invidia enìm parcit mortuis, et *supremo fine domatur*, ut ait ipse Noster Epist. II, 1, 12: *Nous n'aimons que la gloire absente, La mémoire est reconnaissante, Les yeux sont ingrats et jaloux:* Le Brun, Od. ad clarissim. vir. Buffou.

Urbes relinquam. Non ego, pauperum
Sanguis parentum [3], non ego, quem vocas
Dilecte, Mæcenas, obibo,
Nec Stygiâ cohibebor undâ.
Jamjàm residunt cruribus asperæ
Pelles [4], et album mutor in alitem
Supernè, nascunturque leves
Per digitos humerosque plumæ.
Jàm Dædaleo tutior Icaro [5],
Visam gementis littora Bospori,
Syrtesque Getulas, canorus
Ales, Hyperboreosque campos.
Me Colchus, et qui dissimulat metum
Marsæ cohortis Dacus [6], et ultimi

3. *Non ego pauperum Sanguis parentum :* nunquàm Horatium pudnit obscuræ originis, quam nou semèl, nec sine quodam superbiæ sensu in scriptis commemoravit. — *Quem vocas Dilecte ;* quem *dilecti*, quem amici nomine non dedignaris appellare ; gallicè : *que vous daignez appeler, Mon ami.* Malè igitùr *dilecte* cum verbo Mæcenas jungeretur. Quis tùm sensus his vocibus, *quem vocas ? quem vocas,* inquiunt, *ad cœnam.* Haud scio àn quidquam absurdius reperiri possit.

4. *Jamjàm residunt cruribus asperæ Pelles :* per partem corporis inferiorem metamorphosis incipit ; pedes autèm et crura cygni, ut cæterarum avium aquaticarum, pellibus duris horrescunt. *Residunt cruribus*, id est, cruribus adhærescunt, crura vestiunt. — *Supernè :* ultima hujus vocis syllaba, per exceptionem, corripitur. *Tecta supernè timent, metuunt infernè cavernas*, Lucret. V, 596. — *Leves :* politæ ; præclarè de pennis oloriuis, levore ac candore refulgentibus.

5. *Jàm Dædaleo tutior Icaro :* alitèr, *ocior ;* alitèr, *notior ;* neutrum mihi placet ; nihil ad sensum volatûs rapiditas ; et cum verbo *ocior*, mensura versûs, per necessariam elisionem, offenditur. *Notior* parùm vis et energiæ habet ; quid mirum, insignem poetam Icaro notiorem esse, cujus fama per poetas solos increbuit ? Bentleii felicissimam mutationem, à Sanadone acceptam, prætulimus. — *Gementis Bospori :* propter angustias freti, cujus undæ magno cum murmure ad utrumque littus franguntur. — *Syrtesque Getulas :* syrtes Lybicas ; vide suprà, Od. I, 22.

6. *Dacus :* Europæ populus,

Noscent Geloni; me peritus
Discet Iber, Rhodanique potor.
Absint inani funere næniæ [7],
Luctusque turpes et querimoniæ;
Compesce clamorem, ac sepulcri
Mitte supervacuos honores.

nùnc Hungari, Valachi, Moldavi. — *Marsæ cohortis:* Marsi, inter pedites Romanos, fortitudinis famâ præcellebant. Intellige legiones Romanas, quas Daci, quamvis reverà timerent, fingebant tamèn se contemnere. — *Geloni:* Scythiæ populus; vide suprà, Od. IX, 23. — *Peritus Iber:* Iberi sivè Hispani, ab Ibero flumine sic appellati; peritos eos vocat, sivè, ut in arte bellandi exercitatissimos, sivè quòd jàm, imperante Augusto, studia in iis regionibus florerent, undè posteà originem traxerunt uterque Seneca, Lucanus, Martialis, etc., etc. — *Rhodanique potor:* Gallia Lugdunensis.

7. *Absint inani funere næniæ:* absint cantus lugubres à funere, quod quidèm nihil veri habebit, cùm reverà non moriturus sim. Non dubium est quin ad notum illud Ennii epitaphium respexerit poeta: *Nemo me lacrimis decoret; nec funera fletu Faxit. Cur? volito vivu' per ora virûm.* — *Mitte:* omitte, ut supr. Od. I, 38, 3: *mitte sectari.*

Q. HORATII FLACCI

CARMINUM

LIBER TERTIUS.

ODE PRIMA

Carmen sequens ad moralem philosophiam spectat, et totum ex illâ Stoïcorum doctrinâ pendet, quam Epicureis ferè sempèr dogmatibus temperatam, nùnc verò nudam et severam profitetur Horatius. Summa autèm doctrinæ ista est; scilicèt, veram hominum felicitatem, neque in potentiâ, nec honoribus aut divitiis, sed in animo tranquillo et paucis contento, ponendam esse. Quam quidèm gravissimam materiem coætaneis popularium suorum moribus adeò oppositam ut digniùs tractet, majoremque verbis suis fidem asserat, non, ut musarum alumnus, sed ut sacerdos loquitur; formulis utitur solemnibus, quas in sacris et mysteriis celebrandis adhibere mos erat. Silentium, jure pontificali, audientibus imperat, et, cum adultorum seniorumque vitia emendaturum se desperet, ad virgines et pueros adhùc incorruptos et accipiendis morum præceptis idoneos, cantus suos dirigi declarat.

Odi profanum vulgus, et arceo [1].

1. *Odi profanum vulgus, et arceo:* formula, ut dictum est in argumento, quâ celebrandis tùm apud Græcos, tùm Romæ myste-

Favete linguis! carmina non priùs
Audita, Musarum sacerdos,
Virginibus puerisque canto.
Regum [a] timendorum in proprios greges,
Reges in ipsos imperium est Jovis,
Clari Giganteo triumpho,
Cuncta supercilio moventis.
Est ut viro vir latiùs ordinet

riis, præibatur. ἑκὰς, ω ἑκας ἔστε βέβηλοι. Et ap. Callimach. Hymn. ad Apollin. 2 : ἑκὰς, ἑκὰς ὅστις ἀλιτρὸς; quam formulam, verbo ad verbum, reddidit Virg. Æn. VI, 258 : *Procul, ô procul este, profani!*—*Favete linguis:* favere linguis, primitivo sensu significat nil, nisì bona verba et felicitèr ominosa efferre. *Idcircò*, inquit Cicero, Divin. III, *Omnibus rebus agendis, quod bonum, felix, faustum, fortunatumque esset, præfabantur, rebusque divinis quæ publicè fierent, ut faverent linguis imperabatur.* Deindè, cùm nonnunquàm eveniret, ut inter publicas illas acclamationes, aliqua vox vel obscœna, vel saltèm indebita excideret, astantes sinebant solum sacerdotem verba solemnia præfari, quæ religioso silentio ipsi approbabant. Undè, *favere linguis* idem ac *silere* posteà valuit. — *Musarum sacerdos, Virginibus puerisque canto:* vide argumentum, præsertìm in fine. — *Carmina non priùs audita :* subaud. *Romanis.* Primus enìm inter poetas Latinos poesim philosophiæ morali applicuit Horatius, cùm Lucretius physica tantùm Epicuri dogmata et deorum contemptum et veræ ethicæ subversionem docuisset.

2. *Regum :* nexus sententiarum cum subsequentibus : summa potestas non feliciorem hominem facit; reges enìm super alios elati sunt, et *timentur* ab iis quibus imperant; sed ipsis timendus est Jupiter, qui ut olìm Gigantum superbiam, sìc regum vitia punire, et audaciam frangere potest; quibusque denique, ut hominum pauperrimo, olìm moriendum est. — *In proprios greges :* vox ab Homero deprompta, apud quem reges vulgò, ποιμένες λαῶν, *pastores populorum* appellantur. — *Cuncta supercilio moventis :* sublimem hanc imaginem ab Homero quoque mutuatus est Noster : Ἡ, καὶ κυανέῃσιν ὑπ' ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων... μέγαν δ' ἐλέλιξεν Ὄλυμπον. Iliad α, 528. Eamdem ferè omnes poetæ Latini, suo quisque more, adornaverunt. Vide Catull. Epithal. Pelei, 204; Virgil. Æneid. X, 115; Ovid. Metam. I, 179; Stat. Theb. VIII, 82.

3. *Est ut viro vir latiùs or-*

Arbusta sulcis [3] : hic generosior
Descendat in campum petitor [4];
Moribus hic meliorque famâ
Contendat; illi turba clientium
Sit major : æquâ lege Necessitas
Sortitur insignes et imos;
Omne capax movet urna nomen.
Destrictus ensis [5] cui super impiâ

dinet Arbusta sulcis : sequere argumentationem poetæ. Felicitatem non magìs è divitiis et publicis muneribus pendere ostendet, quàm è supremâ in cæteros homines et absolutâ potestate. *Est ut ;* accidit ut, est rerum naturæ congruum ut quis in ampliorìbus prædiis arbores, vites videlicèt aut oleas aut alia quæcunque arbusta, ordine digerat. Qui agros in immensum spatium extensos possidet, is majori intervallo plantas inserit, sivè quòd minùs parcè solo suo utatur, et magnam hujus partem, sine magno detrimento, possit perdere; seu quòd latifundia lucro apponens, ità arbores suas disponit, ut illarum rami fructibus gravati latè longèque luxurient, quod non æquè licet hæredìolum tantummodò possidenti.

4. *Hic generosior petitor :* candidatus è nobiliori quàm concurrentes *genere* ortus, et hunc titulum honoribus quos *petit*, præferens. — *Descendat in campum :* subaud. *Martium :* planitiem Capitolio subjectam, juxtà Tiberim, in quâ populus dabat suffragia. — *Moribus hic meliorque famâ :* de altero candidato loquitur. — *Illi turba clientium sit major :* tertium tandèm candidatum attingit. Tres autèm vias per quas ad munera publica perveniebatur, rapido versu poeta percurrit; divitias, clientium numero indicatas, propriam virtutem, et generis nobilitatem. Quidquid sit, divitibus, viris probis, nobilibus, mors subeunda est. Ubì ergò felicitas? aut, si qua est, quàm brevis, quàm caduca! — *Necessitas :* Dea, Ἀνάγκη, Μοῖρα : imposita omnibus, *æquâ lege*, sine ullo discrimine, moriendi lex. — *Sortitur :* sortem cuique suam, imus sit vel insignis, immittit. — *Capax urna :* ità equidèm! et terribili epitheto, *capax*, quæ omnium nomina, ad unum contineat. — *Movet :* optimè congruit cum voce, *sortitur*. Etiamsì etenìm omnibus moriendum sit, tamèn unicuique mors sua è fortuito urnæ motu advenit; ità alii vìx in limine vitæ, alii maturâ ætate, alii deniquè senio confecti moriuntur. Vide eamdem ferè sententiam non minùs felicitèr expressam, suprà Od. II, 3, in fine.

5. *Destrictus ensis :* sìc nova

Cervice pendet, non Siculæ dapes
Dulcem elaborabunt saporem;
Non avium citharæque cantus
Somnum reducent. Somnus [6] agrestium
Lenis virorum non humiles domos
Fastidit, umbrosamque ripam,
Non Zephyris agitata Tempe.
Desiderantem quod satìs est, neque

hæc strophe cum præcedenti connectitur; solus mortis instantis prospectus vetat, ne quis, sivè rex, sivè nobilis, sivè dives beatum se prædicet. Verùm huic importunæ et inevitabili cogitationi accedit, quòd homines potentiores, ob assiduas curas, ob timores quibus circumsidentur, parùm suavitatis è vitæ suæ deliciis percipiant; imò quieti somni dulcedinem ignorent. Quod confirmat per allusionem ad notissimam Damoclis historiam, quæ in Tullio legitur, lib. V Tusculanarum Quæstionum. Damocles quidam Dionysii Siciliæ tyranni aulicus et assentator insignis fuit. Is cùm aliquandò regum beatam sortem coram tyranno extolleret, jussit Dionysius hominem ad regiam mensam exquisitis opertam ferculis accumbere : simùl ensem strictum suprà illius verticem equinâ setâ suspendi voluit. Quo metu ità exanimatus est Damocles, ut ne cibos quidèm attingere potuerit. — *Destrictus :* alii legunt *districtus;* sensus idem. — *Super impiâ cervice :* sub personâ sivè Damoclis, qui ut adulator, sivè Dionysii, qui ut tyrannus, rectè appellari *impius* potest, comprehendit Horatius potentes quoslibet, quibus mens recti non est conscia. — *Dulcem elaborabunt saporem :* suppone aliud verbum, *provocabunt*, v. g., *excitabunt,* aut quodcunque fingere libuerit, quid ista, si comparentur verbo illi graphico, et ipso syllabarum numero et lentâ gravitate indicanti, quantâ arte, quanto *labore* opus sit, ut superbum opulentiæ et fastidiosi comessatoris palatum, ciborum vel exquisitissimorum sapore delectetur; et tamèn, neque ars illa, nec *labor* quidquam proficiet.

6. *Somnus :* sic construe : *somnus lenis non fastidit humiles domos agrestium virorum.* Sic Virg. agricolas laudans, Ge. II, 470 : *Mollesque sub arbore somni Non absunt.* Cur? quià agrestibus viris *secura quies et vita fallere nescia;* quia, *extrema per illos Justitia, excedens terris vestigia fecit.* Ibid. confer universum locum. — *Umbrosamque ripam, Tempe :* in quibus quiescere amant simplices illi homines, dùm opulenti viri in mollibus et auratis stratis insomnem noctem traducunt.

Tumultuosum sollicitat mare [7],
Nec sævus Arcturi cadentis
Impetus, aut orientis Hædi;
Non verberatæ grandine vineæ [8],
Fundusque mendax, arbore nùnc aquas
Culpante, nùnc torrentia agros
Sidera, nùnc hyemes iniquas.
Contracta pisces æquora sentiunt [9]
Jactis in altum molibus; hùc frequens
Cæmenta demittit redemptor
Cùm famulis, dominusque terræ

7. *Neque tumultuosum sollicitat mare :* qui enìm nihil aliud quàm *quod satis est,* quàm necessarium cupit, non immensis quæstibus quos maritimum commercium parit, inhiat.—*Nec sævus Arcturi cadentis Impetus, aut orientis Hædi : Arcturi :* stella est insignis in cingulo Bootæ, propè caudam Ursæ majoris; indè nomen habet. Est enìm Ἄρκτος, *ursa*, et οὐρὰ, *cauda.* Pluvias tempestatesque portendit, præsertìm cùm occidit. — *Hædi :* Hædus, sive Capella, est stella primæ, ut vocant, magnitudinis : huic insidet stella, cui Auriga nomen. Duæ etiam in eodem signo stellæ vocantur Hædi. Porrò, quantumvìs graves sint procellæ ab illorum astrorum ortu vel occasu concitatæ, quàm frugibus et annuis proventibus noxiæ, satis semper reliqui erit nil ultrà necessarium appetenti.

8. *Non verberatæ grandine vineæ :* non minùs aptè in Epist. I, 8, 4 : *Haud quià grando Contuderit vites;* gallicè dicimus : *la gréle fouette,* Dict. Academ. ; *Ce pays a été fouetté de la gréle,* Dict. Trevolt. — *Fundusque mendax :* depositi titulo semina tellus accepisse videtur, et eà lege, ut illa cum certà usurâ post elapsum annum restituat ; undè deficiente reditu, *mentiri* et fidem fallere dicitur. Similitèr Epist. infrà, I, 7, 87 : *spem mentita seges;* cui opponitur : *segetis certa fides,* infrà Od. III, 16, 30.—*Arbore nùnc aquas culpante :* dùm arbor, sterilitatis culpam quæ ei à domino imputabatur, modò in nimias pluvias, modò in nimios æstus, modò in hyemalia frigora transfert. Prosopopeia est. Sed quid hæ calamitates viro sapienti, qui necessitatis jugo sese fortitèr subjicit, quique paucis vivit?

9. *Contracta pisces æquora sentiunt :* in illud luxûs genus jàm invectus est suprà, Od. II, 18, 20; quem locum cum notis vide. — *Frequens redemptor :* multi operum conductores; gallicè, *des entrepreneurs. Redi-*

Fastidiosus; sed Timor et Minæ [10]
Scandunt eòdem, quò dominus; neque
Decedit æratâ triremi, et
Post equitem sedet atra Cura.
Quòd si dolentem nec Phrygius lapis [11],
Nec purpurarum sidere clarior
Delenit usus, nec Falerna
Vitis, Achæmeniumque costum;
Cùr invidendis postibus [12], et novo
Sublime ritu moliar atrium?

mere, propriè dictum est de litibus, quas nonnulli à pauperibus litigatoribus, pactâ mercede, susceptoque in se eventûs periculo, *redimebant*. Hinc Imper. Cod. *de procur.* leg. 15. *Litem te redemisse contrà bonos mores manifestè professus es.* Posteà vox illa *redimere* extensa fuit ad eos omnes quî opus quodlibet, sivè privatum, sivè publicum, constituto et præfixo pretio conficiendum suscipiebant. In hujusmodi pacto inest aliquid incerti et aleatorii qui quamdam similitudinem cum litis eventu constituit; nàm, si quod damnum emergit, in solum *redemptorem* vel conductorem cadit, nunquàm in operis perficiendi dominum. Notandum hìc censuimus gravitèr erravisse Santolium, egregium illum poetam, et recentiorum lyricorum facilè principem, dùm in hymno ad festum *Purificationis*, Christum, *redemptoris* nomine designare non dubitavit.

10. *Sed Timor et Minæ :* vide eamdem sententiam similibus imaginibus adornatam, suprà Od. II, 16, 21. Consule quoque notas in hunc locum.

11. *Phrygius lapis :* marmor pulcherrimum, quod eruebatur propè Synnada, Phrygiæ civitatem. *Quidve domus prodest Phrygiis innixa columnis?* Tib. III, 3, 13. — *Nec purpurarum sidere clarior usus :* inversione apud poetas usitatissimâ, pro, *nec usus purpuræ sidere clarioris. Purpuras* autèm ponit in plurali numero, ut varias significet pulcherrimæ purpuræ commissuras (*les différentes nuances*), vel, ut magnam notet purpurarum vestium multitudinem. Vide supr. Od. II, 18, 7 : *Laconicas purpuras.* — *Achæmeniumque costum :* unguentum *Persicum.* De *Achæmene* Persarum rege, vide Od. II, 12, 21.

12. *Invidendis postibus :* porticus magnificæ, quæ invidiam moveant. — *Sublime atrium :* partem pro toto : propriè vestibulum, cujus magnitudo et excelsitas magnitudinem et altitudinem totius ædificii indicant. — *Novo*

Cùr valle permutem Sabinâ
Divitias operosiores?

ritu : transeundo, et quasi aliud agendo, luxum ætatis suæ carpit. — *Divitias operosiores:* quæ mihi multò plures curas ingererent, quàm cultus simplicis villulæ.

ODE SECUNDA

Romanos à teneris annis ad paupertatem, ad militiæ labores, ad virtutem civilem, ad pietatem esse informandos monet Horatius; suam esse virtuti mercedem, sua ignaviæ pericula, suam malè agentibus pœnam, seriùs ociùs exsolvendam.

Angustam amicè pauperiem [1] pati
Robustus acri militiâ puer
Condiscat, et Parthos feroces
Vexet eques metuendus hastâ,
Vitamque sub dio, et trepidis agat
In rebus. Illum ex mœnibus hosticis
Matrona [2] bellantis tyranni
Prospiciens, et adulta virgo,
Suspiret: « Eheu! ne rudis agminum

1. *Angustam pauperiem:* paupertatem non absolutam, sed privationem rerum quæ in vitâ civili suppetunt, et à quibus in castris abstineri debet. — *Amicè pati:* libentèr tolerare. Libri veteres, quotquot vidi, *amicè* habent, non *amici*. — *Robustus acri militiâ:* bellicis exercitationibus vires ultrà ætatem consecutus. — *Puer:* adolescens septemdecim ferè annos natus. Hæc vox *puer* sæpissimè ad ætatem juvenilem, imò et maturam transfertur. Virgilius de Cæsare et Pompeio, Æneid. VI, 832: *Ne, pueri, ne tanta animis assuescite bella.* — *Condiscat:* nota vim præpositionis; completè, perfectè discat. — *Trepidis In rebus: au milieu des alarmes.*

2. *Matrona:* uxor, marito suo primùm, deindè filiæ suæ, aut potiùs futuro genero timens. — *Adulta:* quippè quæ jàm nuptura sit. — *Suspiret:* eximiâ brevitate, pro, *suspirando* in hæc verba erumpat. — *Eheu!* exclamatio pathetica virginis sponso suo metuentis. — *Rudis agminum:* qui umbratilem hactenùs vitam duxit, ab armorum tumultu longè remotus, per oppositionem juveni illi Romano, qui

« Sponsus lacessat regius asperum
« Tactu leonem, quem cruenta
« Per medias rapit ira cædes. »
Dulce et decorum est pro patriâ mori [3].
Mors et fugacem persequitur virum,
Nec parcit imbellis juventæ
Poplitibus, timidoque tergo.
Virtus, repulsæ nescia sordidæ [4],
Intaminatis fulget honoribus;
Nec sumit aut ponit secures
Arbitrio popularis auræ.

à pueritiâ Martis labores tolerare didicit. — *Lacessat :* prior provocet, quamvis impar, sed juvenili impetu raptus, et inexercitatâ virtute ferocior. — *Asperum tactu leonem :* quem tangere, ad quem propiùs accedere formidolosum.

3. *Dulce et decorum est pro patriâ mori : Decorum* esse pro patriâ occumbere cecinerat Tyrtæus; τεθνάμεναι γὰρ καλὸν ἐπὶ προμάχοισι πεσόντα Ἀνδρὸ ἀγαθὸν, περὶ ᾗ πατριδι μαρνάμενον. Addit vim Tyrtæo noster, dùm, non tantummodò *decorum*, sed *dulce* etiam mori pro patriâ canit, pro patriâ quæ, teste Cicerone, una omnes omnium charitates complectitur. Martialis è contrà : *Vivere pro patriâ dulciùs esse puto. — Mors et fugacem persequitur virum :* datum juventuti Romanæ fortitudinis bellicæ consilium eâ ratione confirmat, quòd non minus sit imbellibus et ignavis periculum, quàm fortitèr mortem in prælio lacessentibus.

4. *Virtus, repulsæ nescia sordidæ :* præter virtutem bellicam est alia, quâ imbuendi sunt pueri, eâ nempè, quæ, *repulsæ nescia sordidæ*, *Intaminatis fulget honoribus;* ad hanc virtutem, quam *civilem* dixeris, refer vitæ honestatem, integritatem, prudentiam, sapientiam et rerum civilium administrandarum scientiam; in quibus omnibus si quis factus est conspectior, is nunquàm in petendis honoribus contumeliosam repulsam fert, in iis fungendis autèm, sempèr dignitatem suam tuetur. *Intaminatis fulget honoribus*, quia neutiquàm auræ popularis arbitrio, sed virtutis suæ præsidio nixus suscipit deponitque magistratus. Sìc mihi quidem hic locus, in cujus sensu explanando adeò laboratum est, satìs expeditus videtur. *Sordidæ;* ad vim hujus epitheti maximè adverti debet; potest enìm in petendis honoribus vir bonus quoque repulsam ferre, sed non *sordidam* et contumeliosam, quam ii tantùm ferunt, qui malis artibus ad summos honores enituntur; *sordida*

Virtus, recludens immeritis mori
Cœlum [5], negatâ tentat iter viâ;
Cœtusque vulgares, et udam
Spernit humum fugiente pennâ.
Est et fideli tuta silentio
Merces [6] : vetabo qui Cereris sacrum
Vulgarit arcanæ, sub îsdem
Sit trabibus, fragilemque mecum
Solvat phaselum. Sæpè Diespiter
Neglectus, incesto addidit integrum;

igitùr, exempli causâ, fuit repulsa quam in consulatûs ambitu tulit vir pessimi ingenii Catilina; *non sordida*, quàm Cato, vir justissimus, tàm in præturæ quàm in consulatûs petitione expertus est. Dæring.

5. *Virtus, recludens immeritis mori Cœlum :* novum ad virtutem juvenibus Romanis incitamentum proponit. Sola virtus immortalitatis præmio afficitur. — *Negatâ viâ :* hominibus vulgò inaccessâ, sed quam sibi aperiunt summi viri, qui virtute suprà humanitatem sese extulerunt, et digni fuêre qui ad deos propiùs accederent, ut Hercules, Romulus, Cæsar, etc., etc. vid. od. sequentem, 9. — *Udam Spernit humum :* ex alto despicit cæterorum hominum in terrâ degentium vulgares conventus, et suprà lutosam hanc humum sublimibus alis evolat.

6. *Est et fideli tuta silentio Merces :* ad religionis officia transit, quæ informandæ juventuti non minùs utilia sunt quàm civiles quas mòx laudavit virtutes. Inter autèm præcipua, notat silentii necessitatem, quod in quibusdam sacris, ut Eleusinæ Cereris, imperabatur. Difficiliùs enim erat silendi præceptum exsequi, quàm ritus alios adimplere, qui ad pompam et magnificentiam pertinebant, nullamque vim cupiditatibus faciebant. *Tuta* autèm *merces* dicitur, id est, certa, inevitabilis. — *Qui Cereris sacrum Vulgârit arcanæ:* de illâ superstitione qui plura scire velit, Tertullianum adeat, initio libri contrà Valentin. et Augustinum, lib. VII, 20, *De Civitate Dei.* — *Sub îsdem Sit trabibus :* eamdem domum habitet, eodem navigio maritimum iter faciat. — *Sæpè Diespiter Neglectus :* hominum impietate læsus, sæpè innocentem scelesto addere, h. e. innocentem, si in societate scelesti est, unà cum eo punire solet. Valuit hæc de pœnis divinis apud antiquissimos populos opinio, et ideò imprimis propagata fuisse videtur, ut homines ob detestabile, quod scelesti apud alios sibi contrahunt, odium, à sceleribus committendis deterrerentur.

Rarò antecedentem scelestum [7]
Deseruit pede Pœna claudo.

7. *Rarò antecedentem scelestum:* hìc Pœna personæ formam induit; dicitur *claudo pede*, quià illam tardè advenientem aliquamdiù nocentes effugisse videntur. Advenit tamèn, et moras ultionis severitate pensat. Lege admirandum Plutarchi opusculum, *de iis qui serò à Numine puniuntur*. In exprimendà eâdem doctrinâ omnes philosophi et poetæ consentiunt.

ODE TERTIA

LAUS JUSTITIÆ, FIDEI, CONSTANTIÆ, ABSTINENTIÆ; ROMULI APOTHEOSIS.

Egregio huic carmini duplex, et alterum ab altero longè diversum, vulgò assignatur argumentum. Alii, v. g., Dacierius, Sanado, Poinsinet de Sivry, vir clar. Vanderbourg, ideò hanc odem, secreto Mæcenatis jussu, scriptam fuisse putant, ut Augustus deterreretur à consilio quod olim Jul. Cæsar inierat, quodque successor Cæsaris et filius adoptivus credebatur repetisse, migrandi Alexandriam vel Ilium, translatis simul opibus imperii, exhaustâque delectibus Italiâ; rem narrat Suetonius in vitâ J. Cæsaris, cap. 79. Alii, inter quos Juvencius, Wetzel, Mitscherlich, Dæring, silentio freti scriptorum qui vitam Augusti tradiderunt, hanc interpretationem, ut merè hypotheticam, rejiciunt, et nihil hìc vident, nisi carmen ad Ethicam spectans, in quo docet vates suum esse virtuti præmium, nec nisi per constantiam et animi fortitudinem ad honores divinos perveniri posse; suam quoque impietati et perjurio pœnam reservari, quod exemplo Trojæ penitùs eversæ, et è tumulo suo nunquàm emersuræ confirmat.

In priorum interpretum sententiam descendere non dubitabit quisquis attentè legerit varias hujusce odes strophas, et eas præsertim in quibus Juno eâ tantùm conditione æterna fata Romanis pollicetur, ut nunquàm Trojæ mœnia reparare velint. Tantâ vi, tàm trucibus minis in illud consilium, nec semèl, sed tèrque quatèrque invehitur Jovis conjux, ut puerili prorsùs irâ exardescere videretur, et in vanam abire declamationem, si nihil veri, nihil solidi inesset timoribus suis: quæcumque detur lyrico poetæ licentia, nemo crediderit fabulam inanem et omninò commentitiam Horatio tàm graves iras commovisse; quid plura? Rejectâ illâ quam primus Dacierius reperit interpretatione, vix totius odes sensus cohæret, et

materiam, quod nonnulli volunt, purè philosophicam tractanti imputandum erit vitium, quod ipse Horatius gravissimè reprehendit in initio Artis Poeticæ :

Inceptis gravibus plerùmque et magna professis
Purpureus latè qui splendeat, unus et alter
Assuitur pannus :

Dacierii verò opinionem sequentibus, carmen, uno et perpetuo tenore contextum, non splendentibus pannis assutum, videbitur.

Justum et tenacem propositi [1] virum
Non civium ardor prava jubentium,
Non vultus instantis tyranni
Mente quatit solidâ, neque Auster
Dux inquieti turbidus Hadriæ [2],
Nec fulminantis magna Jovis manus ;
Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinæ.

1. *Tenacem propositi* : hanc sententiam illustrat Cicero, de Offic. I, 31 : *Catoni, cùm sempèr in proposito susceptoque consilio permansisset, moriendum potiùs quàm vultus tyranni aspiciendus fuit. — Non civium ardor prava jubentium :* cujus hunc versum legentis memoriæ non subitò occurrunt Harlæi, Molæi, Potierii nomina, pro rege suo et legibus plebeios furores temnentium? — *Non vultus instantis tyranni :* tyranni minantis, et *instantem* mortem denuntiantis. Vid. Juven. VIII, 79 : *Phalaris licèt imperet ut sis Falsus, et admoto dictet perjuria tauro. — Mente quatit solidâ :* sic, Seneca, de Constant. sapient., cap. VI, asserit, *nulla machinamenta posse reperiri, quæ benè fundatum animum agitent.* Nota vim illius vocis, *quatit;* non solùm non dejicit, sed ne perturbat quidèm.

2. *Dux Hadriæ :* qui imperium exercet in sinum Hadriaticum, et ibi tempestates ciet, viro constanti nullum timorem incutientes. — *Magna Jovis manus :* manus potens, manus metuenda. — *Si fractus illabatur orbis :* attende : non dixit Noster, *Si orbis corruat, si præcipitem ruinam ducat;* verùm, si len-

Hâc arte [3] Pollux, et vagus Hercules
Enisus, arces attigit igneas;
Quos inter Augustus recumbens
Purpureo bibit ore nectar.
Hâc [4] te merentem, Bacche pater, tuæ
Vexêre tigres, indocili jugum
Collo trahentes; hâc Quirinus
Martis equis Acheronta fugit,
Gratum elocutâ consiliantibus

to casu, capiti constantis viri immineat, ità ut ipsum *illabentem* oculo irretorto videat, et quasi gradatim et pedetentim descendentem metiatur. Gravissimam Horatii sententiam longâ et fastidiosâ oratione uterque Seneca diluerunt: alter, Quæst. natur. VI, 32; alter verò, Thyest. 358.

3. *Hâc arte :* hâc, inexpugnabili in rectè agendo perseverantiâ, quæ, cùm è præfixâ vivendi normâ derivetur, ad certam quamdam artem referri potest. — *Vagus Hercules :* qui remotissimas regiones, monstrorum tyrannorumque domitor, peragravit. — *Enisus* propriè de iis dicitur, qui ad altiora tendunt. Malè in plerisque codicibus legitur *innixus.* — *Arces igneas :* cœlum sideribus micans. — *Quos intèr Augustus recumbens :* Senatûs enìm adulatio viventem Augustum Deorum numero ascripserat. Vid. infrà Od. III, 5, 2 : *Præsens divus habebitur Augustus;* vide quoque Epist. II, 1, 15 : *Præsenti tibi maturos largimur honores, Jurandasque tuum per nomen ponimus aras.* — *Purpureo ore :* roseo, pulchro, quasi jàm divinæ naturæ particeps factus, ipsoque vultu splendorem superhumanum præferret.

4. *Hâc :* subaud. *arte;* id est hâc virtutis viâ. — *Bacche pater :* per apostropheu, motus orationis variatur, et vividiùs procedit. — *Indocili jugum collo trahentes :* tigres, quamvìs domitæ à Baccho, multùm nativæ ferocitatis retinent, jugumque impatientèr ferunt. Liceat hanc imaginem multò fusiùs explicatam à Volt. Henriad. VIII, repræsentare : *Semblable au fier lion qu'un Maure a su dompter, Qui, docile à son maître, à tout autre terrible, A la main qu'il connaît soumet sa tête horrible, Le suit d'un air affreux, le flatte en rugissant, Et paraît menacer même en obéissant.* — *Martis equis :* filius Martis fingebatur Romulus, et à patre in cœlum raptus fuisse : sic fermè Ovid. Fast. II, 496 : *Hìnc tonat, hinc missis abrumpitur ignibus æther :*

Junone Divis [5]: « Ilion, Ilion [6]
« Fatalis incestusque judex,
« Et mulier peregrina vertit
« In pulverem, ex quo destituit Deos
« Mercede pactâ Laomedon, mihi
« Castæque damnatum Minervæ
« Cum populo et duce fraudulento.
« Jàm nec Lacœnæ splendet adulteræ [7]
« Famosus hospes; nec Priami domus
« Perjura pugnaces Achivos
« Hectoreis opibus refringit,
« Nostrisque ductum seditionibus
« Bellum resedit [8]. Protinùs et graves

Fit fuga ; Rex patriis *astra petebat* equis.

5. *Gratum elocutâ consiliantibus Junone Divis :* gratum videri debuit, quòd, depositis adversùs Trojanorum posteros veteribus odiis, Juno sineret unum ex iis Deorum ordinibus inseri. Jàm enìm, pax inter Deos in magnâ illâ contentione sibi invicèm oppositos, restituebatur.

6. *Ilion, Ilion :* Ilii nomen magnâ cum vi repetit poeta. — *Fatalis incestusque judex :* non nominat Paridem, sed eo tantùm titulo designat, qui suam iram adversùs eum et omnes Trojanos concitaverat. *Fatalem* eum dicit, id est fatorum Trojanorum causam et auctorem; *incestum*, non castum, ob raptum Helenæ. — *Mulier peregrina :* Helenam quoque proprio nomine appellare dedignatur. — *Ex quo :* sic construe : *damnatum mihi et castæ Minervæ* ab eo tempore, quo..... id est; non solùm propter injuriam mihi et Minervæ per judicium Paridis illatam, Troja nobis *damnata*, addicta, devota fuit; sed, à primâ origine, ab ipsis mœniorum ejus fundamentis, ob perjurium Laomedontis, qui Neptunum et Apollinem mercede pactâ fraudaverat. Quam fabulam ità mythologi explicant, ut velint sacram pecuniam in utriusque dei templis depositam, à Laomedonte impensam fuisse ad instauranda Trojæ mœnia, neque unquàm ab eo, uti promiserat, repositam et restitutam.

7. *Lacœnæ adulteræ :* in dativo casu; qui à Mæcenate, Helenæ patre, ut *hospes* acceptus fuerat. — *Nec Priami domus Perjura :* crimen Laomedontis in posteros extendit. — *Hectoreis opibus* : Hectoris virtute et auxilio.

8. *Nostrisque ductum seditionibus Bellum resedit :* et produc-

« Iras, et invisum nepotem,
« Troïca quem peperit sacerdos,
« Marti redonabo. Illum ego lucidas
« Inire sedes [9], ducere nectaris
« Succos, et adscribi quietis
« Ordinibus patiar deorum;
« Dùm longus inter sæviat Ilion
« Romamque pontus [10], quâlibet exsules
« In parte regnanto beati,
« Dùm Priami Paridisque busto [11]

tum decem usque ad annos nostris discordiis bellum, tandèm compositum est. — *Protinùs :* jàm nùnc, eo ipso momento quo loquor. — *Marti redonabo:* in gratiam Martis, odium illud quo Romulum, meum equidèm nepotem, sed à Trojâ oriundum, deponam. Romulus autem, Junonis nepos, per Martem, qui eum ex Iliâ, Numitoris filiâ, genuit.

9. *Illum ego lucidas Inire sedes : ego*, per emphasim; *ego* quæ sola Romuli apotheosi obstare potuissem; *ego*, deorum regina, Jovisque et soror et conjux. Vid. inf. v. 64. Nota quàm doctè eadem sententia varietur; *Inire sedes lucidas, ducere succos nectaris, Deorum adscribi ordinibus :* quasi per longam istam expolitionem, beneficia sua amplificare, conditionemque quâ conceduntur, æternam scilicèt Trojæ subversionem, firmiùs sancire vellet. — *Quietis Deorum ordinibus :* ex Epicuri doctrinâ : ad illud redit Fontanius noster, Fab. VII, 12 : *Le repos, le repos, trésor si précieux, Qu'on en faisait jadis le partage des Dieux !*

10. *Dùm longus inter sæviat Ilion, Romamque pontus :* tota vis sententiæ est in hâc voce, *sæviat.* Sensus est : Romulum inter Deos collocari patiar, eâ lege, ut mare, quod Ilion et Romam interluit, procellosum fiat, sæviat, quotiès naves Româ profectæ, Phrygiam petituræ sint ad reædificandos Trojæ muros; imò et à fortiori, si Imperium et Jovem et legiones Romanas, hùc translaturæ sint. — *Exsules :* à patriâ primitivâ in perpetuum separati. De Romanis intellige, quorum nomen subauditum in collectivo *Romæ* nomine comprehenditur. — *Regnanto :* Juno, ut suprema fati Trojani arbitra, et quasi è tribunali pronuntiat; itaque imperativum illud, *regnanto* adhibet, quòd in solis judiciis usitatum erat. Sic jurisconsultum Trebatium introduxit, Sat. II, 1, 8 : *Tèr uncti Transnanto Tiberim.*

11. *Paridisque busto :* bustum

« Insultet armentum, et catulos feræ
« Celent inultæ; stet Capitolium
« Fulgens, triumphatisque possit
« Roma ferox dare jura Medis.
« Horrenda [12] latè nomen in ultimas
« Extendat oras; quâ medius liquor
« Secernit Europen ab Afro,
« Quâ tumidus rigat arva Nilus;
« Aurum irrepertum, et sic meliùs situm
« Cùm terra celat, spernere fortior [13],
« Quàm cogere humanos in usus,
« Omne sacrum rapiente dextrâ.

propriè dicebatur de loco in quo cadaver *combustum* fuerat. — *Insultet armentum :* vastitatem loci cujuslibet nihil magìs demonstrat, quàm si ibì impunè pascere armenta queant, et si *feræ inultæ*, id est, illæsæ et securæ, possint prolem suam parere. Loca enìm secretissima ab hominum oculis et contactu illæ quærunt, ut indè nullum sit catulis quos pariunt periculum. —*Stet Capitolium Fulgens :* verbum *stare* soliditatem et perennitatem indicat. — *Dare jura Medis :* Parthos, ut ferè sempèr, intelligit, ab Augusto coactos vexilla Crasso erepta reddere.

12. *Horrenda :* non solùm armis metuenda, sed admirationem terrore commixtam victis gentibus incutiens. Ut cùm Virg. Æneid. VI, 10, *horrendam* Sibyllam vocat. — *Quâ medius liquor :* de insulis interpretare, quas mare Mediterraneum comprehendit. — *Tumidus Nilus :* exundans ad agrorum irrigationem et fœcunditatem.

13. *Spernere fortior :* majorem fortitudinem in spernendo auro explicans, quàm in debellandis hostibus. — *Aurum irrepertum :* diù non repertum, et in terræ visceribus meliùs situm. — *Cogere* : verbum exquisitissimum. Vim naturæ inferre videtur qui, metallum tàm altè reconditum effodit, ad inserviendum hominibus quibus non destinatum fuerat.— *Omne sacrum rapiente dextrâ :* cùm enìm auri cupiditas animos humanos invasit, nulla res fuit tàm sacra quæ avaritiæ manus effugeret, teste eo (nàm Juno sempèr loquitur), cujus *dextra rapuit sacram* mercedem diis debitam, seu pondus auri, non minùs *sacrum*, in eorum ædibus depositum. Vid. sup. notam 6.

« Quicumque mundo terminus obstitit [14],
« Hunc tangat armis, visere gestiens
« Quâ parte debacchentur ignes;
« Quâ nebulæ pluviique rores.
« Sed bellicosis fata Quiritibus
« Hâc lege dico, nè nimiùm pii,
« Rebusque fidentes, avitæ
« Tecta velint reparare Trojæ.
« Trojæ renascens alite lugubri [15]
« Fortuna, tristi clade iterabitur,
« Ducente victrices catervas
« Conjuge me Jovis, et sorore.
« Tèr si resurgat [16] murus aëneus,
« Auctore Phœbo; tèr pereat meis
« Excisus Argivis; tèr, uxor
« Capta, virum puerosque ploret. »
Non hæc jocosæ conveniunt lyræ [17];

14. *Quicumque mundo terminus obstitit :* malè, aliàs, legitur *mundi.* Quicumque finis terrarum orbem terminet. — *Hunc tangat armis :* felici litotes usu; Romæ, *armis tangere*, sivè debellare, unum et idem valet. — *Quâ parte debacchentur ignes :* tres zonas hactenùs hominibus ferè inaccessas notat; zonam torridam scilicèt, et duas zonas glaciales. — *Pluviique rores : ros* à græco, ῥεῶ, *fluo;* undè adjectivo conjunctus, significationem suam variat. Per *pluvios rores* intelligit Noster, pluvias perpetuas quibus uterque polus obsideri credebatur.

15. *Alite lugubri :* malo omine : ut suprà Od. I, 15, 5, *Malâ ducis avi domum.* — *Conjuge me Jovis et sorore :* vid. notissimum illud Virgilii, Æn. I, 47 : *Ast ego, quæ divûm incedo regina, Jovisque Et soror et conjux.*

16. *Tèr si resurgat :* admiranda ἐνέργεια, in illâ triplici repetitione istius adverbii, *tèr*, quo perseverantia Junonis in continuando Trojæ excidio declaratur. — *Murus aëneus :* non, ut quondàm, lapidibus et coctilibus lateribus constans, sed ære, materiâ omnium solidissimâ, eductus.

17. *Non hæc jocosæ conveniunt lyræ :* subitâ ad musam suam conversione, impetum re-

Quò Musa tendis? desine pervicax
Referre sermones Deorum, et
Magna modis tenuare parvis.

primit vates, eamque increpare videtur, quòd se ad rem gravioris momenti, licèt omninò imparem, abripi passa fuerit.

ODE QUARTA

AD CALLIOPEM.

Musis se omnia ab ætate tenerrimâ debere profitetur Horatius, quæ illum puerum sub suâ tutelâ positum esse insigni prodigio primùm testificatæ sint; mòx adultum variis periculis bello domique eripuerint; tandèm Augusti animum in se placabilem effecerint; undè magnificum principis præconium, qui partium victor, Rempublicam imperio suo subjectam æquis legibus composuerat. Sed ne fortè partibus, quas ipse secutus erat, livorem nimìs apertè offundere argueretur, rem allegoricè tractat, et sub personâ Jovis Augustum, Cassianos milites sub personâ Gigantum à Jove debellatorum introducit, eosque è clade suâ nunquàm surrecturos esse innuit. Carmen est egregium, magnâ imaginum varietate distinctum, dignum denìque quod inter præstantissima vatis nostri opera annumeretur.

Descende cœlo, et dic, age, tibiâ
Regina longum Calliope [1] melos;
Seu voce nùnc mavis acutâ,
Seu fidibus, citharâve Phœbi.

1. *Calliope:* familiare est Horatio gravem ac sublimem materiem tractaturo Musam aliquam evocare; sic Clio appellat, Od. I, 12, 2, et Melpomenen, eod. lib. od. 24. A Calliopes invocatione initium quoque sumit, felicissimus Horatii æmulator, J. Bapt. Russæus, in Ode de ducis Britanniæ natalibus. — *Regina:* musarum princeps, ut docet Hesiodus, Theogon. 79. Καλλιοπη θ' ἡ γὰρ προφερεστάτη ἐστὶν ἁπάσων. — *Dic, age, tibiâ:* sivè *voci acutæ*, id est, sonoræ, tibiam jungere velis; sivè mâlis, absente instrumentorum comitatu, sola canere; sivè tibiam, ut gravissimis cantibus imparem dedignata, vocem tuam ipsis Phœbi fidibus, ipsâ citharâ adjuvare exoptes. Iisdem ferè verbis deos et heroas celebrare incipit, supr. Od. I, 12, 1 et 2.

Auditis [2]? an me ludit amabilis
Insania? audire et videor pios
Errare per lucos, amœnæ
Quos et aquæ subeunt et auræ.
Me fabulosæ [3], Vulture in Appulo,
Altricis extrà limen Apuliæ,
Ludo fatigatumque somno
Fronde novâ puerum palumbes

2. *Auditis?* sodales interpellat quasi jàm Calliopen votis suis docilem, canentemque exaudire possent. — *An me ludit amabilis Insania?* dubitat tamen, et jucundo se in errore versari præsumit. — *Audire videor:* dubium protinùs abjicit. *Audire videtur*, h. e. reverà audit divinæ vocis et lyræ modulos. — *Et pios Errare per lucos:* se in nemora musis sacra abripi intelligit. — *Amœnæ Quos et aquæ subeunt et auræ:* mirè consonat vox illa unica, *subeunt* cum duabus vocibus, *aquæ* et *auræ*. Nihil enim ad *jucunditatem* nemorum magìs pertinet, quàm rivulorum et zephyrorum felix consortium, qui in umbrosum fornicem subtùs penetrant, dùm alii substrata arboribus gramina leni cum murmure irrigant, alii verò, molli afflatu ramis et frondibus frigus suavissimum inspirant.

3. *Me fabulosæ:* sìc connecte cùm præcedentibus; vates, Calliopes canentis præsentià instinctus, beneficia à Musis accepta mente recolit, et transit ad narrationem prodigii, quod primum illarum in se benevolentiæ testimonium fuit. — *Fabulosæ palumbes:* piget referre fuisse nonnullos interpretes qui vocem hanc, *fabulosæ*, cum voce *Apuliæ* conjungendam censerent. *Fabulosas* dicit *palumbes* sivè columbas de quibus hìc agitur, quià scilicet ex eo tempore multus de iis sermo fuit, quod liquet ex sequentibus: *mirum quod foret omnibus Quicumque*, etc. Porrò, quis ignorat rem quamlibet quæ prodigii loco habita est, vicos et oppidula incolentibus per longum tempus in ore versari? — *Apuliæ:* duplex Apulia est, utraque in Italiâ; altera dicitur Apulia Daunia, quæ nunc ab indigenis appellatur *Puglia Piana*, sivè *Capitanata*, ubì Sipontum, etc. Altera vocatur Apulia Peucetia, ubi Barium, etc. *Terra di Bari.* Venusium, Horatii patria, erat in Apuliâ Dauniâ quam ideò suam *altricem* nominat: *Vultur* mons, versùs Apuliam Peucetiam protendebatur. Juvenc. — *Ludo fatigatumque somno:* ludis puerilibus quibus indulseram ità fatigatum, ut, quamvis reluctans, somno victus gravatusque jacuerim. *Tùm me confectum curis, somnoque gravatum,*

Texêre; mirum quod foret omnibus [4],
Quicumque celsæ nidum Acherontiæ,
Saltusque Bantinos, et arvum
Pingue tenent humilis Ferenti,
Ut tuto ab atris corpore viperis,
Dormirem, et ursis; ut premerer sacrâ
Lauroque, collatâque myrto,
Non sine Dîs animosus infans.
Vester [5], Camœnæ, vester in arduos

Virg. Æneid. VI, 520; et expressiùs ex Homero, Iliad. κ, 98: Καματῳ ἀδδηκότες ἠδὲ καὶ ὕπνῳ.

4. *Mirum quod foret omnibus :* undè mirati sunt omnes Apuliæ incolæ. Conjunge cum initio strophes sequentis; undè, inquam, mirati sunt quî fieri posset, ut, etc. — *Celsæ nidum Acherontiæ :* erat urbs exigua, in Apuliæ limite, sita in edito loco, nunc *Cirenza* dicitur. Aves in altioribus locis nidos ponere solent. Bantia, Ferentum, oppida itidem Apuliæ. — *Ut premerer :* significat quàm abundanti novarum frondium copiâ à palumbibus coopertus fuerit. — *Sacrâ lauro :* Apollini dicatâ, quæ Horatium poetam præsagiebat. — *Collatâque myrto :* latâ, congestâ simùl cum lauris; myrtus autem Veneri consecrata significabat eum res amatorias cantaturum. — *Non sinè Dîs animosus infans :* locus non caret difficultate. Quem enim *animum,* quam fortitudinem præstitit puer, qui *ludo fatigatus* oculos somno invitus clausit? Sic ferè interpretandum arbitror. Quantacumque sit puero virium defatigatio, superat tamèn ex ferarum vicinio, ex ipsâ etiàm montium semotorum solitudine incussus major metus, qui ipsi ad fugiendum robur suppeditaret. Quem timorem qui vincere potuit, maluitque tranquillum somnum carpere, quàm retrocedere, is non ex imbecilli naturâ, sed ex potentissimâ deorum tutelâ animos sumpsit. Fuit igitùr id concessum à Musis Horatio adhùc infanti, ut affectum illum quo ætas tenella puerorum præcipuè turbatur, timorem scilicèt, perdomaret, et, duplicis periculi securus, inter viperas et ursos dormitaret. Condonemus autem poetæ nostro ut rem in quâ nihil inest portentosi, peculiari deorum patrocinio imputet. *Professione pietatis laudatus erit aut excusatus,* ut ait Tacitus, vitam soceri sui Agricolæ scripturus.

5. *Vester :* filum Ariadnes è manibus legentis non excidat : ex eo tempore, ô Musæ, quo me infantem servavistis, totus vobis addictus sum; *vestram* in me auctoritatem agnosco; *vestrum* me clientem profiteor. — *In ar-*

Tollor Sabinos; seu mihi frigidum
Præneste, seu Tibur supinum,
Seu liquidæ placuêre Baïæ.
Vestris amicum fontibus et choris [6],
Non me Philippis versa acies retrò,
Devota non exstinxit arbor,
Nec Siculâ Palinurus undâ.
Utcumque mecum vos eritis, libens
Insanientem navita Bosporum
Tentabo, et urentes arenas [7]
Littoris Assyrii viator.
Visam Britannos hospitibus feros [8],

duos tollor Sabinos : per imaginem illustrat vulgarem hanc sententiam : seu villulam meam in editiore agri Sabini loco positam petere juvet. — *Frigidum Præneste :* Latii oppidum (hodiè Palestrina), quod à Virgilio *altum* appellatur; Æneid. VII, 682. Hùc, durante æstatis calore, secedere solebant Romani, ad frigus captandum. — *Tibur supinum :* in medio collis ascensu constitutum. — *Liquidæ Baïæ :* Baïæ, urbs in Campaniâ, aeris temperie, aquarumque salubritate celebrata. Undè Noster, Epist. I, 1, 83 : *Nullus in orbe locus Baïis prælucet amœnis.*

6. *Vestris amicum fontibus et choris :* choreas à Musis ad fontes sacros exerceri canit Hesiodus in initio Theogon.—*Non me Philippis versa acies retrò :* non sibi contradicit vates qui se à Mercurio servatum asserit, supr. Od. II, 7, 13. Mercurius, frater Apollinis, et lyræ parens, consulere debuit incolumitati vatis in tutelâ Musarum à pueritiâ positi. — *Devota arbos :* exsecrabilis, Diris devoveuda; vid. supr. Od. II, 13 et 17. — *Nec Siculâ Palinurus undâ :* promontorium Lucaniæ; sìc dictum à Palinuro, navis Æneæ gubernatore (Æneid. VI, 381), multis naufragiis infame, ubì Horatius summum vitæ periculum incurrit, cùm ex bello Philippensi in Italiam rediret.

7. *Urentes arenas :* in multis codicib. legitur *arentes.* — *Littoris Assyrii :* nonnulli putant designari hìc Syrias, Palmyrenas solitudines. Assyria pro Syriâ multotiès usurpatur.

8. *Britannos hospitibus feros :* quàm benè multis abhìnc seculis, et nostris præsertìm temporibus veterem illam famam ulta est Britannia, tellus verè hospita, ubì tutum miseris omnibus perfugium, in quâ solâ nobilissimis et regiis quidèm exsulibus, omni calamitatum turbine jactatis, conquiescere licuit! —

Et lætum equino sanguine Concanum;
Visam pharetratos Gelonos,
Et Scythicum inviolatus amnem.
Vos Cæsarem altum [9], militiâ simùl
Fessas cohortes abdidit oppidis,
Finire quærentem labores,
Pierio recreatis antro.
Vos lene consilium et datis [10], et dato
Gaudetis, almæ. Scimus, ùt impios

Et lætum equino sanguine Concanum : Concani, Hispaniæ Tarraconensis populus, qui cum Thracibus id commune habebat, ut sanguinem ex equorum cruribus subtractum potaret. *Et lac concretum cum sanguine potat equino*, Virg. Ge. III, 464.—*Pharetratos Gelonos :* eosdem vocat *Sagittiferos ;* Virg. Æn. VIII, 725. De *Gelonis* vid supr. Od. II, 20. — *Scythicum amnem :* Tanaïm (hodiè, *le Don*).

9. *Vos Cæsarem altum :* magnum, potentem. *Quippè dolor pectus tetigisset Cæsaris alti;* Ovid., de Ponto, II, 3, 63. Delicatissimi ingenii vates, inter præcipua quæ Musæ in se contulerunt beneficia, numerat, quòd illæ Augustum identidèm à bellicis laboribus recreare dignentur, quasi ipse frueretur muneribus quæ benefactori suo largiuntur. Porrò, *eloquentiam studiaque liberalia Augustum cupidè et laboriosissimè exercuisse, poeticam quoque summatim attigisse* tradit Suetonius, in Octav. 84, 85. Itaque, laus eò delicatior, quòd veritate innititur. — *Abdidit : abdere*, quietis otiique adjunctam notionem habet. *Latet abditus agro*, gladiator rude donatus. Infr. Epist. I, 1, 5.

10. *Vos lene consilium et datis :* vos Augusto mansuetos illos sensus indidistis, quibus victor victis pepercit. Respicit ad se ipsum Horatius. Nota, ad mensuram versûs, vocem hanc, *consilium*, trisyllabam esse, et legi debere, quasi scripta esset, *consiljum.* — *Et dato gaudetis :* nunquàm enim in vanum cedunt vestra consilia. Undè vobis, ô Musæ, naturâ *almæ* et benignæ, magnum gaudium exoritur. Musarum autèm commercio humanos mores molliri et mansuescere quis ignorat? — *Scimus ut impios Titanas :* sub Gigantum adversùs Jovem rebellium imagine, ut in argumento dictum est, adumbrat historiam Bruti Cassiique, qui adversùs Augustum armati, imperatoriam Cæsaris hæreditatem frustrâ illi eripere tentaverant. Horum partes, primùm armorum vi ad Philippos devictas, prudentiâ deindè, clementiâ, et legum auctoritate Augustus deniquè profligavit, et felici roboris prudentiæque tem-

Titanas, immanemque turmam
Fulmine sustulerit caduco,
Qui terram inertem, qui mare temperat
Ventosum, et urbes, regnaque tristia;
Divosque, mortalesque turbas
Imperio regit unus æquo.
Magnum illa terrorem intulerat Jovi [11]
Fidens Juventus horrida brachiis,
Fratresque tendentes opaco
Pelion imposuisse Olympo.
Sed quid Typhœus [12], et validus Mimas,
Aut quid minaci Porphyrion statu,
Quid Rhœcus, evulsisque truncis
Enceladus jaculator audax,
Contra sonantem Palladis ægida
Possent ruentes? Hinc avidus stetit
Vulcanus; hinc matrona Juno, et
Numquàm humeris positurus arcum [13],

peramento illud obtinnit, ut, Jovis instàr, *mortales turbas unus imperio æquo regeret.* — *Immanem turbam :* immanium virium robore stolidè ferocientem. — *Terram inertem :* opponitur terræ facies, sempèr plana et immobilis, *mari ventoso.*

11. *Magnum illa terrorem intulerat Jovi :* supr. Od. II, 12, 7 : *Undè periculum Fulgens contremuit domus Saturni.—Fidens brachiis :* centum brachia Gigantibus tribuebantur. — *Fratresque :* fratres dicuntur Gigantes, quià omnes è Terrâ geniti. — *Tendentes opaco Pelion imposuisse Olympo. Ter sunt conati imponere Pelio Ossam Scilicèt, atque Ossæ frondosum involvere Olympum,* Virg. Ge. I, 281.

12. *Sed quid Typhœus :* Typhœo, Mimæ, Porphyrioni, Rhœco, Encelado, Gigantum ferocissimis, primùm opponit unam Palladis ægida; una Pallas bellatrix simul et sapiens, metuendos hostes debellavisset; imò solo ægidis suæ *sonantis* strepitu fugasset. Sic nunquàm à proposito aberrat Horatius. Cæteri Dii quasi Palladis tantummodò auxiliatores apparent. — *Hinc :* ex parte Palladis. — *Avidus Vulcanus :* commune Vulcani epitheton. — *Matrona Juno :* vox quâ summa Junonis dignitas exprimitur : *Si torus in pretio est, dicor matrona Tonantis;* Ovid. Fast. VI, 33.

13. *Nunquàm humeris positurus arcum :* in cujus attribu-

Qui rore puro Castaliæ lavit
Crines solutos, qui Lyciæ tenet
Dumeta, natalemque sylvam,
Delius et Patareus Apollo.
Vis consilî expers mole ruit suâ [14] :
Vim temperatam Dî quoque provehunt
In majus : îdem odêre vires
Omne nefas animo moventes.
Testis mearum centimanus Gyas
Sententiarum [15] notus, et integræ
Tentator Orion Dianæ,
Virgineâ domitus sagittâ.
Injecta monstris Terra [16] dolet suis,
Mœretque partus fulmine luridum

tis est arcum perpetuò gestare. — *Castaliæ :* Castalia, fons in Parnassi jugo, Apollini sacer.— *Lavit Crines solutos :* longos, undè sæpè *intonsus* dicitur, in humeris ludentes. — *Patareus :* Patara est urbs Lyciæ, et propè Pataram sacrum nemus in quo magnificum in honorem Apollinis templum.

14. *Vis consilî expers mole ruit suâ :* generalem hanc sententiam refer ad exemplum modò citatum de Gigantibus, qui vires immensas, sed consilio destitutas Jovi opposuerant. —*Vim temperatam :* prudentiâ benè mixtam ac compositam. — *Idem odêre vires Omne nefas animo moventes :* sed Dii detestantur homines violentos, qui robore suo abutuntur ut omnia exsequantur scelera.

15. *Testis mearum sententiarum :* temeritatis-ne arguerer, asserendo meliùs fortassè conclusisse Horatium, si in præcedenti strophe substitisset? Quid enim jàm citatis Typhœi et aliorum Gigantum exemplis, nova illa Gygis, Orionis, Tityi et Pirithoï exempla addere possunt? Nisì quis dixerit, voluisse imprimìs poetam, atrocitatem pœnæ multò minùs quàm perennitatem indicare, ità ut Augusto solertiùs blandiatur, innuendo nihil ulteriùs aut sibi ipsi, aut suis posteris ex adversariorum furoribus pertimescendum. In adimendâ enim damnatis et afflictis omni liberationis spe præcipuè jàm immoraturus est. — *Centimanus Gyges :* unus è Gigantibus. — *Orion :* notus venator, qui, cùm Dianæ pudicitiam tentare ausus esset, ab eâ sagittis confossus est. Vid. de Orione, suprà, Od. II, 13, 39.

16. *Injecta Terra :* Terra, ut mater Gigantum, dolet quòd, cùm in suis visceribus conse-

Missos ad Orcum; nec peredit
Impositam celer ignis Ætnam;
Incontinentis nec Tityi jecur [17]
Relinquit ales, nequitiæ additus
Custos; amatorem trecentæ
Pirithoüm cohibent catenæ.

pulti jaceant, ipsa eorum supplicio inservire cogatur. — *Nec peredit Impositam celer ignis Ætnam :* nec rapidus ignis, quem vel Typhœus, vel Enceladus, ex Ætneis cavernis evomere credebatur, consumet unquàm montem quo opprimitur; id est nunquàm è locis, ad quæ detrusus scelerum suorum pœnas luit, sese expediet.

17. *Incontinentis nec Tityi jecur :* de Tityo, vid. supr. Od. II, 14, 8.—*Ales nequitiæ additus custos :* vultur, cui id datum est negotii, ut tanquàm perpetuus custos Tityo adsit et invigilet, et immortale ejus jecur tundat. — *Amatorem Pirithoüm :* Ixionis filium, quem unà cum Theseo ad inferos descendisse narrant, rapiendæ Proserpinæ causâ, et à Plutone validissimis catenis alligatum fuisse.

ODE QUINTA

Nullâ re magis unquàm Augustus gloriatus est, quàm quòd Phraatem, captivos et signa militaria Crassi et Antonii cladibus amissa sibi restituere coëgisset. Hunc eventum egregii hujusce carminis materiem sumit Horatius; et, ut laudes Augusti amplificet, nihil omittit quo inustam turpi militum Romanorum ignaviâ majestati publicæ labem augeat; Regulum igitùr introducit, coràm Senatu perorantem, ne redimerentur captivi, qui arma Pœnis sine prælio tradiderant. Indignis igitùr militibus non consulere Augustus, sed dignitatis Romanæ ultor, Parthorum superbiam infringere, et ultima infamiæ militaris vestigia delere voluit. Magnitudinem injuriæ Romano nomini inflictæ ex oratione Reguli vates depromit; laudem Augusti ex eo, quòd solo armorum suorum terrore, reparata et abolita fuisset.

Cœlo tonantem credidimus Jovem
Regnare [1]; præsens divus habebitur
Augustus, adjectis Britannis [2]
Imperio, gravibusque Persis.

1. *Cœlo regnare :* hæc duo verba simùl conjungenda; Jupiter regnat in cœlo; Augustus in terris. Sìc notissimo Virgilii epigrammate: *Divisum imperium cum Jove Cæsar habet.* Impii autèm fulminis ictus reformidant, et timore saltèm, sìn minùs ratione, de existentiâ Dei admonentur. *Mortale genus per fulmina tantùm Sciret adhùc cœlo solum regnare Tonantem*, Lucan. Phars. III, 519.

2. *Adjectis Britannis :* Britanni ab Agricolâ tantùm, regnante Domitiano, imperio reverà adjuncti suut; eos tamèn Drusus, Augusti privignus, in nonnullis prælìis devicerat; rem auget adulator Horatius.—*Gravibusque Persis :* Parthis. hostibus metuendis, præsertìm ex quo

Milesne Crassi [3] conjuge barbarâ
Turpis maritus vixit? et hostium,
Proh Curia, inversique mores!
Consenuit socerorum in armis
Sub rege Medo, Marsus et Appulus [4],
Anciliorum, et Nominis, et Togæ
Oblitus, æternæque Vestæ,
Incolumi Jove et urbe Româ!
Hoc caverat mens provida Reguli,
Dissentientis conditionibus

Crassum gravissimâ clade afflixerant.

3. *Milesne Crassi :* commotum atque incensum poetæ animum decet commotior atque per interrogationes præcipitata oratio. — *Vixit :* inest aliqua vis in eâ voce, *vixit*, quasi miles Romanus indigno et vetito conjugio vitam turpitèr redemerit. — *Proh Curia!* violatam legum majestatem, quarum senatus custos erat, testatur. — *Inversique mores!* Romanis id à pueritiâ insitum erat, ut exteras gentes summo haberent contemptui; non solùm igitùr leges, sed mores publicos offendebat, quisquis Romanus barbaris serviebat, in quos jus habebant dominii. — *Consenuit;* auget facti invidiam ipsa diuturnitas. — *Hostium socerorum:* soceri, jure Romano, patrum loco habebantur, et eamdem in generos quam hi in filios auctoritatem exercebant. — *In armis:* alitèr in *arvis;* priorem textum, ut magis invidiosum, retinuimus.

4. *Marsus et Appulus :* pro, fortissimi Romani exercitûs milites. *Genus acre virûm, Marsos*, Virg. Georg. II, 167. Vid. supr. Od. II, 20, 18. — *Anciliorum :* ancilia, scuta erant brevia, numero duodecim, in æde Martis servata, ex quibus unum de cœlo lapsum credebatur. Datum est autèm pro oraculo ibi imperium fore, ubi fuisset ancile. — *Togæ :* toga, proprium civibus Romanis gestamen erat. *Romanos rerum dominos, gentemque togatam;* Virg. Æneid. I, 282. — *Æternæ Vestæ :* æterni ignis, qui in templo Vestæ à virginibus sacris alitus et custoditus, nunquàm exstingui debebat, perpetuitatis imperii symbolum. — *Incolumi Jove :* stante Capitolio, ubi colebatur Jupiter, rei Romanæ in æternum servandæ patronus.

5. *Hoc :* scilicet *hoc*, ne unquàm spe redemptionis, turpem deditionem Romanus miles honestæ morti anteponeret. — *Dissentientis :* cùm assentire noluit. — *Conditionibus fœdis : fœdis*, non per se, sed quià dabant *exemplum*, ex quo *trahi*

Fœdis, et exemplo trahenti
Perniciem veniens in ævum,
Si non periret immiserabilis
Captiva pubes. « Signa ego Punicis
« Affixa delubris [6], et arma
« Militibus sine cæde, dixit,
« Directa vidi; vidi ego civium
« Retorta tergo brachia libero,
« Portasque non clausas, et arva
« Marte coli populata nostro.
« Auro repensus scilicet acrior
« Miles redibit! Flagitio additis [7]
« Damnum. Neque amissos colores
« Lana refert medicata fuco;

posset in posternm virtutis bellicæ et dignitatis Romanæ *pernicies.* — *Si non periret immiserabilis :* si Senatus, miserationis alicnjus, quâ omniùò indigni erant, affectui cedens, captivos redimi sineret.·

6. *Signa ego Punicis Affixa delubris :* miro poetæ artificio obliqua oratio ad directam subitò convertitur. Omnia autèm in sermone Reguli ad excitandam indignationem aptissima. Quid Romanæ superbiæ contumeliosum magìs, quàm quòd signa Romana templis Africanis suspensa, ignaviæ militum qni ea tradiderant insultare videbantur? — *Sine cæde :* fas fuit arma occisis diripere ; sed viventibus, sed ea et seseipsos ultrò dedentibus ! — *Vidi ego civium Retorta tergo brachia libero :* cum vi repetit *vidi, vidi ego,* quasì tàm infandum, tàm inauditum spectaculum vix fidem reperire qneat. Attende ad oppositionem verborum : *cives* appellat qni libertatem, primarium civitatis Romanæ jus amiserunt; insistit in eo, dùm brachia ostentat *civium* illorum, *retorta,* quo verbo dolor et violentia exprimitur, funibus alligata ad *tergum liberum,* id est, quod nunquàm tali opprobrio, infamis servitutis indicio, exponi debuisset. — *Portasque non clausas :* securitatis signum, quam sine militum nostrorum ignaviâ, Carthagiuienses nunquàm experti fuissent. — *Arva coli :* Punicam securitatem magìs ac magìs signat. Portæ apertæ, si subitum periculum ingruat, subitò clanduntur; arva non coluntur, nisì cum longâ spe tranquillitatis et futuræ segetis recolligendæ.

7. *Flagitio additis damnum :* turpitudinem publicam publico damno, auri scilicèt ex ærario deprompti jacturâ cumulatis.—*Ne-*

« Nec vera virtus, cùm semèl excidit,
« Curat reponi deterioribus.
« Si pugnat extricata densis
« Cerva plagis [8], erit ille fortis
« Qui perfidis se credidit hostibus;
« Et Marte Pœnos proteret altero [9]
« Qui lora restrictis lacertis
« Sensit iners, timuitque mortem
« Hinc, undè vitam sumeret aptiùs [10];
« Pacem duello miscuit! O pudor [11]!

que amissos colores Lana refert : ut lana semèl alienis coloribus tincta, nunquàm primitivum colorem recipit, sic, etc. — *Nec Curat reponi deterioribus :* dedignatur in degeneres animos rursùs penetrare. *L'honneur est comme une île escarpée et sans bords, On n'y peut plus rentrer dès qu'on en est dehors.* Bol.

8. *Si pugnat extricata densis Cerva plagis :* cerva, animal snâpte naturâ timidum, si semèl à retibus sese expedivit, periculo ipso à quo evasit timiditatem nativam augeri sentit, et rapidiore fugâ, novis periculis sese subtrahit, nedùm illa lacessere, pugnando adversùs venatorem, audeat.

9. *Marte altero :* altero prælio. — *Qui lora restrictis lacertis :* vix excusandus vates, qui eamdem imaginem suprà multò vividiùs depictam, nunc iisdem ferè verbis repetere et attenuare videtur.

10. *Timuitque mortem Hinc, undè vitam sumeret aptiùs :* hanc lectionem à Stephano primùm typis mandatam, decem codicibus, si Sanadoni et Bentleio credas, confirmatam, cum sensu meliùs congruam, servari in hâc nostrâ editione placuit. Sensus est : miscuit miles Romanus pacem bello, è quo tamèn meliùs vitam sumere potuisset; nàm sæpè pugnando fortitèr salvi evadunt, qui, turpitèr arma deponentes, vitam quidèm retinent, sed vitam servitute deformatam, cui qualecumque mortis genus anteponendum est. — *Pacem duello miscuit : bellum* pro *duello* facili contractione dixerunt veteres. Undè Cicero in Oratore : *Antiqui nomina contrahebant, quò aptiora essent, ut Duellum, Bellum.* Bella enìm totidèm duella sunt, cùm intèr duos populos, intèr duos oppositos exercitus gerantur.

11. *O pudor! ó magna Carthago!* exquisitum perorationis exemplum! honoris affectum excitat orator, per hanc exclamationem, *ó pudor!* odium renovat contrà Carthaginem, seriùs ociùs à Româ delendam, dùm illam effingit, Italiâ, id est,

« O magna Carthago, probrosis
« Altior Italiæ ruinis! »
Fertur pudicæ conjugis osculum [12],
Parvosque natos, ut capitis minor,
Ab se removisse, et virilem
Torvus humi posuisse vultum;
Donèc labantes consilio Patres
Firmaret [13] auctor numquàm aliàs dato,
Interque mœrentes amicos
Egregius properaret exsul.

Româ potentiorem, et superbæ æmulæ ruinis sese extollentem. In illo vividissimæ eloquentiæ poeseosque consortio, tironibus diù immorandum.

12. *Fertur pudicæ conjugis osculum :* quàm egregiè, severitate vocis illius, *pudicæ*, antevenit voluptuariam illam *osculi* imaginem! redeunt in memoriam versus poetæ satyrici, qui non minùs laudis et artis in celebrandâ virtute, quàm in carpendo vitio abstulit et attulit. *Sous ce modeste habit déguisant sa naissance, Penthièvre quelquefois visite l'indigence, Et de trésors pieux dépouillant son palais, Porte à la veuve en pleurs de pudiques bienfaits!* Gilbert, Satyr. in seculum decimum octavum. — *Ut capitis minor :* ut capite diminutus, id est, ut servus factus per captivitatem. Est autèm *capitis diminutio*, prioris statûs immutatio. *Caput* enim hìc *statum* significat. Fieri autèm eam tribus modis volunt. Nàm aut libertas simùl et civitas amittitur, quæ maxima capitis diminutio est : aut civitas tantùm, retentâ libertate, quam mediam appellant : aut verò retentâ libertate et civitate, familia tantùm mutatur, ut putà per adoptionem; quæ et minima dicitur. Porrò, qui bello capti in hostium erant potestate, quamquàm proptèr jus postliminii, non tàm perdidisse libertatem civitatemque, quàm in suspenso esse videbantur; tantispèr tamèn dùm abcrant, nec cives, nec liberi habebantur : hoc igitùr est, quòd nec conjugem, nec liberos agnoscebat Regulus. — *Et virilem Torvus humi posuisse vultum :* admiranda hypotyposis, et quam non vinceret pictorum præstantissimorum industria!

13. *Consilio Firmaret :* junge hæc duo verba. — *Auctor :* suasor, monitor. — *Egregius exsul :* verè egregius, qui, non ut alii exsules, judicum sententiâ aut metu saltèm judicii, patriam reliquerit; sed et ipse suo se suffragio, ob patriæ charitatem fideìque constantiam, exsilio minùs quàm certâ morte mulctaverit.

Atqui sciebat [14] quæ sibi barbarus
Tortor pararet; non alitèr tamèn
Dimovit obstantes propinquos,
Et populum reditus morantem,
Quàm si clientum longa negotia
Dijudicatâ lite relinqueret,
Tendens Venafranos in agros,
Aut Lacedæmonium Tarentum.

14. *Atqui sciebat : Nec verò ignorabat se ad crudelissimum hostem et ad exquisita supplicia proficisci,* Cic. Offic. III, 27. Vide in lib. VI° Silii Italici poeticè enarratam Reguli magnanimitatem. — *Non alitèr :* eâdem vultûs serenitate. — *Dijudicatâ lite :* sententiâ pronuntiatâ. — *Tendens :* profecturus in prædium suum aut Venafranum aut Tarentinum; utraque regio est Italiæ amœnissima. — *Lacedæmonium :* à Phalanto Lacedæmonio conditum ; vid. supr. Od. II, 6, 11.

ODE SEXTA

AD ROMANOS.

Corruptos ætatis suæ mores insectatur, antiquos laudat Horatius. Augusti quidèm in toto hoc carmine nulla facta est mentio; sed cùm illud eo ipso tempore scriptum esse videatur, quo Augustus ad deorum cultum, qui tùm frigebat, in civium animis refovendum, ædes sacras, *ut scribit Sueton., Aug. c.* 30. vetustate collapsas, aut incendio absumptas refecit, *et ad compescendam liberæ Veneris licentiam legem* Juliam, de adulteriis, *et legem* Pappiam Poppæam, *de* maritandis ordinibus *dedit; Horatius, ut in aliis carminibus Augusti virtutem* bellicam, *ità in hoc virtutem ejus* civilem, *celebrare voluisse haùd improbabile est.*

Delicta majorum immeritus lues [1],
Romane, donèc templa refeceris,
Ædesque labantes deorum, et
Fœda nigro simulacra fumo.
Dîs te minorem quòd geris, imperas [2]:

1. *Delicta majorum immeritus lues : immeritus :* innocens eo sensu quòd patrum tuorum scelera tua non sunt; sed tamèn meritò plectendus, qui res sacras et templa deorum restituere negligis. In tristissimis tantùm bellorum civilium fructibus est aras cultumque divinum violari, quòd Noster jàm notavit suprà Od. I, 35, 37 : *Undè manus juventus Metu deorum continuit, quibus Pepercit aris? — Fœda fumo :* contracto sivè à vetustate, sivè potiùs ab incendiis quibus templa deflagraverant.

2. *Dîs te minorem quòd geris, imperas :* ideò tantùm potens es, quià superiorem deorum potestatem agnoscis et revereris. Sic Livius, apud quem diligentissi-

Hinc omne principium, hùc refer exitum.
Dî mihi multa neglecti dederunt
Hesperiæ mala luctuosæ.
Jàm bis Monæses [3] et Pacori manus
Non auspicatos contudit impetus
Nostros, et adjecisse prædam
Torquibus exiguis renidet.
Pænè occupatam seditionibus
Delevit urbem Dacus et Æthiops [4],

mus religionum cultor Camillus, oratione quâ populum Romanum Veios migrare prohibuit. *Intuemini*, inquit, *horum deinceps annorum vel secundas res, vel adversas; invenietis omnia prosperè evenisse sequentibus deos, adversa spernentibus.* — *Hinc omne principium, hùc refer exitum :* quidquid incipias, quicumque sit rei inceptæ eventus, deos sempèr respice, seu favorem illorum ab initio precaturus, seu gratias acturus ob felicem exitum, sivè deniquè infaustos successus humilitèr accepturus, et eorum iram placaturus. — *Hesperiæ luctuosæ :* infelici Italiæ.

3. *Jàm bis Monæses et Pacori manus :* Alii *Monæsis.* Monæses iste ac Pacorus Orodis Parthorum regis filii fuêre, et bellis civilibus post Cæsaris necem turbatâ republicâ, adjuvante T. Labieno Syriam invasêre, rebusque felicitèr diù gestis, tandèm Pacorus, duce Ventidio, magnâ suorum strage occubuit. Quo cæso cùm Orodes pater Phraati regnum vivus detulisset, isque cæso patre ac fratribus, crudelissimè imperaret, Monæses ad Antonium transfugit, eumque adversùs Phraatem juvit, sed infelici exitu belli. Justinus, lib. 42. — *Non auspicatos contudit impetus :* Crassum, qui contrà auspiciorum monita pugnaverat, ingenti clade afflixit. — *Et adjecisse prædam Torquibus exiguis renidet :* gaudet adjecisse torquibus suis spolia nostra, undè eos vulgò exiguos, additis novis ornamentis, amplificavit. Solemne erat Parthis, aureos torques gestare.

4. *Pænè occupatam seditionibus Delevit urbem Dacus et Æthiops :* parùm abfuit quìn Antonius à Dacis et ab Ægyptiis adjutus, invaderet Romam domesticis dissidiis ità impeditam, ut ingruentes Barbarorum illorum copias vìx ac ne vìx quidèm propulsare potuisset. Multi Daci vel Scythæ sub Antonio militabant; et eidem duci Ægyptios suos (qui hìc Æthiopes vocantur) mancipaverat Cleopatra, *dùm Capitolio dementes ruinas et Imperio funus pararet*, sup.

Hic classe formidatus, ille
Missilibus melior sagittis.
Fœcunda culpæ sæcula [5] nuptias
Primùm inquinavêre, et genus, et domos;
Hoc fonte derivata clades,
In patriam populumque fluxit.
Motus doceri gaudet Ionicos [6]
Matura virgo, et fingitur artubus
Jàm nùnc, et incestos amores
De tenero meditatur ungui.
Mòx [7] juniores quærit adulteros
Inter mariti vina, neque eligit

Od. I, 37, 7. — *Hic :* Ægyptios intellige. — *Ille :* Dacos.

5. *Fœcunda culpæ sæcula :* ætas nostra, fœcunda flagitiorum mater. — *Inquinavêre nuptias :* corrumpitur enim per adulterium matrimonii sanctitas, etiamsi nulla ex illicito commercio proles oriretur; hoc *primùm*.— *Et genus :* deindè *genus* ipsum corrumpitur, dùm mater adultera totius familiæ ordinem perturbat, et alienos filios marito suo alendos et agnoscendos præbet. Domos denique universas corrumpit adulterium, dùm parentum exemplo abrepti liberi in omne vitiorum genus, omni timore deposito, erumpunt. — *Clades In patriam populumque fluxit:* calamitates tùm publicas, tùm privatas his vocibus, *patriam populumque*, complectitur.

6. *Motus Ionicos :* Ionum, cùm ad vitam molliorem procliviores essent, protervi mores in proverbium abierunt; hinc Ἰωνικὴ ὄρχησις, lasciva saltatio, apud Athen. I, 19, et διακινεῖν Ἰωνικῶς, apud Aristoph. Concion. 913; Ionico more sese agitare.— *Gaudet* vim lascivæ libidinis indicat.—*Matura virgo :* quæ ad eam ætatem pervenit, in quâ saltationes illæ non jàm ut puériles lusus exerceri possunt, sed ubi periculosa in illis voluptas quæritur, quâ inflammentur virginis sensus, et cupiditates spectantium excitentur. — *De tenero ungui :* græca locutio : ἐξ ἁπαλῶν τῶν ὀνύχων. A primâ adolescentiâ.

7. *Mòx :* non jàm virgo, sed uxor facta. — *Quærit :* summus depravationis gradus, non expectare fœminam, dùm petatur à viris, sed ipsam viris obviàm ire. — *Juniores adulteros :* amatores marito suo juniores, id est robustiores. — *Inter mariti vina :* in compotatione, cui, cum multis aliis viris, ipse maritus interest. — *Neque eligit :* omnia ad augendam uxoris im-

Cui donet impermissa raptim
Gaudia, luminibus remotis;
Sed jussa coràm [8], non sine conscio
Surgit marito, seu vocat institor,
Seu navis Hispanæ magister,
Dedecorum pretiosus emptor.
Non his juventus orta parentibus
Infecit æquor sanguine Punico [9],
Pyrrhumque, et ingentem cecidit
Antiochum, Hannibalemque durum;
Sed rusticorum mascula militum
Proles [10], Sabellis docta ligonibus

pudentiam ignobilemque rapacitatem accumulata. *Non eligit*, id est, non animum suum interrogat quis inter convivas sibi maximè placeat, cui concedat *raptim* (gallicè, *à la dérobée*) *impermissa gaudia*, illicitas stupri voluptates; honesto vocabulo rem fœdam poeta tegit, *luminibus remotis;* pudori enim videtur, si non consulere, at saltèm minùs insultare, quæ in tenebris peccat.

8. *Sed jussa coràm :* sed publicæ meretricis instàr quæ obvii cujuslibet jussui obedire cogitur, *surgit*, teste marito, videntibus convivis. — *Non sine conscio marito :* qui propriæ uxoris leno, pretium opprobrii sui accipit. Talem maritum designat Juven. I, 56 : *Doctus spectare lacunar, Doctus et ad calicem vigilanti stertere naso.—Seu vocat institor : institor* dicitur qui à mercatore, negotiationi alicui præpositus est. Dicti autèm sunt *institores* (ut indicat Ulpianus in Leg. 3. D. *De Institor. act.*), ab *insistendo*, eò quòd negotiis perficiendis *insistant*. — *Navis Hispanæ magister :* non Hispanus fortè, sed, quod verisimilius, Romanus quilibet opulentissimum cum Hispaniâ commercium instituere solitus, navibus quidèm origine suâ Hispanis, sed quas ipse emit, quarum magister vèl dominus est. — *Dedecorum pretiosus emptor :* qui magno pretio geminum uxoris et mariti opprobrium solvit.

9. *Infecit æquor sanguine Punico :* vid. suprà Od. II, 12, 2, et consule notas in hunc locum. — *Pyrrhumque :* Epirotarum regem, à Curio Fabricioque in Lucaniâ victum. — *Ingentem Antiochum :* Syriæ regem, à Luc. Scipione victum, anno U. C. 557.

10. *Mascula proles :* proles virilis, non, ut hodiè, effœminata.—*Sabellis :* hunc diminutivum alii à Samnitibus, alii, quod probabilius, à Sabinis eruunt. Quidquid sit, intelligit poeta li-

Versare glebas, et severæ
Matris ad arbitrium recisos
Portare fustes [11], sol ubì montium
Mutaret umbras, et juga demeret
Bobus fatigatis, amicum
Tempus agens abeunte curru.
Damnosa quid non imminuit dies [12]?
Ætas parentum, pejor avis, tulit

gones robustis agrestium virorum manibus tractatos.

11. *Portare fustes :* portare domum ligneos fasces ad alendum domestici foci ignem, proüt præceperat mater, cujus jussis resistere nesciebant filii. — *Sol ubì montium Mutaret umbras :* umbras scilicèt montium quæ, sole nascente, ad occidentem, eodem descendente, ad orientem projiciuntur. Venusta et huic loco apta horæ vespertinæ descriptio ; qualis illa Virg. Eglog. II, 68 : *Aspice aratra jugo referunt suspensa juvenci, Et sol crescentes discedens duplicat umbras.* — *Et juga demeret Bobus fatigatis :* tempus vespertinum Græcis βούλυσις, boum solutio, dicitur. Ratio patet. Sic Ovidius, Fast. V, 497 : *Tempus erat, quo versa jugo referuntur aratra.* — *Amicum tempus agens:* adducens, dùm ipse abit, tempus *amicum*, gratum rusticis, cessationem ab operibus diurnis, quietem, somnum.

12. *Damnosa quid non imminuit dies ?* pulcherrimum carmen gravissimâ Noster concludit sententiâ, et eâ quidèm, modò non longiùs et ad omnia tempora extendatur, verissimâ ; negari enìm nequit, si eam ad historiam et mores Romanos reducas, nihil hìc asserere Horatium, quod evidentiâ simùl et experientiâ non comprobetur ; neque eumdem falsa præsagiisse arguerit qnisquis Tiberii, Caligulæ, Claudii et Neronis tempora cum Augusti ætate contulerit. Aliundè facilè confitear omnem ferè ætatem de suo sæculo conquestam esse, teste Senecâ, de Benefic. I, 19 : *Hoc majores nostri questi sunt, hoc nos querimur, hoc posteri nostri querentur, eversos mores, regnare nequitiam, in deterius res humanas et in omne nefas labi.* — *Ætas parentum, pejor avis :* per ellipsim, pro, avorum ætate pejor. Observa concisam trium horum versiculorum elegantiam, quam penè adæquavit unus inter poetas gallicos Horatii interpretes, Lamothe-Houdard, in aliis sivè è Græcâ, sivè è Romanâ linguâ translationibus multò minùs felix :

Mais que n'altèrent point les temps impitoyables ?

Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

Nos pères, plus méchans que n'étaient nos aïeux,
Ont eu pour successeurs des enfans plus coupables,
Qui seront remplacés par de pires neveux.

ODE SEPTIMA

AD ASTERIEN.

Cùm Asterie, de quâ aliundè nihil notum est, de longiore amatoris sui, Gygis, absentiâ quereretur, qui mercaturæ causâ jamdudùm in Asiam profectus erat, eam spe promptissimi reditûs consolatur Horatius; oppidum ubì nùnc Gyges immoratur indicat, et summæ ejus in amore constantiæ specimen egregium refert, quòd ibì ab aliâ puellâ petitus frustrà fuerit. Simùl Asterien monet, ut ipsa potiùs Gygi suo fidem inviolatam servet, et nocturnis alterius amatoris querimoniis aures occludat. Hanc verò oden ab aliquo Græco carmine originem ducere, tùm à personarum nominibus, tùm ab exemplis in eâ citatis, quæ omnia, sivè ad linguam, sivè ad mythologiam Græcam pertinent, facilè concludas.

Quid fles, Asterie, quem tibi candidi
Primo restituent vere Favonii [1],
Thynâ merce beatum,
Constantis juvenem fide,

1. *Candidi Favonii :* Zephyri dicuntur *candidi,* quòd, cùm veris initio spirare incipiant, cœlum nigris hiberni temporis nubibus obvolutum explicant, et novo quasi splendore vestiunt. — *Restituent :* non propriè quidèm et directè; Zephyrus enim flat ab occiduo, et adversus est è Græciâ in Italiam solventibus; sed quiâ hibernum mollit cœlum, ut ait Plinius, II, 47, et mare navigabile reddit. — *Thynâ merce beatum :* ditatum mercibus è Bithyniâ advectis. Thyni et Bithyni, è Thraciâ coloni (Herodot. VII, 75), in duas gentes aliquamdiù divisi, tandèm in unam gentem coaluerunt, et uno Bithynorum nomine fuerunt appellati. *Thyni Thraces arant, quæ nùnc Bithynia fertur,* Claudian. in Eutrop. II, 246. — *Constantis fide : fide,* pro, *fidei,*

Gygen? Ille Notis actus ad Oricum [2]
Post insana Capræ sidera, frigidas
Noctes non sine multis
Insomnis lacrimis agit.
Atqui [3], sollicitæ nuntius hospitæ,
Suspirare Chloën, et miseram tuis
Dicens ignibus uri,
Tentat mille vafer modis.
Ut Prœtum mulier perfida [4] credulum
Falsis impulerit criminibus, nimis
Casto Bellerophonti
Maturare necem, refert.

antiquâ et usitatâ formâ, ut in Ovid. : *Prima fide vocisque ratæ tentamina sumpsit*, Metam. III, 341, ut in illo Virg. Georg. I, 208 : *Libra die somnique pares ubi fecerit horas.*

2. *Notis actus ad Oricum :* Tempestate coactus ad Oricum appellere, urbem Epiri, portu instructam, hodiè, Orso.— *Post insana Capræ sidera :* Capra est sidus in sinistro *Aurigæ* humero positum, cujus ortus vel occasus tempestates gravissimas excitare credebatur; nec mirum; oritur enim ipso autumni æquinoctio; occidit incipiente Januario, quo utroque tempore, venti et procellæ vehementissimè sæviunt. Hìc de occasu agi intelligere in promptu est, cùm instantem veris reditum modò vates nuntiaverit. — *Frigidas noctes :* viduas, tristes absente tori socià, quâ præsente jucundè incalescerent. Omnia ad testandam Gygis constantiam mirum in modum accommodata; illi suæ Asteries desiderium *lacrimas*, et quidèm *multas* noctu elicit, somnum fugat.

3. *Atqui :* nexus sententiæ; et tamèn, si tibi non adeò constantèr adhæreret, reperiret Orici undè thalami solitudinem, tristitiamque suam solaretur. — *Sollicitæ hospitæ :* Chloës in cujus domo Gyges diverterat, quæ *sollicito amore* plena, juvenem in suos laqueos adducere per *nuntium*, per lenonem tentat. — *Miseram tuis Dicens ignibus uri :* asserens Gygen à *miserâ* Chloë non minùs perditè quàm à te ipsâ adamari; ignes Chloës amatorios tuis ignibus æquiparans.

4. *Mulier perfida :* narrat nuntius ille, ut Antea, Prœti uxor, (ab aliis Stenobœa dicitur) *castum* Bellerophontem apud maritum accusaverit, quòd sibi vim inferre voluerit. Idem narratur de Phædrâ, Thesei uxore; idem quoque de Hippolytâ, Acasti Thessaliæ regis conjuge, quæ Peleum, Achillis patrem, iisdem criminibus premere et pessum-

Narrat pænè datum Pelea Tartaro,
Magnessam Hippolyten dùm fugit abstinens;
Et peccare docentes
Fallax historias movet.
Frustrà [5]: nàm scopulis surdior Icarî
Voces audit adhùc integer. At, tibi
Ne vicinus Enipeus
Plus justo placeat, cave;
Quamvis non alius flectere equum sciens,
Æquè conspicitur gramine Martio [6],
Nec quisquam citus æquè
Tusco denatat alveo.
Primâ nocte domum claude [7], neque in vias
Sub cantu querulæ despice tibiæ;
Et te sæpè vocanti
Duram, difficilis mane.

dare tentavit. Idem denique reperitur in sacris codicibus, de Josepho et Putiphari uxore. Notum quid fœmina repulsâ furens audeat. Cùm igitùr vilis ille internuntius, Gygen pelliciendo permovere non potuisset, mutatâ agendi et loquendi ratione, terrendo efficere studet; ut eum doceat quàm gravitèr spreti amoris injuriam mulieres ulcisci soleant.— *Fallax,* id est perfidus, seductor. — *Movet*, effert, producit historias ad rem suam spectantes, quæ *peccare* Gygen *doceant,* illum vèl reluctantem, ad oblatum adulterium attrahant.

5. *Frustrà :* optimè ad initium versûs rejicitur adverbium, quo Asteries timor protinùs sedatur. — *Scopulis surdior Icarî:* Icarii maris; subauditur substantivum.— *Adhùc integer :* tibi sempèr devotus, nec precibus, nec minis Chloës motus.

6. *Gramine Martio :* in campo Martio. Per peritiam in gymnaticis exercitationibus, amorem sibi facilè conciliabant juvenes. *Hic placet, angustis quòd equum compescit habenis, Hic placidam niveo pectore pellit aquam.* Tib. I, 4, 71.

7. *Domum claude : Incipe jàm primâ claudere nocte forem,* Ovid. Amor. II, 19, 38. — *Despice :* rectè de Asterie, quæ è fenestrâ, è superiore domûs parte canentem et suspirantem amores suos Enipeum videret. — *Et te sæpè vocanti duram :* et quamvis repetitis questibus crudelitatem tuam incuset. — *Difficilis mane :* à tuâ ergà illum severitate ne absistas; Gygis tui sis memor.

ODE OCTAVA

AD MÆCENATEM.

Patronum quidèm suum, sed amicum, Mæcenatem invitat Horatius, ut suam domum adire, et secum intèr epulas celebrare festi diei reditum non dedignetur, quo vates arboris casu propè funeratus, tanto tamèn periculo salvus et incolumis evaserat; simùl ut omissis aliquantispèr civilibus curis, quas sine periculo aliquot per horas amoveri felix rerum publicarum status sinit, genio indulgeat.

Martiis cœlebs quid agam Calendis [1],
Quid velint flores et acerra thuris
Plena, miraris, positusque carbo in
Cespite vivo,

1. *Martiis Calendis :* primo mensis Martii die, qui sacer erat Junoni, conjugiorum præsidi, et in quo Matronalia à mulieribus Romanis celebrabantur; quorum descriptionem legere est apud Ovid. Fast. III, 170 et sequent. Vide quoque Tibullum III, 1, 1. — *Cœlebs :* nihil *agendum* videbatur in his solemnibus Horatio, qui nullam uxorem duxit; rectè igitùr Mæcenatem genialis cœnæ apparatu attonitum supponit in suâ domo instructæ. — *Quid velint flores :* in Matronalibus quoque, flores Junoni offerri debebant. *Ferte Deæ flores; gaudet florentibus herbis Hæc Dea; de tenero cingite flore caput;* Ovid. Fast. III, 253. — *Acerra :* vas aut arcula, in quâ thus adolendum condebatur; sic dicta, quià primùm è ligno quolibet et præsertìm ex *acere*, (gallicè, *érable*) posteà ex ære aut è pretiosiore metallo confecta fuit. — *Positusque carbo in Cespitę vivo :* et ignis incensus super aram è vivo cespite erectum. Vide suprà Od. I, 19, 13.

Docte sermones utriusque linguæ [2].
Voveram dulces epulas [3], et album
Libero caprum, propè funeratus
Arboris ictu.
Hic dies, anno redeunte, festus
Corticem adstrictum pice dimovebit
Amphoræ, fumum bibere institutæ
Consule Tullo.
Sume, Mæcenas, cyathos amici
Sospitis centum [5], et vigiles lucernas
Perfer in lucem; procul omnis esto
Clamor et ira!

2. *Docte sermones utriusque linguæ :* qui litteras Græcas et Romanas æquè tenes; qui utriusque populi antiquitatem, historias, ritus et sacra, cum illorum causis et originibus, egregiè perspecta habes, undè nil forsàn tibi innotuit cùr vir cælebs, eodem ipso die, sivè Græcus, sivè Romanus sit, festa solemnia celebret.

3. *Voveram dulces epulas :* specialem suæ lætitiæ causam attingit. —*Album Libero caprum: album*, in lætitiæ signum. Porrò *caper*, ut vincis noxius, *Baccho omnibus aris cæditur*, Virg. Georg. II, 380. Agnam quoque Fauno, ut agrorum et virorum agrestium custodi, voverat, supr. Od. II, 17, 32.

4. *Corticem adstrictum pice dimovebit :* os amphoræ, cortice vèl subere superposito, occludebatur, quem pice aut resinâ, ne fortè facilius extraheretur, aut suâptè exciderct, circumlinebant; quem morem hodiè quoque retinuimus. — *Institutæ fumum bibere :* quæ in cellâ vinariâ edocta est, didicit, fumum imbibendo, maturitatem trahere. Satis notum est vini apothecas à veteribus constitutas esse in superiore ædium parte fumo perviâ; eâ autèm ratione vinum concoqui, et citiùs ad jnstam adscitiæ vetustatis saporem pervenire. Vide Columell. de Re Rustic. I, 6, 20. — *Consule Tullo :* L. Volcanius Tullus primùm consul fuit anno U. C. 688; iterùm, 721. Hæc autèm Ode scripta fuit, 734. Tredecim igitùr annorum erat Horatii vinum, si à secundo Tulli consulatu, ut probabilius est, inscriberetur.

5. *Cyathos amici sospitis centum :* centiès, h. e. multotiès, in honorem servati amici exhauriendos; numerus finitus, ut plerùmque, pro indefinito. — *Vigiles lucernas Perfer in lucem :* exquisita et elegantissima periphrasis pro illo vulgari et simplici, *per totam noctem bibe.* — *Procùl omnis esto Clamor et*

Mitte civiles super Urbe curas [6];
Occidit Daci Cotisonis agmen;
Medus, infestus sibi, luctuosis
Dissidet armis;
Servit Hispanæ vetus hostis oræ
Cantaber [7], serâ domitus catenâ;
Jàm Scythæ laxo meditantur arcu
Cedere campis.
Negligens [8] ne quà populus laboret
Parce privatus nimiùm cavere;

ira : quasi in mediâ jàm compotatione versetur, et ut bibendi magister, verecundi convivii leges præscribit. Vide suprà Od. I, 27, 3 et 4.

6. *Mitte civiles super Urbe curas :* hoc ipso anno (734) Augustus ad debellandos Orientis populos proficiscens, Mæcenatem Romæ totique adeò Italiæ præfecerat. — *Occidit Daci Cotisonis agmen :* Cotisonem, Getarum quos hìc Dacos appellat Horatius regem, à Lentulo, Augusti legato, victum fugatumque fuisse narrat Suetonius, Octav. 21, Florus IV, 12. Cùm horum imperiorum limites non satìs distincti essent, et perpetuis victoriarum aut cladium vicissitudinibus variarentur, populorum quoque nomina sæpè sæpiùs confundi nil mirum. — *Medus, infestus sibi, luctuosis Dissidet armis :* sìc construe *: Medus armis luctuosis,* h. e. bellis civilibus distrahitur à veris sui imperii commodis, *sibi infestus,* sibi soli noxius, in sua viscera vertens arma Romano sanguine meliùs tingenda. Respicit poeta ad crebras seditiones à Teridatis amicis contrà Phraatem *solio restitutum* motas. Vide supr. Od. II, 2, 15.

7. *Vetus hostis Cantaber :* Hispaniæ populus septentrionalis, idemque ferocissimus, quem non nisì post bellum per sex annos sustentatum Agrippa tandèm devicit. Quàm durum antèm imperium in populos diù resistentes Romani exercere solerent his verbis exprimit Horatius : *Servit serâ catenâ domitus :* non parere, sed *servire,* non exteras leges, sed *catenam* pati jubentur, qui libertatem suam contrà Romanos animosè defendere ausi sunt. — *Laxo arcu :* arcum remittentes, neque Romanum impetum sustinentes.

8. *Negligens :* non in longum tempus, sed, ut publica securitas, sine ullo imperii damno, permittit, aliquamdiù res tui muneris intermittens. Est enìm et regi, et administro, et viro cuilibet publico legitimum otiandi tempus. — *Parce privatus;* in privatam conditionem unâ tantùm nocte delapsus. — *Nimiùm cavere ne quà populus la-*

Dona præsentis cape lætus horæ [9], et
Linque severa.

boret : nimia esset præcautio timere, ne intereà Respublica aliquid detrimenti caperet.

9. *Dona præsentis cape lætus horæ :* ex Lambini sententiâ *rape*, pro, *cape*, legendum est. Mâlim legere : *cape ;* non enìm agitur hìc de voluptate raptim delibandâ, sed de geniali cœnâ quàm amicitia offert, quam religio consecrat, et quæ à Mæcenate, sinè ullo pudore *capienda*, h. e. accipienda est.

ODE NONA

AD LYDIAM.

Nullum apud veteres poetas sequenti carmine carmen suavius et elegantius exstare testantur unanimi consensu delicatissimi poeseos et rei litterariæ judices ; fatetur ipse Julius Scaliger, severissimus, ut notum est, sermonis Horatiani exactor. Forma carminis, ut in nonnullis Virgilii Eclogis, amœbœa est ; cujus quidèm formæ eam esse naturam et conditionem intelligitur, ut è duobus personis alternatim loquentibus, et sibi invicèm eodem versuum numero, eâdem mensurâ respondentibus, altera, ad alterius orationem, suam conformet, vimque sententiæ aut imitando acuat, aut refellendo exaggeret. Hanc Oden, verbo ferè ad verbum, in scenam transtulit Molierius, Amant. Magnific. act. II, intermed. III, scen. V ; et minùs expressè, quamvis non minùs felicitèr, imitatus est J. J. Russæus in Fabulâ cui titulus, Le Devin de village. *Eminent inter innumeros exquisitissimi carminis interpretes, Lafare et Dux Nivernensis.*

HORATIUS.

Donec gratus eram tibi,
Nec quisquam potior brachia candidæ
Cervici juvenis [1] dabat,
Persarum vigui rege beatior.

1. *Nec quisquam potior juvenis :* nec alius amator, qui à te mihi præferretur. — *Brachia candidæ Cervici dabat :* collum et humeros eburneos brachiis suis amatoriè amplectebatur. — *Persarum vigui rege beatior :* felicissimos omnium hominum, reges, beatissimos omnium regum, reges Persarum dicere in usu erat apud Romanos. Proverbium vetus in nostram linguam

LYDIA.

Donec non aliâ magìs
Arsisti [2], neque erat Lydia post Chloën,
Multi Lydia nominis
Romanâ vigui clarior Iliâ.

HORATIUS.

Me nùnc Thressa [3] Chloë regit,
Dulces docta modos, et citharæ sciens,
Pro quâ non metuam mori,
Si parcent animæ fata superstiti.

LYDIA.

Me tòrret face mutuâ [4]
Thurini Calaïs filius Ornyti,
Pro quo bis patiar mori,
Si parcent puero fata superstiti.

advectum est : *Être heureux comme un roi, dit le peuple hébété : Hélas! pour le bonheur que fait la majesté?* Volt. in primo Sermone, *De conditionum inæqualitate.*

2. *Non alia magìs Arsisti :* legìtur quoque, *non aliam.* Gradatìm ascendit oratio; majorem vim exhibet vox illa, *ardere*, quàm ea cui respondet, *donèc gratus eram ;* sic et Ilia, Martis dignata concubitu, Romuli mater, inter Nymphas relata, opulento et potenti Persarum regi antecellit.

3. *Thressa :* è Thraciâ oriun-

- - *Si parcent animæ fata superstiti :* si meâ morte assequar, ut Chloë mihi superstes, debitos mihi annos cum suis conjungat, Chloë, quæ est animæ dimidium meæ.

4. *Me torret face mutuâ :* ego Lydia, amore in Calaïm incensa feror, qui meo igni respondet. Quàm vividius verbum illud, *torret*, priore verbo, *regit!* gradatio constanti tenore procedit; *pro quâ non metuam mori* dixit simplicitèr Horatius; *pro quo bis patiar mori*, respondet Lydia, quæ, ut ingratum amatorem exagitet, Calaïm multò sibi cariorem fingit, quam Chloën Horatio.

HORATIUS.

Quid [5]? si prisca redit Venus,
Diductosque jugo cogit aheneo?
Si flava excutitur Chloë,
Rejectæque patet janua Lydiæ?

LYDIA.

Quamquàm sidere pulcrior [6]
Ille est, tu levior cortice, et improbo
Iracundior Hadriâ,
Tecum vivere amem, tecum obeam libens.

5. *Quid? Si prisca redit Venus?* Quàm vera sit poetæ comici sententia nùnc patet: *Amantium iræ, amoris redintegratio est;* Terent. Andr. IV, 3, 20. Reconditæ aliquamdiù amoris scintillæ, per mutuum colloquium in apertam flammam erumpunt. — *Cogit:* rectè quidèm; Veneris enim potestati quis resistat? — *Jugo aheneo:* jugo indissolubili. Per illud vocabulum, *aheneo,* non jugi pondus aut durities, sed perennitas significatur. — *Si flava excutitur Chloë:* pulcritudinem Chloës è consilio laudat, ut solertèr Lydiæ pulcritudini blandiatur, et reditùs sui pretium augeat. Est etiàm in verbo *excutitur* aliquid undè Lydia intelligat, non sine difficultate dulce Chloës imperium abjici, quod ipsius triumpho nonnihil addere videtur. — *Rejectæque patet janua Lydiæ:* duplex sensus est: si Lydia quam ego rejeceram, domum tamèn suam Horatio reduci rursùs aperire non dedignetur; vel, si ego Horatius, domum meam Lydiæ tamdiù clausam, ipsi veniam indulgenti iterùm reserem. Multò magìs placet prior interpretatio.

6. *Sidere pulcrior:* plùs valet quàm simplex vocabulum, *flava.* — *Levior cortice:* subere (gallicè, *du liége*). — *Improbo iracundior Hadriâ:* vide suprà, Od. I, 33, 15. — *Tecum vivere amem, tecum obeam libens:* quod votum sibi à Lydiâ exprimi fingit Horatius, ad eamdem prior ipse direxerat, sup. Od. I, 13, in fine.

ODE DECIMA

IN LYCEN.

A Lyce, quam amabat, non admissus, hoc carmen querulum antè ejus januam canit Horatius. Primùm igitùr, ut miseratione suî durum Lyces animum frangat et emolliat, sævæ tempestatis, antè illius fores sibi porrecto perferendæ, exponit injuriam; deindè, ut ab invisâ Veneri superbiâ eam deterreat, subitas Fortunæ vices ei antè oculos ponit; deniquè, iterùm ei exprobratâ summâ animi duritie, se laboribus, quos ejus causâ subeat, tandèm victum, non ampliùs, illam curaturum esse minatur. Est totum hoc carmen παρακλαυσίθυρον, *h. e. carmen, antè puellæ januam, ab amatore non intromisso, flebilibus modis decantatum; cujus modi carminis particulam jàm legere fuit, insertam suprà Od. I,* 25, 8 *et* 9.

Extremum Tanaïm [1] si biberes, Lyce,
Sævo nupta viro, me tamèn asperas
Porrectum antè fores objicere incolis
Plorares Aquilonibus.

1. *Extremum Tanaïm :* Tanais, Scythiæ fluvius est (hodiè *le Don*); Scythia autèm in *extremis* Europæ finibus sita, regio barbara et aspera habebatur. Sensus : quamvis è gente crudelissimâ oriunda esses. — *Sævo nupta viro :* viro, cujus atrox vindicta à te in furtivo amore deprehensâ extimescenda foret. — *Antè fores asperas :* antè fores tuî asperæ, per metonymiam. — *Plorares me objicere :* exquisitiùs, pro : non sine miseratione et dolore me objiceres. — *Aquilonibus incolis :* perpetuò in Scythiâ, tanquàm in nativo et constanti domicilio, dominantibus.

Audis quo strepitu janua, quo nemus
Inter pulcra satum [2] tecta remugiat
Ventis, et positas ut glaciet nives
Puro numine Jupiter?
Ingratam Veneri pone superbiam;
Ne currente retrò [3] funis eat rotâ.
Non te Penelopen difficilem procis
Tyrrhenus genuit parens.
O, quamvis neque te munera, nec preces,
Nec tinctus violâ pallor amantium [4],
Nec vir Pieriâ pellice saucius
Curvat, supplicibus tuis [5]
Parcas, nec rigidâ mollior æsculo,

2. *Nemus inter pulcra tecta satum :* intellige viridarium in ipsâ domûs porticu consitum; qui mos veteribus familiaris erat. *Nempè inter varias nutritur silva columnas, Laudaturque domus longos quæ prospicit agros,* Epist. I, 10, 22. Vide quoque Virg. Æneid. II, 512, et Æneid. VII, 59. — *Positas nives :* apprimè, *positas;* non demissas è cœlo, et statim, per moderatam temperiem in fluidum abeuntes; sed duras, sed solo, præ nimio frigore, tenacitèr adhærentes. — *Puro numine Jupiter :* puro enim et sereno aere, vis frigoris acrior est.

3. *Ne currente rotâ funis eat retro :* ne Fortuna, quæ tibi nùnc favere videtur, retrocedat. Similitudo ducta est à rotis fune circùmactis, quo rupto, moles quæ per machinam rotis ilis instructam in altum evehebantur, præcipiti lapsu corruunt. — *Non te Penelopen :* tu non es, non potes esse altera Penelope, amatoribus tuis, illius exemplo, aspera et difficilis, quippè quæ originem ducas à parentibus Tyrrhenis. Undè Tyrrheniam, sivè Etruriam, pristinæ morum simplicitatis oblitam, cum artium elegantiâ commodiores, imò et lasciviores mores induisse rectè colligas, quod aliundè satìs constat; vide Athæneum, XII, 3.

4. *Nec tinctus violâ pallor amantium :* Plinius, lib. XXI, 6, violas ait, alias esse purpureas, alias lutcas, alias albas; ad albas *pallentes* referendæ sunt. — *Nec vir Pieriâ pellice saucius :* nihil magìs aptum ad Lycen à fide nuptiali avocandam, quàm si ipsi in memoriam revocet infidos ipsius mariti amores. — *Curvat :* in amorem mei flectit.

5. *Supplicibus tuis :* plurale pro singul. *supplici tuo.* — *Nec rigidâ mollior æsculo :* quæ te nùnc præstas quercu durissimâ

Nec Mauris animum mitior anguibus !
Non hoc semper erit liminis aut aquæ
Cœlestis patiens latus.

duriorem. — *Nec Mauris animum mitior anguibus :* et crudeliorem Afris serpentibus, apud quos nativa sævitia regionis calore augetur. — *Non hoc latus :* preces minis cumulat; *latus*, delectè, cùm de se antè januam porrecto loquatur. — *Liminis :* subaud. *servandi.* — *Aquæ cœlestis :* pluviæ, imbrium. Serò igitùr tuæ te pœnitebit arrogantiæ, cùm te desertam et contemptam senties.

ODE UNDECIMA

AD MERCURIUM.

Ut in carmine antecedente Lycen, ità in hoc, poeta Lyden, puellam paritèr adhùc asperam et ferociùs amatorum blanditias respuentem, mitiorem et sibi procliviorem reddere studet. In partes igitùr vocat tàm lyræ inventorem Mercurium, quàm ipsam lyram; enarransque, quomodò dulcissimo ejus cantu Orpheus non solùm sævas bestias mitigaverit, arbores acciverit, et fluviorum cursum inhibuerit, sed apud inferos quoque Cerberum adeò suavitèr demulserit, et Ixionem Tithyumque recreaverit, mirâ arte ad fabulam Danaïdum in hoc carmine sibi tractandam delabitur, utpotè consilio suo Lyden ab animi duritie deterrendi et mollioris animi sensu imbuendi accommodatissimam. Si quis autèm excursum illum poeticum exaggerationis arguere voluerit, et nullam esse contenderit instituendam comparationem inter immane Danaïdum scelus, et duritiem puellæ quæ amasii sui preces et vota respuit, condonet amanti quòd crudelem repulsam infando facinori æquiparare non dubitet; det veniam poetæ, qui felicem culpam, si culpa est, felicissimis versibus redemit.

Si non errâsset, fecerat ille minùs.

Mercuri [1], (nam te docilis magistro
Movit Amphion lapides canendo),
Tuque, testudo, resonare septem
Callida nervis,

1. *Mercuri :* vide notas de Mercurio, supr. Od. I, 10. Hìc ostendit vates nihil se à Mercurio flagitare quod non facilè obtinere possit, siquidèm arte ab eo traditâ Amphion Thebanæ arcis conditor lapides ipsos moverit; quantò faciliùs Lyden,

Nec loquax olìm neque grata [2], nùnc et
Divitum mensis et amica templis,
Dic modos Lyde quibus obstinatas
Applicet aures;
Quæ, velut latis equa trima [3] campis,
Ludit exultìm, metuitque tangi,
Nuptiarum expers, et adhùc protervo
Cruda marito.
Tu [4] potes tigres comitesque sylvas
Ducere, et rivos celeres morari.

quamvìs obstinatam adhùc! — *Testudo :* lyra, cujus fundus testa erat testudinea, et quæ primùm chordis quatuor iustructa, mox quinque et sex, denique septem chordis constitit. — *Callida resonare :* hellenismo jàm sæpiùs notato; callidè, peritè resonans.

2. *Nec loquax olìm, neque grata :* corpus olìm mutum, neque ulli voluptati idoneum, antè quàm chordis à Mercurio fuisses instructa. — *Divitum mensis et amica templis :* nulla enìm apud veteres, ut apud nos sivè sacrorum, sivè solemnium conviviorum sine musicâ celebritas. — *Dic modos :* ede sonos quibus Lydes fastidia vincantur.

3. *Velut equa trima :* equa trium annorum; non enìm nisì post quintum vel etiàm sextum annum completum equabus mares prudentèr permittuntur. *On ne doit permettre l'usage de la jument qu'à six ou sept ans aux chevaux fins et aux étalons. Les jumens peuvent avoir un an de moins.* Valmont de Bomare; Dictionn. Hist. Nat. articul. *Cheval,* § *Haras.* — *Ludit exultìm :* ludis puerilibus, currendo, saliendo, indulget. Intellige hoc verbum, *ludit,* de puellâ, non de equâ; similis equæ trimæ, Lyde *ludit exultìm,* etc. — *Metuitque tangi : tangere* de tactu libidinoso in re venereâ dicitur. Sìc et *attrectare mulieres,* Cic. pro Cœlio VIII, et Sueton. Nero. XXVI; hìnc suprà, Palladem *intactam* Noster nominat pro, integram, castam. — *Nuptiarum expers :* adhùc virgo; nihil ampliùs. — *Protervo Cruda marito :* nec hactenùs nubilis; porrò ut puella viro apta, *matura* dicitur, sic, per oppositionem, *cruda,* quæ maritum nondùm pati valet. Hìnc suprà Od. II, 5, 10, Lalage cum *inmiti uvâ* comparatur.

4. *Tu :* scilicèt, ò testudo! *Potes tigres comitesque sylvas Ducere :* tigres, quamvìs ferocissimas; sylvas licèt surdas et inanimatas ad id cogere, ut te obsequiosè sequantur. Ad Orphei fabulam ut in sequentibus allu-

Cessit immanis tibi blandienti
Janitor aulæ
Cerberus, quamvis furiale centum
Muniant angues caput ejus, atque
Spiritus teter saniesque manet
Ore trilingui.
Quin et Ixion [5] Tityosque vultu
Risit invito; stetit urna paulùm
Sicca, dùm grato Danaï puellas
Carmine mulces.
Audiat Lyde scelus [6], atque notas
Virginum pœnas, et inane lymphæ
Dolium fundo pereuntis imo,
Seraque fata

dit. — *Tibi blandienti :* tibi blandè canenti; — *immanis :* in nominativo, non in genitivo, ut volunt Lambinus et Mitscherl. — *Caput ejus :* lectio omnibus codicibus confirmata, quam idcircò retinuimus. Attamen verbum *ejus*, nimis tenue et languidum, pro carminis sublimitate, Bentleio, Cuningham., et aliis visum fuisse non dissimulandum est; undè locum suo quisque modo emendandum censuit. Bentleius pro, *ejus, atque* legit *exeatque;* Cuningham., *æstuetque;* Gesnerus, *effluatque :* è quibus, si optio detur, τὸ *æstuatque*, ut Horatio dignissimum, cum Sanadone et Dæring, sine dubio prætulerim.

5. *Ixion :* Junoni stuprum inferre tentaverat; proptèr quod scelus, ad inferos detrusus, et ibi, rotæ alligatus, sine requie circumagebatur. — *Tityos :* nominativus est græcus. Vide suprà Od. III, 4, 77. — *Vultu invito:* risit proptèr lyræ dulcedinem, sed *invitus,* cùm dolores aliquot momentis sedatos, mòx renaturos esse præsentiret. — *Urna :* non dolium, sed vas quo aqua hausta in dolium infundebatur. — *Danaï puellas :* notissima, ut ait ipse Horatius, Danaïdum fabula, quæ omnes, præter Hypermnestram, sponsos suos, primâ nocte nuptiali, patris jussu, occiderunt.

6. *Audiat Lyde scelus :* audiat quàm crudeles pœnas dent apud inferos, quæ suis amatoribus inhumanas se præstiterunt. Vide *argumentum* in fine. — *Et inane lymphæ dolium :* et dolium sempèr vacuum ab aquâ, cùm sit sine fundo, undè aqua perit, id est, indesinentèr immissa, indesinentèr effluit. — *Seraque fata :* sera, quiâ justius

Quæ manent culpas etiàm sub Orco.
Impiæ [7], (nàm quid potuere majus?)
Impiæ, sponsos potuere duro
Perdere ferro.
Una de multis, face nuptiali
Digna, perjurum fuit in parentem [8]
Splendidè mendax, et in omne virgo
Nobilis ævum :
« Surge [9], quæ dixit juveni marito,
« Surge, ne longus tibi somnus, undè
« Non times, detur; socerum et scelestas
« Falle sorores,
« Quæ, velut nactæ vitulos leænæ,

videbatur, nocentes vivos puniri. — *Etiam sub Orco :* post ipsam mortem; contrà opinionem Epicureorum, qui omnem hominem exstingui profitebantur, neque ullam esse post vitam scelestis pœnam, virtuti mercedem asserebant. Nihil ex istâ damnosâ sapientiâ retinuit unquàm Noster, nisi jus genio et voluptatibus indulgendi; alioquin, ut ipse de se prædicat, Epist. I, 1, 16 : *Virtutis veræ custos rigidusque satelles.*

7. *Impiæ :* nota geminam illam verborum repetitionem, *Impiæ, Impiæ, potuere, potuere !*

8. *Perjurum in parentem :* verè *perjurum*, qui omnia humanitatis et hospitii, et patrii affectûs jura violaverit.—*Splendidè mendax :* pulcherrimo hujus figuræ usu quam rhetores *Oxymoron* vocant, in quâ duo verba inter se repugnantia, ad illustrandam sententiam adunantur. Quid, generalitèr loquendo, mendacio minùs splendidum? re verâ, quid Hypermnestræ mendacio splendidius, cùm fidem indigno patri datam ideò tantùm fallat, ut eam quam marito sacraverat, tueretur. Sic apud Cic. Pro Mil. XXVII, 72 : *Gloriosè mentiri liceret;* sic apud Senec. Epist. 95 : *Quid bella et occisarum gentium gloriosum scelus?* Sic, apud Torquat. Tass. Hyerosol. liber. cant. II : *Magnanima menzogna, or quando è il verò Si bello, che si possa a te preporre?*

9. *Surge :* prima vox in instantem monitum erumpens, et ne fortè non audita fuerit, repetit illicò : *surge.* Ferè eodem orationis poeticæ motu, Ovid. Heroid. XIV, 73 : *Surge, age, Belide, de tot modò fratribus unus; Nox tibi, ni properas, ista perennis erit.* — *Longus somnus :* mors. — *Undè :* ex iis personis, quibus nullatenùs diffidis.

« Singulos [10], eheu! lacerant. Ego illis
« Mollior, nec te feriam, nec intrà
« Claustra tenebo.
« Me pater sævis oneret catenis,
« Quòd viro clemens [11] misero peperci;
« Me vel extremos Numidarum in agros
« Classe releget.
« I, pedes quò te rapiunt et auræ [12],
« Dùm favet nox et Venus; I, secundo
« Omine, et nostrî memorem, sepulcro
« Scalpe querelam. »

10. *Singulos* : suum quæque maritum. — *Lacerant :* benè accommodata vox ad comparationem institutam ; non dixit simplicitèr, *occidunt*, *jugulant*, sed crudeli cum voluptate, belluarum instàr in prædam sævientium, discerpunt. — *Neque intrà Claustra tenebo :* non toto officio meo fungïpsa mihi viderer, si, à te feriendo abstinens, te in meo thalamo captivum retinerem, cùm à sororibus meis mors certa tibi inferenda esset.

11. *Clemens : clemens* et *misero*, duo verba egregiè conjuncta!

12. *Pedes et auræ :* sive terrestri, sivè maritimo itinere fugam capessas, quid refert? fuge ociùs; quam fugæ rapiditatem necessariam apprimè indicat vox illa : *rapiunt*. — *Venus :* amantium patrona.—*Nostri memorem querelam :* inscriptionem intelligit lamentabilibus verbis notatam, et quæ uxoris servatricis suæ, memoriam et nomen retineat. — *Scalpe :* alitèr *sculpe ; scalpere* est propriè *fodere*, à verbo græco, Σκάλλω vèl Σκάπτω, *fodere* (*graver en creux.*) *Sculpere* (*graver en relief*); uterque monumentorum inscribendorum modus veteribus familiaris erat. — *Sepulcro :* subaud. *meo ;* innuit vitam à se non diù tolerandam esse, et sive vindictâ patris, sive ob mariti absentis desiderium, mortem proximam sibi imminere, undè Lynceum precatur ut ille, uxori superstes, eam tumuli et inscriptionis honoribus decoret.

ODE DUODECIMA

AD NEOBULEN.

Neobules, cui patrui minæ et objurgationes, quòd formosum quemdam juvenem amabat, extimescendæ erant, miseram sortem dolet Horatius. Sententiarum nexus hujus brevioris carminis, super cujus consilio mira commenti sunt interpretes, est ferè hic : « Miseræ profectò sunt puellæ, quæ nec amant, nec vino curas abigunt; at miseræ quoque sunt illæ, quæ quidèm amant, sed metu et sollicitudine, quâ patrui severitatem et jurgia expavescunt, cruciantur. Ejusmodi puella misera tu quoque es, Neobule, dùm Hebrum, tàm pulchritudine quàm juvenilibus artibus insignem, perditè amas. » Metrum odes est prorsùs inusitatum, et commodam Græcorum poetarum facilitatem redolet, undè ab uno ex iis et materiem et ipsam quoque carminis formam depromptam fuisse multi suspicati sunt.

Miserarum est [1], neque amori dare ludum, neque dulci
Mala vino lavere; aut exanimari, metuentes

1. *Miserarum est :* miseræ sunt puellæ quæ non amant; miseræ, quæ, cùm ament, curas amatorias vino saltèm diluere reformidant; miseræ tandèm, quarum amor patrui severi objurgationibus perturbatur. — *Dulci Mala vino lavere : lavere* pro *lavare*, tertiæ conjugationis, ut infr. Od. IV, 26 : *Phœbe qui Xantho lavis amne crines.* — *Patruæ verbera linguæ :* verba dura et aspera, quæ non minùs acritèr pungunt et cruciant quàm plagæ. Patruorum autèm severitas in proverbium abierat, qui, patre præsertìm defuncto, paternam in fratris filios auctoritatem, nec eam tàm vivido mentis affectu temperatam exercere solent.

Patruæ verbera linguæ. Tibi [2] qualum [3] Cythereæ
Puer ales, tibi telas, operosæque Minervæ
Studium aufert, Neobule, Liparei nitor Hebri,
Simùl unctos Tiberinis humeros lavit in undis,
Eques ipso melior Bellerophonte [4], neque pugno,
Neque segni pede victus; catus idem per apertum
Fugientes agitato grege cervos jaculari, et
Celer alto latitantem fruticeto excipere aprum.

2. *Tibi :* talis est tua conditio, ò Neobule ; amas perditè Hebrum, pulcherrimum juvenem; sed amoribus tuis officit patrui tui rigor. Oh! quantùm sorti tuæ indoleo, quæ depereas adolescentem quo non alter formosior, non alter tuis affectibus dignior!

3. *Qualum :* cistam viminеam, in quâ pensa sua et pensorum instrumenta, ut acu, forcipes, etc., mulieres deponebant. — *Minervæ studium :* studium lanificii ; cui *operosa,* id est laboris amans Minerva præsidet. Porrò studia et legitima exercitia ab amore violento languere et aboleri nemo nescit. Sic in nostri Racinii *Phædrâ* Hippolytus amorem suum in Ariciam testatur : *Mon arc, mes javelots, mon char, tout m'importune ;* Act. II, scen. II. — *Liparei :* è Liparâ, Æoliarum insularum unâ, oriundi, quæ sitæ sunt è regione Siciliæ orientalis, et ad septentrionem versæ. — *Nitor Hebri :* pulchritudo Hebri, quæ Neobules oculos tùm maximè perculit, *simùl,* quotiescumque è Tiberinis undis, humeros, de more, unctus, emersit. *Tèr uncti transnanto Tiberim ;* infr. Sat. II, 1, 8.

4. *Eques ipso melior Bellerophonte :* qui Pegasum domuit, Chimæramque proflixit. — *Neque pugno victus :* semper in pugilatu victor. — *Neque segni pede :* cursu excellens.—*Catus :* doctus, peritus, ut suprà Od. I, 10, 3. — *Fugientes agitato grege cervos :* gregatìm fugientes. — *Celer excipere :* ut supr. Od. I, 15, 18 ; *celerem sequi Ajacem.* — *Excipere :* verbum venatorium. *Caprum Exciperе insidiis,* Virg. Ecl. III, 18.

ODE DECIMA TERTIA

AD FONTEM BANDUSIUM.

Fontem Bandusiæ, non procùl à suâ villâ in Sabinis, scaturientem, Horatius immortalitati consecrat, nuntiatque se in honorem Nymphæ quæ huic fonti præsidet, crastino die, vinum libando, et hædum mactando, sacrificium instituturum esse.

O FONS Bandusiæ [1], splendidior vitro,
Dulci digne mero, non sine floribus,
Cràs donaberis hædo,
Cui frons turgida cornibus
Primis et venerem et prælia destinat.
Frustrà [2]; nàm gelidos inficiet tibi

1. *O fons Bandusiæ :* Bandusia, non *Blandusia* (ut vulgò legitur), est agri Sabinensis regio, in quâ Horatii ager situs fuit. Nonnulli putant ipsum fontem *Bandusii* nomine appellatum fuisse. Meras nugas! Quidquid sit, fons ille quem Noster celebrat, idem est ac ille de quo loquitur, infr. Epist. I, 16, 12; *Fons etiàm rivo dare nomen idoneus, ut nec Frigidior Thracam, nec purior ambiat Hebrus.* — *Dulci digne mero :* digne cui dulce vinum libetur. — *Non sine floribus : Fontinalia*, inquit Varro, de Ling. latin. V, 3, feriæ erant fontibus dicatæ, quibus et *coronæ in fontes conjici*, et *putei coronari* solebant. — *Cràs donaberis hædo* : cràs in honorem tuum hædus immolabitur. — *Cui frons turgida cornibus Primis :* post primum vitæ annum, nascentia cornua hædorum fronti incipiunt exstare. — *Venerem et prælia destinat :* aptum jàm facit ad Venerem ineundam, et ad rivales armis juvenilibus propulsandos. Confer Virgil. Georg. II, 526 : *Inter se adversis luctantur cornibus hædi.*

2. *Frustrà :* nàm per Horatium obstabit quin hædus ille, morti præmaturæ ab eo deditus, naturæ votum fatumque suum adimpleat. — *Tibi :* in honorem

Rubro sanguine rivos
Lascivi soboles gregis.
Te flagrantis atrox hora Caniculæ [3]
Nescit tangere; tu frigus amabile
Fessis vomere tauris
Præbes, et pecori vago.
Fies nobilium tu quoque fontium [4],
Me dicente cavis impositam ilicem
Saxis, undè loquaces
Lymphæ desiliunt tuæ.

tuum. — *Lascivi soboles gregis: lascivi*, ut passìm de bircis, de hædis et capellis. *Florentem cytisum sequitur lasciva capella;* Virg. Ecl. II, 64.

3. *Te flagrantis atrox hora Caniculæ:* pars anni torrida, quà *Canis*, sive *Sirius*, oritur, in fine mensis Julii. *Hora* pro unâ è quatuor anni tempestatibus accipitur; *Septembribus horis*, infr. Epist. I, 16, 17. *Spectandique morâ brumales porrigis horas;* Ovid. Metam. IV, 199. — *Nescit tangere:* proptèr densissimos arborum ramos quibus ripæ tuæ cousitæ sunt, quæque solis ictus à te excludunt.

4. *Fies nobilium tu quoque fontium:* subaud. *unus;* alludit ad fontes illos poetarum carmine nobilitatos, *Hippocrenen, Dircen, Arethusam*, etc. — *Me dicente:* dùm ego te celebro, et ea immortalibus versibus indico, quibus posteri te quondàm invisuri, à cæteris fontibus te secernere et agnoscere queant, *ilicem*, v. g. in perpetuum repullulaturam, quæ *saxis* imminet *cavis*, in antri formam excavatis.—*Undè loquaces Lymphæ:* ut Ovid. Fast. II, 316: *Garrulus in primo limine rivus erat.* Sic Virg. arbores etiàm ac ventos *loquaces* facit; *argutumque nemus, pinosque loquentes;* Eclog. VIII, 22.

ODE DECIMA QUARTA

AUGUSTI EX HISPANIA REDITUS.

Cùm Augustus, Cantabris perdomitis, ex Hispaniâ victor in Urbem rediret, diem festum poeta publicè Augusti conjugi, sorori, et aliis matronis nuptisque puellis, sibi privatìm celebrandum, hoc carmine indicit. Lætitiæ autèm suæ de felici Augusti reditu indulsurus est ità, ut, dùm illæ solemni pompâ ad supplicationes prodeant, ipse inter vini vetustioris pocula, et inter amoris lusus (ad quos arcessi jubetur Nœra, psaltria), summâ hilaritate hunc diem transigat.

Herculis ritu [1] modò dictus; ô plebs,
Morte venalem petiisse laurum,
Cæsar Hispanâ repetit Penates
Victor ab orâ.
Unico gaudens mulier marito [2] 5

1. *Herculis ritu :* ad exemplum Herculis, qui, cùm varias regiones victoriis suis illustravisset, tùm demùm Hispaniam fines usquè ad Gaditanos peragravit, et ibi aliquandiù substitit, undè locus ille *columnarum Herculearum* nomen sumpsit, quod etiàm nùnc retinet. — *Modò dictus :* quem recentèr unanimi voce populus Romanus dolebat, tot et tanta pericula lacessivisse. — *Lauruṇ morte venalem :* quæ non sine vitæ discrimine emi potest.

2. *Unico gaudens mulier marito :* alii legunt *unicè :* sensus idem. Non significat Horatius Liviam, Augusto conjugi suo fidam esse; quæ laus, ut imperatrici exigua, ità cæteris mulieribus Romanis injuriosa foret; sed Liviam, omnem suam felicitatem in Augusti reditu et gloriâ reponere. Conjugem recepisse incolumem, *unica* res erat

Prodeat, justis operata Divis,
Et soror clari ducis, et decoræ
Supplice vittâ
Virginum matres, juvenumque nupèr
Sospitum. Vos, ô pueri, et puellæ
Jàm virum expertæ [3], malè nominatis
Parcite verbis.
Hic dies, verè mihi festus, atras

quæ contristatum Liviæ animum recreare posset. — *Prodeat:* procedat taudèm in publicum, quæ, tribus abhinc annis quasì vidua, dolores suos in ædibus suis recondebat. — *Justis operata Divis:* ut sacrificium solemne celebret in honorem deorum, qui se *justos* professi sunt, cùm Augustum sub tutelâ suâ positum, bellorum periculis eripuerint. — *Et soror clari ducis:* Octavia, Marcelli primùm, deindè Antonii relicta. — *Juvenumque nupèr Sospitum:* qui incolumes è bello Hispanico cum imperatore redierunt.

3. *Vos, ô pueri et puellæ, Jàm virum expertæ:* juvenes maritos, juvenes maritas invitat, ut in hâc solemni pompâ, *malè nominatis verbis parcant;* id est, ut linguis faveant. Vide notas in Od. I, 2, hujus libri. Vix credibile est quantùm insudaverint poetæ nostri interpretes, ut textum primitivum, intellectu facillimum, aut mutarent, aut ad sensum peculiarem et omninò absurdum detorquerent. Illi, lectione, *vos, ô pueri et puellæ, Jàm virûm expertes*, quæ *Cuninghamii* debetur ingenio, in textum receptâ, de pueris, qui patribus, et de puellis, qui maritis suis in bello privatæ sint, agi autumant. Sed, ut nihil dicam, quòd rectè jàm monuit *Gesnerus*, importuno planè loco sic rei tristissimæ jàm mentionem fieri, ipse usus loquendi huic explicationi repugnat. *Puella* enim *viri expers*, ea demum rectè ità dicitur, quæ cum viro non consuescit, vel, ut cum Virgilio Æn. IV, 550, loquar, *vitam thalami expertem* degit; non ea, quæ viro orbata est. Et quis *pueros expertes*, ne voce quidem *patrum* adjectâ, de pueris, qui patribus suis in bello privati sint, rectè accipiat? Nec meliùs procedit ratio eorum, qui *puellas jàm virûm expertes* de innuptis interpretantur, ità ut τὸ *jàm* pro, *nùnc adhùc*, positum sit. Profectò si Horatius *jàm virûm expertes* scripsisset, haud dubiè nuptas, quæ consuetudinis cum marito hùc usque exsortes vixerant, intellexisset. Donèc igitur non meliora afferentur, antiquam lectionem servandam esse existimo. — *Hic dies verè mihi festus:* rationem reddit, cùr pri-

Eximet curas; ego nec tumultum,
Nec mori per vim metuam, tenente
Cæsare terras.
I, pete unguentum, puer [4], et coronas,
Et cadum Marsi memorem duelli,
Spartacum si quà potuit vagantem
Fallere testa.
Dic et argutæ properet Neæræ [5]
Myrreum nodo cohibere crinem;
Si per invisum mora janitorem
Fiet, abito.
Lenit albescens animos capillus [6]
Litium et rixæ cupidos protervæ.

vatus publicæ lætitiæ domesticâ solemnitate interesse velit. Non jàm *metuit tumultum*, id est, civiles dissensiones, nec *vim*, nec bellum externum. Cæsare victore et reduce, securos jàm dies acturus est.

4. *I, pete unguentum, puer :* per vividam apostrophen, ad servum suum orationem convertit, quasi impatiens moræ. — *Cadum Marsi memorem duelli : Marsi*, pro, Marsici. Belli Marsici origo hæc fuit. Italiæ populi quidam, socii Romanorum ac fœderati, quos inter præcipui erant Marsi, petierant jus civitatis, idque ipsis à Druso promissum fuerat; sed cùm subindè negaretur, hoc illi ægrè ferentes arma cepêre anno U. C. 663. Gestum vario eventu bellum, in quo magnam est adeptus laudem Cn. Pompeius Strabo, Magni pater : illud demùm Luc. Sylla, anno post tertio, confecit. — *Memorem :* mos erat Romanis inscribere in amphoræ operculo, in cortice pice oblito, quo cadus, sive lagena obturata erat, nomen consulum sub quibus vinum in amphoram diffusum foret, et in cellâ abditum.—*Si quà :* si quâ ratione fieri potuit ut etc. — *Spartacum :* Spartacus gladiator fuit, qui servis et gladiatoribus in rempublicam concitatis, servile bellum movit; anno U. C. 681, à Crasso et Pompeio, biennio post, deletus est cum suis.

5. *Dic et argutæ Neæræ :* voce canorâ præditæ, ut in illo Virgiliano; *argutos inter strepere anser olores;* Ecl. IX, 36. —*Myrreum crinem :* crines balsamo myrrino delibutos. — *Per invisum janitorem :* notat satis poeta se non semèl ab isto janitore repulsam expertum fuisse.

6. *Albescens capillus :* ætas matura, quæ juvenilem sangui-

Non ego hoc ferrem calidus juventâ,
Consule Planco.

nis ardorem temperat. — *Non ego hoc ferrem :* non tàm patientèr hanc injuriam tulissem. — *Consule Planco :* tres et viginti annos natus; nàm hæc ode fuit scripta anno U. C. 730; Plancus consulatum gessit anno 712; Horatius annum quadragesimum unum agebat, cùm Augustus ex Hispaniâ rediit.

ODE DECIMA QUINTA

IN CHLORIM.

Suadet ut Chloris jàm senescens, Pholoï filiæ suæ juveniles lusus et amores relinquat, et ipsa in lanificio, quod vetulam meliùs decet, tempus et studium consumat.

Uxor pauperis Ibyci [1],
Tandèm nequitiæ fige modum tuæ,
Famosisque laboribus.
Maturo propior desine funeri [2]
Inter ludere virgines,
Et stellis nebulam spargere candidis.
Non, si quid Pholoën satìs,
Et te, Chlori, decet; filia rectiùs [3]

1. *Uxor pauperis Ibyci :* in hàc apostrophe non parùm inest amaritudinis. Verisimile est Chorim istam, cùm se ad senium vergere sentiret, Ibyco nupsisse cuidam, pauperi, sed obsequioso; quales sibi vetulæ meretrices maritos optant, filiâ interìm ad senectutis præsidium prostitutâ. — *Nequitiæ tuæ :* nequitia, inquit Donatus, est propriè libidinosa inertia, quod nihil queat, nullique rei apta sit. — *Famosisque laboribus :* meretriciis exercitationibus, quæ te infamem fecerunt.

2. *Maturo propior funeri :* morti vicina quæ, pro ætate tuâ, non morabitur. — *Ludere :* sensu obscœno. — *Et stellis nebulam spargere candidis :* nihil hâc metaphorâ jucundius simùl et verius; finge cœtum puellarum, juventutis splendore nitentium, inter quas si subitò tristis et rugosa anus appareat, nubis similitudinem refert, quæ cœli fulgentibus astris distincti pulchritudinem intercipit, serenitatem turbat.

3. *Pholoën :* Chloridis filiam, ætatis flore vigentem. — *Filia*

Expugnat juvenum domos,
Pulso Thyias uti concita tympano.
Illam cogit amor Nothi
Lascivæ similem ludere capreæ;
Te lanæ propè nobilem
Tonsæ Luceriam [4], non citharæ, decent,
Nec flos purpureus rosæ,
Nec poti, vetulam, fæce tenùs cadi.

rectiùs : filia tua, meliori jure quàm tu, ad *juvenum domos* currit, et in eas erumpit, veluti *Thyias*, Bacchi sacerdos, *tympanorum pulsu* concitata. Innuit nullum esse juvenem tàm continentem quem Pholoë non facilè pervertat.—*Illam..... Te :* nota distributionem partium.—*Amor Nothi :* amor quem in Nothum experitur. — *Ludere :* eodem sensu quo supr.

4. *Lanæ propè nobilem Tonsæ Luceriam :* Luceria civitas est Apuliæ, circà quam lanæ optimæ tondebantur. Porrò, sæpiùs accidebat ut meretrices, inclinante ætate, à vili illo quæstu ad lanam et colum transirent.—*Nàm quæ fida fuit nulli, post victa senectâ, Ducit inops tremulâ stamina torta manu.* Tib. I, 7, 77.—*Nec poti fæce tenùs cadi :* nec comessationes ubì amatores in honorem puellarum cados ad fæcem exhauriunt.

ODE DECIMA SEXTA

AD MÆCENATEM.

Auro omnia patere, aurum tamèn summi mali materiem esse atque irritamentum, exemplis fabulosis paritèr atque historicis demonstrat Horatius. Tractatam jàm sæpius à se sententiam rursùs illustrat, scilicèt miserrimam esse divitum conditionem, veram felicitatem in aureâ mediocritate positam, seque Sabino suo prædiolo contentum, fortunatissimè vivere. Mæcenati grates agit, cui sortem suam acceptam refert.

Inclusam Danaën [1] turris ahenea,
Robustæque fores, et vigilum canum
Tristes excubiæ, munierant satìs
Nocturnis ab adulteris,
Si non Acrisium, virginis abditæ
Custodem pavidum, Jupiter et Venus
Risissent; fore enìm tutum iter et patens,
Converso in pretium Deo.

1. *Danaën :* filiam Acrisii, regis Argivorum. Is audierat se vità et solio privandum à nepote; quarè filiam, ne quis ex eâ nasceretur sibi nepos, ferreâ turri clauserat. Jupiter, ut poetæ commenti sunt, in pluviam auream conversus, è Danaë Perseum suscepit, à quo Acrisius est interfectus. Cui fabulæ occasio indè est data, quod Prœtus, Acrisii frater, corruptis auro custodibus, aditum ad Danaëm invenit. — *Custodem pavidum :* solo enìm timoris sensu, Acrisius patrios affectus exuerat, natamque tenebat sub *custodiâ*. — *Fore enim tutum iter et patens :* subaudi, *intelligebant;* quâ abruptiore structurâ magnam vim oratio poetica accipit. — *Converso in pretium Deo : pretium*

Aurum, per medios ire satellites,
Et perrumpere amat saxa, potentius
Ictu fulmineo [2]. Concidit auguris
Argivi domus, ob lucrum
Demersa exitio. Diffidit urbium
Portas vir Macedo [3], et subruit æmulos
Reges muneribus. Munera navium
Sævos illaqueant duces.

apposità pro, *aurum;* hoc vocabulo enim res, quæ in fabulâ latet, adulterum nempè viam ad Danaën, custodibus auro vel pretio corruptis, aperuisse, simùl innuitur. Ovid. Am. III, 8, 30 : *Jupiter admonitus nihil esse potentius auro, Corruptæ pretium virginis ipse fuit;* et hinc apud eumdem Met. IV, 610, Danaë Perseum *pluvio auro* concepisse dicitur.

2. *Potentius Ictu fulmineo :* quæ enim solis fulminis ictibus frangi posse videbantur saxa, auro quoquè non semel pervia, et ab eo disrupta fuerunt. — *Auguris Argivi :* Adrastus, Argivorum rex, sororem suam Eriphylen Amphiarao, auguri peritissimo, in matrimonium collocaverat. Profecturus deindè ad bellum Thebanum, ut ortam inter Polynicem generum suum et Eteoclem fratres, OEdipi filios, controversiam de regno componeret, nullum non movit lapidem, ut ad istius belli societatem pertraheret Amphiaraum, qui se in eodem bello periturum cognoverat. Ad extremum, monile auro et gemmis ornatum Eriphylæ donavit, quæ persuasit viro suo Amphiarao, ut bellum peteret. In quo ille, terrâ sub pedibus ruptâ et hiante, absorptus fuisse perhibetur. Eriphyle non ità multò post ab Alcmæone filio est interfecta : Alcmæon ab Adrasto, etc. Sic unius mulieris avaritia in causâ fuit cur nobilissima familia periret. Juvenc.

3. *Vir Macedo :* Philippus, Alexandri Magni pater ; qui, cùm urbem aliquam expugnari non posse audivisset, ingenio scilicet loci aut arte operibusque munitam, rogitavit nùm in eam onustus auro mulus subire posset ; tùmque nihil esse moræ, quìn facilè caperetur, affirmavit. In.—*Subruit æmulos reges muneribus : subruere*, quod propriè de eo, qui machinis vel operibus muros destruit dicitur, appositè transfertur ad eum, qui auro et muneribus, tanquàm machinis, alterius potestatem subvertit. — *Munera navium Sævos illaqueant duces : sævos* duces navium appellat, quià vulgò ferociores, quàm duces exercituum terrestrium videntur, et ideò ad corruptionem minùs faciles. Hic allusisse Horatium crediderim ad Menodorum qui, mu-

Crescentem sequitur cura pecuniam [4],
Majorumque fames. Jure perhorrui
Latè conspicuum tollere verticem.
Mæcenas, equitum decus.
Quantò quisque sibi plura negaverit [5],
A Dîs plura feret. Nil cupientium
Nudus castra peto, et transfuga, divitum
Partes linquere gestio;
Contemptæ dominus splendidior rei [6],
Quàm si, quidquid arat non piger Appulus,
Occultare meis dicerer horreis,
Magnas inter opes inops.

neribus corruptus, à Pompeïo, cujus classi præfectus fuerat, ad Augustum defecit, Augustoque vicissim relicto, ad Pompeïanas partes rediit. Vide Dion. XLVIII, 45, et XLIX, 1.

4. *Crescentem sequitur cura pecuniam :* sic connecte generalem sententiam cum præcedentibus; quantacumque sit vis divitiarum, nequaquàm tamèn expetendæ sunt. Dominum enìm gravissimis curis obruunt, dùm ipsi cupiditatem ingerunt, sine fine cum ipsis opibus crescentem; ut enìm ait Juvenal. XIV, 139, *Crescit amor nummi quantùm ipsa pecunia crescit.*

5. *Quantò quisque sibi plura negaverit :* quantò plura quispiam suæ cupiditati denegaverit (id est quantò paucioribus contentus esse voluerit, suæ cupiditati morem non gerens, vel suam cupiditatem refrænans), tantò majorem deorum in se liberalitatem experietur, et tantò ditior ab aliis reddetur, utpotè jàm contentus iis quæ habet. Tritum etiam illud : *Quis plurimùm habet? is qui minimùm cupit.* — — *Nil cupientium Nudus castra peto :* etsi non dives, partes eorum amplector qui non majora expetunt, quàm quæ possident. O divinum Horatium, exclamat hic Joan. Bond, quem in hoc utinàm Christiani imitarentur! — *Transfuga :* vox illa *transfuga* iis vocibus, *castra peto, partes linquere*, apprimè respondet.

6. *Contemptæ dominus splendidior rei :* altiorem locum in opinione publicâ tenens; à meis civibus, à te, Mæcenas, plurìs æstimatus, cum re meâ tenuissimâ, quæ forte à vulgari ingenii hominibus contemnitur.— *Occultare :* rectè quidèm dicit *occultare;* non enìm miser est qui magnam frumenti copiam in horreis suis, legitimus possessor et liberalis dispensator, congerit; sed qui congestæ avarus incubat, et de publicâ egestate lucrum immensum, annonam

Puræ rivus aquæ [7], sylvaque jugerum
Paucorum, et segetis certa fides meæ,
Fulgentem imperio fertilis Africæ
Fallit sorte beatior.
Quamquàm nec Calabræ mella ferunt apes,
Nec Læstrygoniâ Bacchus in amphorâ [8]
Languescit mihi, nec pinguia Gallicis
Crescunt vellera pascuis;
Importuna tamen pauperies [9] abest;
Nec, si plura velim, tu dare deneges.
Contracto melius parva cupidine
Vectigalia porrigam,

flagellando, sibi quærere meditatur.

7. *Puræ rivus aquæ..... Fulgentem imperio fertilis Africæ Fallit :* hornm verborum sententia Græcè nescientibus obscura est. Ait autem hanc possessiunculæ suæ in Sabinis sortem meliorem multo ac beatiorem esse fertilis Africæ imperio, quamvis enm, qui ibi imperet, hoc fugiat. Græci ergò sic verbo λανθάνειν utuntur, ut Horatius verbo *fallere*, ut λανθάνειν τινά ποιούμενος τί, ille dicitur, qui quid faciens alium fallit, hoc est clàm illo facit ac latet. Malè hunc locum, Torrentii interpretatione, intellectu facillimum emendare, novâ interpunctione notare voluerunt Walkefeldins et Dæring.

8. *Læstrigoniâ in amphorâ :* in amphorâ Formianâ, à Formiis, oppido Campaniæ, in cujus vicinio optimum vinum exprimebatur. Vid. supr. Od. I, 20, 12. Ibi suas quondàm Læstrigones sedem habuisse dicuntur, populus è Siciliâ oriundus. *Languescit :* veterascit, ut infr. Od. III, 21, 8 : *Promere languidiora vina. — Pinguia vellera :* qualia gerunt oves Galliæ, quæ pingues et crassæ, et ideò pretiosiores habebantur, teste Columell. VII, 2, 4.

9. *Importuna pauperies :* molesta et extrema. — *Contracto melius parva cupidine Vectigalia porrigam :* verbo *contracto* opponitur verbum illud, *porrigam. Vectigalia*, de annuis reditibus quos ex agello suo percipit, nequaqnàm verò de publicis tributis quæ à se facilius exsolvenda essent, intellige. Eodem sensu, *ego vectigalia magna, Divitiasque habeo tribus amplas regibus*, infr. Sat. II, 2, 100. Sic in Ciceronis Paradox. VI, 3, eamdem ac Noster sententiam, iisdem ferè verbis expressam reperias: *Ex meo tenui vectigali, detractis sumptibus cupiditatis, aliquid etiàm re-*

Quàm si Mygdoniis regnum Alyattei [10]
Campis continuem. Multa petentibus
Desunt multa; benè est cui Deus obtulit
Parcâ, quod satis est, manu.

dundabit. Hìc igitur, *porrigere vectigalia*, est tantùm addere reditui suo, quantùm cupiditatibus detractum fuerit.

10. *Alyattei :* regis Lydiæ, Crœsi Patris.—*Mygdoniis:* Phrygiis; vid. supr. Od. II, 12, 22. — *Continuem : continuare* agros dicuntur qui, magnos agros ità occupant, ut omnia eorum rura inter se juncta sint et uno tenore procurrant. — *Benè est :* felicem illum rectè judicaveris, cui Deus dedit parcâ quidèm manu, sed tamèn dedit, quod ad vitam mediocritèr degendam sufficit.

ODE DECIMA SEPTIMA

AD ÆLIUM LAMIAM.

De procellâ posterum diem contristaturâ, cornicis augurio, admonitus Horatius, Lamiam suum, eumdem de quo supr. Od. I, 26, invitat ut diem illum læto convivio transigat; simùl antiquam amici sui et nobilissimam originem laudat.

Æli [1], vetusto nobilis ab Lamo,
(Quandò et priores hinc Lamias ferunt
Denominatos, et nepotum
Per memores genus omne fastos;)
Auctore ab illo [2] ducis originem,

Æli : Ælia gens in primis clara, non tamèn patricia, multis distincta cognominibus, atque in diversas familias propagata, omnes Romæ honores, ac tandem etiàm imperium adepta est, atque optimos orbi terrarum principes Antoninos dedit. — *Vetusto nobilis ab Lamo :* Neptuni filio, antiquissimo Læstrigonum, in Campaniâ, rege. Vide Homerum, Odyss. X, 81. — *Quandò :* siquidèm. — *Priores :* antiquissimos gentis tuæ auctores. — *Hinc Lamias denominatos :* fuit enim illud apud Romanos nobilitatis studium, ut originem gentis suæ præcipuè repetereut à similitudine nominis, quo quis antiquitùs et præsertìm in bello Trojano, insignem gloriam consecutus fuisset. — *Et nepotum Per memores genus omne fastos :* sic construe : si quidèm ferunt *genus omne nepotum*, sic (Lamiarum scilicèt nomine) appellatum fuisse per fastos, h. e. per annales historicos, *memores*, qui fidam rerum præteritarum memoriam retinuerunt.

2. *Auctore ab illo :* Formiarum scilicèt Lamo conditore; quanquàm civitas hic memorata,

Qui Formiarum mœnia dicitur
Princeps, et innantem Maricæ
Littoribus tenuisse Lirin,
Latè tyrannus; cràs foliis nemus
Multis, et algâ littus inutili [3]
Demissa tempestas ab Euro
Sternet, aquæ nisi fallit augur
Annosa cornix. Dùm potes, aridum
Compone lignum [4]; cràs Genium mero

regnante Lamo, nondùm Formiarum nomen acceperat; Strabo etenìm, lib. V, narrat hanc urbem, qualiscumque primitivus esset ejus status, à Laconibus, *Hormias* sive *Formias* appellatas esse, δία τὸ εὔορμον, hoc est, proptèr portûs commoditatem. — *Et innantem Maricæ Littoribus tenuisse Lirin:* ager Minturnensis designatur per fluvium Lirin, de quo supr. Od. I, 31, 7, qui per paludes Minturnenses in mare effunditur. Jàm verò, cùm *Marica*, nympha, Fauni uxor et Latini mater (Virgil. Æn. VII, 47), ut dea tutelaris à Minturnensibus magnâ religione in luco, ad ipsum flumen Lirin ei consecrato, colerètur, *Liris Maricæ litoribus* doctiùs pro, agro Minturnensi, *innare* dicitur. Similitèr Minturnensium regio describitur ap. Lucan. II, 424; et Martial. XIII, 83. — *Latè tyrannus:* latè regnans, ut vulgò àpud Homerum, εὐρυκρείων.

3. *Algâ inutili:* alga, herba nullius pretii quam mare ad littus projicit. *Projectâ vilior algâ,* Virg. Eclog. VII, 42. — *Augur aquæ cornix:* quæ suâ crocitatione pluviam prognosticatur. *Tùm cornix plenâ pluviam vocat improba voce:* Virg. Georg. I, 388. — *Annosa:* cornices novem nostras ætates, id est, annos circitèr 300 vivere primus cecinerat Hesiodus, fabulosè, ut ait Plinius, VII, 48. Illam vix ad decimum annum pervenire asserit Buffo, naturæ et veri sagacior indagator et interpres; veteres probabile est cornicem cum corvo confudisse, qui, reverà, teste eodem Buffon. ultrà centum annos vitam producit. *La vie de la corneille se réduit à neuf années, et celle du corbeau à cent huit, comme il est prouvé par l'observation;* Hist. natur. (*Oiseaux*) t. V, p. 43, 1775, in-12, edition. Luparensi.

4. *Dùm potes, aridum Compone lignum:* para igitùr lignum aridum, dùm illud aridum adhùc parare licèt. — *Genium mero Curabis et porco bimestri:* lætum institues convivium; qui hilaritati indulgebant, gratum aliquid facere se putabant Genio

Curabis et porco bimestri, 15
Cum famulis operum solutis.

sub cujus tutelâ positi erant; undè, *Genio litare, Genium placare*, pro, *lætam vitam degere*. — *Cum famulis operum solutis*: *Luce sacrâ requiescat humus, requiescat arator, Et grave suspenso vomere cesset opus;* Tib. II, 1, 5.

ODE OCTAVA DECIMA

AD FAUNUM.

Hunc hymnum in Faunum ipso Faunalium die inter sacrificandum poeta cecinisse putandus est; in cujus primâ quidèm parte, piè precatur Faunum, ut, si sacra ejus ritè instituat, placidus agris suis adesse et tenero pecudis fœtui tutelâ suâ præesse velit; in alterâ verò, summam, cui homines pecudesque Nonis Decembribus in toto pago vacent, describit lætitiam. Ceterùm bis sacra quotannis Fauno, ut deo, in cujus peculiari tutelâ esset pecus, Romanos fecisse, primùm quidèm Idibus Februariis (Ovid. Fast. II, 193 : Idibus agrestis fumant altaria Fauni), deindè Nonis Decembribus, ut ex hoc carmine discimus, apud eos qui de Festis Romanorum exposuerunt, cognoscere licèt. — De Fauno gregibus incolumitatem præstante vide supr. I, 17.

Faune, nympharum fugientûm amator [1],
Per meos fines et aprica rura
Lenis incedas, abeasque parvis
Æquus alumnis;

1. *Nympharum fugientûm amator :* fugiunt nymphæ, proptèr deformitatem deorum illorum agrestium, quos cornibus frontem armatos, villis turpibus horrentes, et pedibus hircinis incedentes, poetæ simulant; necnon proptèr inelegantem lasciviam, cujus cùm multi alii, tùm præcipuè D. Augustinus meminit, De Civitate Dei, XV, 33. — *Lenis :* mitis, placidus. — *Parvis Æquus alumnis :* non recedas a meâ villulâ, nisi propitius tenero gregis fœtui, agnis nempè et hædulis; sic, *dulces alumni*, paritèr de tenerâ gregis sobole, infr. III, 23, 7.

Si tener pleno cadit hædus anno [2],
Larga nec desunt Veneris sodali
Vina crateræ, vetus ara multo
Fumat odore.
Ludit herboso pecus omne campo,
Quum tibi Nonæ redeunt Decembres [3],
Festus in pratis vacat otioso
Cum bove pagus.
Inter audaces lupus errat agnos [4],
Spargit agrestes tibi sylva frondes,
Gaudet invisam pepulisse fossor
Ter pede terram.

2. *Pleno anno :* quotannis; postquàm annus circulum suum complevit.—*Veneris sodali crateræ :* notum Veneris et Bacchi consortium. Innuit poeta se non libationibus solùm, sed amatoriis exercitationibus Faunalia celebrare. — *Vetus ara :* non recentèr, sed multis jàm indè abhinc annis in honorem tuum instituta. Sìc pietatis suæ auget indicium.

3. *Nonæ Decembres :* diem quintum mensis Decembris intelligit, quo tempore greges in stabula à pascuis revocati sunt. Sed, Faunalium die, libertate fruebantur, et pagi incolæ cum pecoribus otio indulgebant.

4. *Inter audaces lupus errat agnos :* inter agnos, tui numinis præsidio fretos, nec quidquam à luporum rabie, per Faunalia metuentes. Sìc supr. Od. I, 17, 15 : *Impunè tutum per nemus arbutos Quærunt latentes.* Sìc apud Virgilium, Ecl. IV, 22 : *Nec magnos metuent armenta leones.* — *Spargit agrestes tibi sylva frondes :* folia mense Decembri, præ frigore et suâpte naturâ decidua, è frondibus in terram, honorifici substraminis causâ, per Faunalia delabi, poeticè fingit Horatius. — *Fossor :* qui viueam, præcipuè fodiendo, excolit. —*Tèr :* illud adverbium ad pedis ictus, et saltationis numeros referendum est. Triplici enìm pulsu, saltationis mensura vulgò notatur (*la mesure à trois temps*). — *Invisam :* annuorum laborum, et ideò tòt ærumnarum causam.

ODE DECIMA NONA

AD TELEPHUM.

Instat poeta maturando, quod in novi auguris Murenæ honorem cum sodalibus suis instituturus est convivio. Pars hujus sodalitii est Telephus, doctrinæ inprimìs, ut videtur, laude conspicuus, et eo ipso fortè tempore in ordinandâ et enarrandâ historiâ græcâ occupatus. Hunc igitùr poeta jàm mittere rerum doctarum et abstrusarum disquisitionem, et id potiùs, quod ad convivium apparandum spectet, agere jubet. Mòx, quasi in medio convivio jàm versetur, et in eo Symposiarchi partes agat, leges bibendi proponit, et quot quisque pocula in Lunæ, Noctis et auguris Murenæ honorem sumat, edicit. Tùm, moræ impatiens, ut tibiâ statìm, fistulâ et lyrâ canatur, rosæ spargantur, et strepitus, quem non sine invidiâ morosus quidèm senex Lycus cum conjuge suâ adhùc adolescentulâ in viciniâ audiat, ab insanientibus conviviis excitetur, vehementiùs imperat. Deniquè, ut amorum quoque in hilari convivio celebrando fiat mentio. Telephi felicitatem, quòd ille sponte à Rhode petatur, prædicat; de suo autèm infortunio, quod Glyceræ sibi in amore paret asperitas, queritur.

QUANTUM distet ab Inacho
Codrus [1], pro patriâ non timidus mori,

1. *Quantùm distet ab Inacho Codrus:* Inachus, primus Argivorum rex, Abrahamo ferè coætaneus, urbem suam anno à Creatione bis millesimo nonagesimo tertio (2093) condidit. Codrus, ultimus Atheniensium rex, anno bis millesimo octingentesimo septuagesimo septimo occidit(2873). Octingenti igitùr fermè anni Inachum inter et Codrum effluxerant. Quod quidèm temporis spa-

Narras, et genus Æaci,
Et pugnatà sacro bella sub Ilio;
Quo Chium pretio cadum [2]
Mercemur, quis aquam temperet ignibus,
Quo præbente domum, et quotâ
Pelignis caream frigoribus, taces.
Da Lunæ properè novæ [3],
Da Noctis mediæ, da, puer, auguris

tium cùm historicè tractaret Telephus, non mirum eum in seriis occupatum, minùs promptum fuisse in peragendis cum Horatio nocturnis compotationibus. — *Pro patriâ non timidus mori :* orto inter Dorienses et Athenienses bello, responsum ab oraculo fuerat, eos superiores fore, quorum dux in acie cecidisset. Codrus hostium agmen ingressus, sumptâ pastorali veste, dùm rixam cum gregario milite de industriâ movet, ab eo interfectus est. Ità suis victoriam peperit. — *Et genus Æaci :* Jovem, Æacum, Peleum, Achillem, Pyrrhum. — *Sacro sub Ilio :* sacrum vocat Ilium, cujus muri à Neptuno et Apolline conditi fuerant.

2. *Chium cadum :* Chios insula est maris Ægei, inter Samum et Lesbum, vini generosi etiàm nùnc ferax. — *Mercemur :* communi igitùr sumptu (gallicè, *en pique-nique*) convivari debebant. — *Quis aquam temperet ignibus :* quis balneum calefaciat; veteres enìm non nisì loti discumbebant. — *Quo præbente domum :* nàm, cùm cœna communi convivarum sumptu instrueretur, pacisci necesse erat in cujus domo convenirent. — *Quotâ :* subaud. *horâ*.

3. *Da Lunæ properè novæ :* se jàm media inter pocula versantem videt Horatius; rex convivii imperat. Nota quàm triplici illâ repetitione, *da Lunæ novæ, Da Noctis mediæ, da auguris Murenæ* (subaud. *poculum*), lætitiæ quam præcipit sensum vividè efferat. Porrò solebant Romani eorum nomina quorum in honorem et gratiam bibebant totiès commemorare quotiès biberent. Sic Athenæus cyathum Demetrii, et Antigoni regis vocat; sic Horatius suprà, *cyathos amici sospitis*. Cùr autèm Lunæ novæ meminit? An quià Calendis, hoc est, primâ mensis die, institutum hoc fuit convivium? mensis autèm olìm à nascente lunâ ducebat initium. An quià ineunte nocte, cùm luna primùm oriebatur, compotare cœpit, ità ut luna dicatur hìc *nova*, quo modo dicitur manè sol *novus*, cùm oritur; ver *novum*, cùm incohatur? — *Da Noctis mediæ :* ergò cœna ad mediam noctem saltèm producenda erat, et ad ipsam lucem protrahenda. — *Da, puer, auguris Murenæ. Auguris Murenæ :* Licinius Mu-

Murenæ : tribus, aut novem
Miscentur cyathis pocula commodis [4].
Qui Musas amat impares,
Ternos tèr cyathos attonitus [5] petet
Vates. Tres prohibet suprà
Rixarum metuens tangere Gratia
Nudis juncta sororibus.
Insanire juvat [6]; cùr Berecynthiæ
Cessant flamina tibiæ?
Cùr pendet tacitâ fistula cum lyrâ?

rena, frater Liciniæ de quâ dictum, creatus recèns augur fuerat. Quià verò augures fermè auguria captabant manè, quidam suspicantur Horatium tria indicavisse tempora; vespertinum quo luna surgit, mediam noctem, et matutinum; quasì qui totam noctem traducere potando velit. Juvenc.

4. *Tribus aut novem Miscentur cyathis pocula commodis :* sine ullo incommodo exhauriri possunt, à poetis scilicèt, qui Musarum amantes, in furorem sese proripere non reformidant; cyathi *novem;* à convivis verecundioribus, qui decentes Gratias lædere timent, *tres* tantummodò. Quod in sequentibus fusiùs explicabitur. Quid antèm significat *miscere pocula cyathis?* si idem valerent hæc duo verba, *pocula et cyathi*, ut multi interpretes arbitrati sunt, Horatius dixisset : *miscere pocula poculis*, quod sensu omni vacuum est. Nodum solertiùs solvit Rodellius, cujus opinioni Boivinius et Sanado adhærere non dubitaverunt. *Poculum* erat vas ipsum quod ori exhauriendum admovebatur; *cyathus* verò vasculum multò minùs capax, quo, veluti mensurâ quâdam, utebantur convivæ ad implendum *poculum*. Porrò, prout largiùs vel parciùs bibere institutum erat, plures vel pauciores *cyathi* in *poculum* infundebantur. Admissâ hâc ingeniosâ solutione, nulla jàm in versu Horatiano obscuritas.

5. *Attonitus :* furore poetico correptus. — *Tres suprà :* ultrà tres cyathos. — *Gratia nudis juncta sororibus :* tres Gratiæ, Aglae, Euphrosina et Thalia, vinculo quasì sororio inter se junctæ, et nudæ in antiquis monumentis sempèr apparent.

6. *Insanire juvat :* nexus sententiæ : Ego, vates, Gratiis valedico, et fidus Musarum satelles, ternos tèr cyathos, non tres tantùm petam. Sic suprà Od. II, 7, 28 : *Recepto Dulce mihi furere est amico.* — *Cùr Berecynthiæ Cessant flamina tibiæ?* moras indignatur; cùr non jàm audit tibiam illam Cybelæ consecratam, cujus sonis audientes in

Parcentes ergo dexteras
Odi; sparge rosas; audiat invidus [7]
Dementem strepitum Lycus,
Et vicina seni non habilis Lyco.
Spissâ te nitidum comâ [8], [25]
Puro te similem, Telephe, Vespero
Tempestiva petit Rhode;
Me lentus Glyceræ torret amor meæ.

furorem rapiuntur? et, si absit Phrygia tibia, cur silet fistula? cur mnta pendet Pindari, Sapphûs et Alcæi lyra? Totus ille locus æstu poetico plenus est, poetæque simùl et egregii potatoris delirium spirat. — *Sparge rosas :* sic suprà Od. I, 36, 15: *Neu desint epulis rosæ.*

7. *Audiat invidus :* cùr *invidus?* quià scilicèt senex maritus timet ne juvenis sponsa frigidas suas noctes cum nocturnâ vicinorum hilaritate et dementiâ comparans, morosum et fastidiosum conjugem eò magìs aversetur. — *Non habilis :* ætate suâ cum Lyci ætate non congruens.

8. *Spissâ te nitidum comâ : coma*, decoris et vigoris simùl signum est. — *Puro te similem, Telephe, Vespero: Vesper*, stella est Veneris nomine dicta, quæ prima, sole fugiente, apparet, quæ, sole renascente, ultima recedit. Obvia autèm passìm apud poetas pulchros inter juvenes et Venereum sidus comparatio. Sic Virg. de Pallante, Æneid. VIII, 589: *Qualis ubì Oceani perfusus Lucifer undâ Extulit os sacrum cœlo;* sic et Noster, suprà Od. III, 9, 21 : *Quanquùm sidere pulchrior Ille est.—Tempestiva :* non solùm matura viro, sed eâ ætate florens, quæ tnæ ætati consentanea est; sic Lyco Telephus opponitur. — *Me lentus Glyceræ torret amor meæ :* sic Tibullus I, 4, 81 : *Heu, heu! quàm lento Marathus me torret amore!*

ODE VIGESIMA

AD PYRRHUM.

Cùm Pyrrhus quidàm Nearchum, puerum formosissimum, amasiæ suæ eripere conaretur, monet eum Horatius rem esse periculo plenam, imò et sine fructu, quòd superbus ille puer amatores fastidiat. Argumenti inverecundiam allegoriâ velat, dùm puellam Nearchi amore perditam cum leænâ comparat pro catulis animosè decertante. Totum verè carmen à poetâ quodam græco expressum ferè verbo ad verbum fuisse testantur propria actorum nomina, necnon ipsa carminis materies et tractandi ratio.

Nox vides quanto moveas [1] periclo
Pyrrhe, Getulæ catulos leænæ?
Dura post paulò fugies inaudax
Prælia raptor,
Quùm per obstantes juvenum catervas, 5

1. *Moveas :* à cubili amovere tentes. — *Getulæ leænæ :* Getulia, pars Africæ, quæ *leonum arida nutrix*, suprà Od. I, 22, 15; sic et *Getulus leo*, Od. I, 23, 10. — *Post paulò :* allegoriam sustinet. Vix imprudentem manum ferocissimæ leænæ catulis admoveris, *durum* tibi *prælium* ineundum erit, cui utpotè nimis impar, salutem tuam in timidâ fugâ quærere cogêris. — *Inaudax :* hanc vocem hactenùs inusitatam, et nusquàm alibi adhibitam, è græco, ἄτολμος, videtur mutuatus fuisse Horatius.

2. *Per obstantes juvenum catervas :* continuatur allegoria; juvenes qui semper æquali suo favent (vide elegantissimum Catulli de nuptiis Manlii et Juniæ epithalamium) hìc comparantur venatorum turmæ, qui nni è suis á quo primo fera lacessita est, anxilium ferre, junctis viribus et lanceis apparant. Fera autèm inter armatam turbam erumpens, non minùs acritèr catulorum suorum raptorem insequitur, et, eo dilacerato, dulcem prædam sibi ereptam in cubile suum refert. Sic et puella, contemptis Pyrrhi

Ibit insignem repetens Nearchum,
Grande certamen, tibi præda cedat
Major, àn illi.
Interìm, dùm tu celeres sagittas
Promis [3], hæc dentes acuit timendos,
Arbiter pugnæ posuisse nudo
Sub pede palmam
Fertur, et leni recreare vento
Sparsum odoratis humerum capillis;

æqualium conatibus, Nearchum, delicias suas, domum suam reducet. — *Grande certamen :* in accusativo; id est, Nearchum, *magni* certaminis causam et pretium, per ellipsim apud poetas usitatam, ut in illo Silii Italici, IV, 391. *Ultima* restabat fusis jàm *palma* duobus Virbius; id est, ultimus vincendus restabat. — *Tibi præda cedat Major àn illi :* errasse mihi videntur interpretes, dùm vocem hanc *major* pro adverbiis, *magìs*, *potiùs*, accipiunt; quòd à latino sermone absonum mihi videtur; obvium sensum respuerunt, ut interpretationem insolitam, quod ipsis familiare est, admitterent. *Major* hic, non comparativi, sed positivi, et, si meliùs placet, superlativi locum obtinet; quo quidèm nihil apud Latinos frequentiùs. *Inter notissimos morbos est etiàm is qui comitialis, vel* major *nominatur ;* Cels. III, 23. Grandior, *et plenis jàm filia nubilis annis;* Vanier. Præd. Rustic. II, in fine. Ergò per *prædam majorem* simplicitèr intelligit Horatius, prædam magnam, sivè maximam, toto venantium ardore appetendam.

3. *Dùm tu celeres sagittas Promis :* in initio scilicèt provocationis; mòx, ubì leæna metuendos dentes exeret, fugiturus. Alitèr, sibi poeta contradiceret. — *Arbiter pugnæ :* Nearchus cujus ex *arbitrio* pendet, utri victoria cedat, sed de pulchritudine suâ litigantes æquè fastidiens. — *Posuisse nudo Sub pede palmam Fertur :* imago ducta per oppositionem à solitis ludorum judicibus, qui, ad excitandos inter se rivales, palmam, victoris futuri præmium, manu prætentant. Nearchus è contrà tàm nihili facit sivè puellam, sive Pyrrhum, ut palmam negligentèr in humum projecerit, et eam sub pedibus terat, sìc contemptum suum testatus. — *Leni recreare vento :* flabello ventilare; summum fastidii et arrogantiæ indicium. — *Nireus :* rex Naxi; omnium Græcorum qui Trojam venerunt, post Achillem, formosissimus : Νιρεύς, ὸς κάλλίστος ἀνὴρ ὑπὸ Ἴλιον ἦλθε Τῶν ἄλλων Δαναῶν μετ' ἀμύμονα Πηλείωνα. Hom. Iliad.

Qualis aut Nireus fuit, aut aquosâ
Raptus ab Idâ.

0, 673. — *Aut aquosâ raptus ab Idâ :* aut Ganymedes, raptus à Jove in aquilam converso, è vertice montis Idæ, quem aquosum vocat, quià ex eo plures fluvii decurrunt, inter quos celebrantur Scamander et Simoïs; undè ab Homero vocatur : Ἴδη πολυπίδαξ, πίδηεσσα, et ab Ovidio dicitur, *celeberrima fontibus Ida ;* Metamorphos. lib. I, v. 218.

ODE VIGESIMA PRIMA

AD AMPHORAM.

Cùm M. Valerius Messala Corvinus, vir tàm rerum gestarum gloriâ quàm doctrinæ eloquentiæ laude nobilissimus, promisisset Horatio se certo quodam et proximo die apud eum cœnaturum, amphoram alloquitur vates, eamque jubet optimum vinum egregio hospiti infundere; indè in universum vini præconium delabitur.

O NATA mecum consule Manlio [1],
Seu tu querelas, sivè geris jocos,
Seu rixam et insanos amores,
Seu facilem, pia testa [2], somnum,

1. *O nata mecum, consule Manlio:* natus erat Horatius L. Manlio Torquato et L. Aurelio Cottâ coss., anno U. C. 688 vèl 689, A. C. 64 vèl. 63. Carmen autèm scriptum fuisse putatur ipso Messalæ consulatûs anno, U. C. 722. Vinum igitùr de quo hìc agitur trium et triginti annorum erat. — *Seù tu querelas, sivè geris jocos, Seu rixam:* hìc allucinati sunt non pauci interpretes. Quâ de causâ, inquiunt, vinum in læto convivio bibendum, ut querelarum rixarumque causam celebrat Horatius? Non senserunt doctissimi aliundè annotatores has voces per sequentia verba satis explicari. Asserit primùm Horatius, quod verissimum est, sæpè sæpiùs in lagenæ fundo latere querelas et jurgia. Undè varia, pro vario usu, pro variâ potatorum indole, vino optimo nomina assignantur. Facilè irascentibus *rixarum* vinum appellabitur; morosis et querelis patruis ant senibus, *querelarum;* juventutis æstu ferventibus, *amorum*, et sic de cæteris; sed *quocumque nomine lectum*, sivè inscriptum, fuerit Horatii Massicum, dignum illud est quod *bono die*, quod in honorem Messalæ, *à cellâ suâ moveatur*, et in mensâ geniali appareat, præ vetustate *languidum*, id est concoctum, maturum, mite factum.

2. *Pia testa:* amphora, pietatis meæ ergà Messalam testis et

Quocunque lectum nomine [3] Massicum
Servas, moveri digna bono die,
Descende, Corvino jubente,
Promere languidiora vina.
Non ille, quamquàm Socraticis madet
Sermonibus [4], te negliget horridus;
Narratur et prisci Catonis
Sæpè mero caluisse virtus.
Tu lene tormentum ingenio admoves,

nuntia. Hoc epitheton, *pia*, feliciùs mutuatus est clar. V. Benignus Grenau, in ode de vini Burgundi laudibus : *Perge vitali, pia testa, succo Principis corpus vegetum tueri, Salva, quo salvo, benè teimnat omnes Gallia casus.* Ludovicus XV nullum aliud nisi Burgundum vinum bibere insueverat.

3. *Quocunque lectum nomine :* vide suprà not. 1. — *Descende :* propria vox, ut jàm non semèl vidimus. Vina enim in editioribus domûs locis servata, illìc fumum bibere et maturescere instituebantur.—*Corvino jubente :* tantus enim vir, cùm sese ipsum ad cœnam invitaverat, jussisse videbatur.—*Languidiora vina :* vide suprà ad not. 1.

4. *Quamquàm Socraticis madet Sermonibus :* Socratica enim philosophia temperantiam et modestiam suadebat, non verò rigidam Stoïcorum severitatem. *Madere* dicitur philosophiâ, doctrinâ, eloquentiâ quicumque iis artibus ritè imbutus est. *Si quis Cecropiæ madidus Latiæque Minervæ Artibus ;* Martial. I, 40, 3. — *Negliget horridus :* tet rico vultu aspernabitur. — *Prisci Catonis* : uter, àn Censorius, àn Uticensis Cato hìc ab Horatio designaretur, inter interpretes dubitatum est. De Catone Censorio intelligendum locum esse facilè crediderint, quicumque respicere volent ad epithethon illud, *Prisci*, quod nulli alii quàm priori vel majori Catoni conveniet. Quamvis enìm sobrietatem profiteretur, paulò nimiùm vino deditus fuisse ab adversariis suis insimulatus est. Dacierius. — *Mero caluisse virtus :* exquisita illa vox, *caluisse!* Proprium enim vini est, calorem corpori simùl et animo addere, virtutis autèm ea dos est, ut utrumque temperet et moderetur. Nemo nescit hunc locum à J. B. Russæo felicitèr expressum fuisse : *La vertu du vieux Caton, Chez les Romains tant prônée, Etoit souvent, nous dit-on, De Falerne enluminée.* Hic tamèn, proximus Horatio, longo sed proximus intervallo mihi videtur poeta Gallicus. Imaginem tantùm refert vox illa : *enlumi-*

Plerumque duro [5]; tu sapientium
Curas, et arcanum jocoso
Consilium retegis Lyæo;
Tu spem reducis mentibus anxiis,
Viresque et addis cornua pauperi [6],
Post te neque iratos trementi
Regum apices, neque militum arma.
Te Liber, et si læta aderit Venus [7],
Segnesque nodum solvere Gratiæ,
Vivæque producent lucernæ
Dùm redieus fugat astra Phœbus.

née; imaginem simùl et sententiam uno verbo, *caluisse*, concludit Horatius.

5. *Tu lene tormentum ingenio admoves Plerumque duro:* eodem ferè sensu quo infrà Od. III, 28, 4 : *Munitæque adhibe vim sapientiæ;* quod gallicè dicimus : *faire une douce violence.* Quæ enìm *tormentorum* crudelitate secreta ex animis elicere conantur tyranni, id vinum *lenitèr* extorquet, vèl *ingeniis durissimis*, vèl iis qui dolori resistere non dubitarent. — *Tu sapientium curas :* in sapientium enìm altiùs quàm in levium adolescentulorum animos curæ defiguntur; sed tamèn ea est *jocosi Lyæi virtus*, ut eas facillimè abigat.

6. *Addis cornua pauperi :* passìm apud poetas, et præsertìm in sacris Codicibus, *cornua* pro robore sumuntur, in quo quis fiduciam ponit : *Cornua peccatorum confringam*, Psalm. LXXIV, 11; *Cornu ejus exaltabitur in gloriâ*, id. CXI, 9. Nostrum expressit Ovid. de Art. Amand. I, 238 : *Tùnc veniunt risus, tùnc pauper cornua sumit, Tunc dolor et curæ, rugaque frontis abit.* — *Post te :* potsquàm te, ô amphora, exhausit. — *Regum apices :* iratorum regum potentiam. *Apex*, propriè sacerdotum tiara, hìc pro regali diademate, per similitudinem usùs et dignitatis usurpatur.

7. *Te Liber, et si læta aderit Venus :* sic construe : *te,* id est, tuî usum, ô amphora, *Liber, et læta Venus, si aderit;* non, si aderit læta, id est, propitia, ut nonnulli volunt. Venus enìm compotatoribus constantèr favere censetur. — *Segnesque nodum solvere Gratiæ :* Charites inter se nodo indissolubili conjunguntur. — *Vivæque producent lucernæ :* sic suprà, Od. III, 8, 14 : *Vigiles lucernas profer in lucem.* — *Dùm fugat :* pro, donèc fugaverit :

ODE TRIGESIMA SECUNDA

AD DIANAM.

Laudatis quàm brevissimè Dianæ muneribus et officiis, pinum villæ suæ imminentem, et quotannis verris sanguine irrigandam, ejus cultui poeta consecrat.

Montium custos nemorumque, Virgo [1],
Quæ laborantes utero puellas
Ter vocata audis, adimisque letho,
Diva triformis;

1. *Montium custos nemorumque Virgo :* sic et in carmine seculari; *sylvarumque potens Diana. Lucina* quoque dicta, à producendo in lucem fœtu : Junonis etiàm nomen ei à *juvando* tribnitur. Et *Opiferam* et *Opigenam* matronæ colebant, quod ferre opem in partu laborantibus credebant, teste Festo. Et *Ilithya* vocata, græcè εἰλείθυια, ἀπό τοῦ ἐλίττεσθαι, quod evolvere significat, vel ἀπὸ τοῦ ἐλεύθω, ὅτι εἰς τὰς τικτούσας ἐλεύθει, id est, quòd parientibus adveniat, atque opem ferat. Quâ ratione etiam λυσίζωνος nuncupata est, teste Hesychio, quòd zonam solveret. *Virgo* dicitur, ut suprà Od. I, 12, 22, *sævis inimica virgo Belluis;* quamvis, si fabulis creditur, cœlum pro Endymione non semèl reliquisse et virginitatis honorem vellere niveo mutasse credatur. Vide Virg. Georg. III, 390. — *Laborantes utero puellas :* uxores, instante partûs momento. Vid. suprà. Iisdem ferè verbis Ovidius Amor. II, 13, 18 : *Tuque laborantes utero iniserata puellas.* — *Tèr vocata :* ad religionis mysteria pertinet numerus ille ternarius. — *Adimisque letho :* quæ præstas ut mulieres salvæ pariant et incolumes. — *Diva triformis :* Τρίμορφος, τριπρόσωπος : nndè et Virg. Æneid. IV, 511 : *Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianæ.* Sivè quòd alia videatur dùm crescit, alia cùm plena est, et

Imminens villæ tua pinus esto [2];
Quam per exactos ego lætus annos
Verris obliquum meditantis ictum
Sanguine donem.

iterùm dùm decrescit: sive quòd triplici sit potestate, et in cœlo, et in terrâ, et apud inferos; undè triplex sortitur nomen, Lunæ, Dianæ, Proserpinæ.

2. *Imminens villæ tuæ pinus esto:* sic construe: pinus villæ imminens esto *tua*, *tibi* sacra sit, à te pro *tua* agnoscatur. — *Per exactos annos:* quotiès annus cursum sunm expleverit; per periphrasin, pro *quotannis*. — *Obliquum meditantis ictum:* verres, porcus non exsectus, et ideò ferocior, apri instàr, nonnisì obliquè et à latere, dente recurvo et exstante, ferit. Indè apud Homerum, aper δοχμὸς ἀίσσειν dicitur, *obliquus ruere;* Iliad. XII, 148. — *Sanguine donem:* pro, donabo, irrigabo.

ODE VIGESIMA TERTIA

AD PHIDYLEN.

Phidylen, unam è servabus suis, villæ suæ, ut verisimile est, curæ præpositam, docet pio et verè aureo carmine Horatius, exiguis donis agrorum ubertatem gregumque fœcunditatem à Diis posse obtineri; Deos enim immensis magni sacrificii sumptibus multò minùs, quàm puro offerentis animo delectari.

Cœlo supinas si tuleris manus [1],
Nascente lunâ, rustica Phidyle;
Si thure placaris, et hornâ
Fruge Lares, avidâque porcâ;
Nec pestilentem sentiet Africum [2]
Fœcunda vitis, nec sterilem seges
Rubiginem, aut dulces alumni

1. *Supinas manus :* brachiis in altum sublatis, et expansis manibus, ut fit quoque apud nos, precari veteres solebant.— *Nascente lunâ :* novilunium mensis cujusque reditum indicat; cùmque suas opes mensis quisque afferat, ritè preces ad deos admovebantur, ut per totum lunæ renascentis decursum, rustico proventui faverent. — *Rustica Phidyle* : nomen istius servæ ab ejus officiis rectè derivatur. Φείδομαι, latinè, *parco*, *abstineo*. Gallicè igitùr, *rustica Phidyle* benè verti posset : *une bonne ménagère.*—*Hornâ fruge:* frugibus eodem anno collectis.

2. *Africum :* ventus ex Africâ spirans, qui, dùm nimios calores afflat, exsiccat humum, et vitem adurit. — *Rubigo :* plantarum, et præsertìm cerealium morbus, quo illæ rubræ fiunt et corroduntur (gallicè, *la nielle*). — *Dulces alumni :* hædi, agni; ut suprà Od. III, 18, 3 : *Abeasque parvis Æquus alumnis.* — *Pomifero grave tempus anno :* morbis *gravibus* infestum est *tempus* illud anni, quo terra fructus cedit, et pecoribus non

Pomifero grave tempus anno.
Nam, quæ nivali pascitur Algido [3]
Devota quercus, inter et ilices,
Aut crescit Albanis in herbis,
Victima, pontificum secures
Cervice tinget. Te [4] nihil attinet
Tentare multâ cæde bidentium
Parvos coronantem marino
Rore Deos, fragilique myrto.
Immunis aram si tetigit manus [5],
Non sumptuosâ blandior hostiâ,
Mollîrit aversos Penates
Farre pio et saliente micâ.

minùs quàm hominibus formidolosum.

3. *Nivali Algido :* ut suprà, Od. I, 21, 6 : *gelido prominet Algido;* vide not. in hunc locum. — *Devota :* sacrificio destinata. — *Albanis in herbis :* in pascuis circà Albam porrectis. — *Pontificum secures Cervice tinget :* sanguine, è fractis cervicibus erumpente, vitiabit.

4. *Te :* opponit tenuitatem servulæ magnis pontificum opibus, qui, publico sumptu, multas et maximas victimas diis imperii tutoribus facilè offerebant. — *Tentare parvos deos :* sollicitare precibus et ad utilitatem villæ meæ flectere exiguos lares, nil tale poscentes, quos sufficit *coronare rore-marino* (de romarin), *fragilique myrto.*

5. *Immunis aram si tetigit manus :* si ad aram deorum Penatium *manus immunes*, subaud. *ab omni scelere*, manus puras et innocentes admoveris. — *Non blandior Mollîrit :* non blandiùs, non certiùs deorum Penatium iram placabis cum hostiâ sumptuosâ, quàm cum simplici *farre*, id est, hordeo, vel pane hordeaceo, *piè* oblato, et *saliente micâ ;* salis particulâ, quæ, igne contacta, cum crepitu *subsilit.*

ODE VIGESIMA QUARTA

IN DIVITES AVAROS.

Poeta è faciliori Epicureorum doctrinâ ad rigidam Stoïcorum severitatem penè emergens, in hoc carmine insectatur luxum seculi sui perditissimum, coætaneorum suorum vitia describit, causas notat, indicat remedia. In avaritiam præsertìm invehitur, omnium scelerum ac maleficiorum matrem, pesteinque rei publicæ. Quæ mala in summum aliquandò discrimen civitatem adductura, morum licentiam refrænandam, modum cupiditatibus et insano luxui imponendum gravitèr monet. Postulat ut suus paupertati honor reddatur, et prava illa ex animis eximatur opinio, scilicèt felicitatem in divitiis positam esse, plùsque eas valere ad vitam benè beatèque agendam, quàm continentiam et frugalitatem: propositumque, Scytharum Getarumque exemplo demonstrat. « Excellit hoc carmen, inquit Mitscherlich, sententiarum sublimium ubertate, elocutionis dignitate ac vi, numerorumque delectâ gravitate. » Ediscant illud juvenes qui moribus informandis et excolendo ingenio parem curam adhibent.

Intactis opulentior
Thesauris Arabum et divitis Indiæ,

1. *Intactis opulentior Thesauris Arabum :* sensus est; licèt opes tuæ omnes Arabiæ thesauros exsuperent; *intactos* autèm eos dicit, quibus Romanorum avaritia manus rapaces nondùm injecerat. Vid. suprà Od. I, 29, 1, et notas in hunc locum. — *Et divitis Indiæ :* ex Arabiâ pretiosa aromata; ex Indiâ, aurum, argentum, adamantes, uniones, in varias orbis partes diffunde-

Cæmentis licet occupes
Thyrrhenum omne tuis et mare Apulicum;
Si figit adamantinos
Summis verticibus dira Necessitas
Clavos, non animum metu,
Non mortis laqueis expedies caput.
Campestres meliùs Scythæ [3],
Quorum plaustra vagas ritè trahunt domos,
Vivunt, et rigidi Getæ,
Immetata quibus jugera [4] liberas

bantur. — *Cæmentis licèt occupes :* vid. suprà, Od. III, 1, 35, et notas. — *Tyrrhenum et mare Apulicum :* duo maria, alterum *superum*, alterum *inferum*, inter quæ Italica peninsula procurrit. — *Omne :* per hyperbolen poeticam, ut ostendatur magnitudo molium quas luxus in mare jaciebat.

2. *Si figit adamantinos Summis verticibus dira Necessitas Clavos :* vulgarem sententiam : « Si violentiâ suâ te invadit dira Necessitas, haud ei te subducere poteris, h. e. si annos à Fato tibi destinatos expleveris, moriendum tibi erit; » splendidè exornavit poeta. Dea *Necessitas*, h. e. *Fatum*, Ἀνάγκη. Μοῖρα, *clavos adamantinos*, h. e. firmissimos validissimosque, vel *trabales* (ut suprà I, 35, 18, vocantur) manu gestare, eosque rebus vel personis, quas domare vel potestati suæ subjicere vult, infigere fingitur. Cum his clavis igitur *Necessitas* apparet apud divites morti destinatos, fixisque illis in summis eorum verticibus, mori eos adigit. Res autèm dicuntur *adamantinæ*, quæ firmitate et robore suo sunt inexpugnabiles. — *Non animum metu :* metu scilicèt *mortis*, de quâ in versu sequenti, non generalitèr de quolibet timore aut curâ.

3. *Campestres meliùs Scythæ :* mores Romanos vividissimè carpit, per exclamationem illam, *meliùs!* quæ, ut, *quantò meliùs!* accipienda est, dùm illos comparat moribus simpliciorum et ideò feliciorum gentium quos ad vivum jàm expressurus est. Per *campestres* intellige, urbani domicilii felicitèr ignaros. — *Quorum plaustra vagas ritè trahunt domos :* sic rem narrat Justinus, II : *Uxores liberosque secum in plaustris vehunt, quibus, corio, imbrium hyemisque causâ, tectis, pro domibus utuntur.* Undè illi à Græcis dicti sunt, ἁμαξόβιοι et ἁμαξοβίται. Vox illa *ritè*, ad religionem et mores qui sacro-sancti habentur, pertinet. Adversùs deos suos peccare se credidissent Scythæ et Getæ, si ab antiquis institutis decessissent.

4. *Immetata quibus jugera :*

Fruges, et Cererem ferunt;
Nec cultura placet longior annuâ,
Defunctumque laboribus
Æquali recreat sorte vicarius.
Illìc matre carentibus
Privignis [5] mulier temperat innocens;
Nec dotata regit virum
Conjux [6], nec nitido fidit adulterο.
Dos est magna, parentium

nulla inest duobus illis vocabulis, ut somniârunt nonnulli interpretes, contradictio. *Jugera* propriè sunt agri spatia, qui per duos boves uni jugo adjunctos uno die excoli et arari potest. Porrò nihil necesse est illud spatium *metis* in terram infixis definiri, quæ proprietati asserendæ tantummodò inserviunt. — *Liberas fruges :* non unius proprias, sed in commune reponendas; nulli igitùr addictas custodiæ, et ab omni tributo immunes. — *Nec cultura placet longior annuâ :* agro enìm, quem per unum annum coluerant relicto, vagas domos suas in alium transferunt. — *Defunctumque laboribus Æquali recreat sorte vicarius :* culturæ labor in circulum redit, ità ut, illius qui annuis laboribus perfunctus est, alter, æquo jure, locum anno sequente suscipiat, *vicesque* expleat; undè rectè vocatur *vicarius*.

5. *Illìc, matre carentibus Privignis :* privigni sunt filii à priore uxore geniti. Nullus igitùr privignus, qui non matre careat. Cave tamèn ne pleonasmum reprehendas. Voces illæ, *matre carentibus*, nihil aliud sunt quàm oppositio plena affectûs, quâ indicat vates, filios illos, in orbitate suâ felices, alteram matrem in ipsâ novercâ reperire. — *Temperat innocens :* nocere abstinet; *temperantèr* et lenitèr privignos tractat. Eodem ferè sensu dixit Cicero, *temperare amicis*, pro Balbo, 27, *temperare hostibus*, Verr. II, 2; *temperare sociis*, Verr. I, 59.

6. *Nec dotata regit virum Conjux :* nou, ut apud Romanos, uxor quæ magnam dotem attulit, opulentiâ suâ ità superbit et abutitur, ut ex eâ mariti opprimendi causam et materiem petat. Qualis in Plauti *Asinariâ* Artemona, cujus maritus Demænetus, notum illum omnibus versiculum protulit: *Argentum accepi, dote imperium vendidi.* Tùm alibì Megadorus: *Nàm quæ indotata est, in potestate est viri; Dotatæ mactant et malo et damno viros.* — *Nec nitido fidit adultero :* nec se committit amatori opibus et auctoritate prævalenti, qui eam adversùs leges et maritum defendat.

Virtus [7], et metuens alterius viri
Certo fœdere castitas;
Et peccare nefas, aut pretium mori.
O! quisquis volet impias
Cædes [8], et rabiem tollere civicam,
Si quæret Pater urbium,
Subscribi statuis, indomitam audeat
Refrænare licentiam,
Clarus postgenitis; quatenùs, heu nefas!
Virtutem incolumem odimus,
Sublatam ex oculis quærimus invidi.

7. *Dos est magna, parentium Virtus :* sic construe : virtus parentium est uxoris maxima dos, cujus virtutis semina in liberos ferè sempèr, solâ exemplorum potestate, propagantur. — *Et metuens alterius viri Certo fœdere castitas :* et mores uxoris à pueritiâ ad castitatem ità informati, ut timori non locus sit, ne, post initum *certo fœdere* conjugium, tangi se ab altero viro permittat. — *Et peccare nefas aut pretium mori :* et pro magnâ etiàm dote reputant mariti, quòd peccato uxoris, id est, adulterio, per opinionem publicam, nefarii et probrosi sceleris labes innatur, et per legum auctoritatem, severissima *mortis* pœna infligatur. Ultimum hunc versum, *et peccare nefas*, etc. penè verbo ad verbum transtulit Coffinus in hymnum qui ad nocturnum Pentecostes officium cantatur : *His infida probas corda pavoribus, Et peccare vetas, aut pretium mori.*

8. *O quisquis volet impias Cædes :* jàm, cum nobili indignatione ad indomitam ætatis suæ licentiam se convertit, et quomodò ista à viro, æternam sibi apud posteros de servatâ patriâ gloriam paraturo, refrenanda sit, ostendit Quòd suspicatur *Boettigerus*, Horatium hâc severioris disciplinæ commendatione, velificatum esse gratiæ Augusti, qui tùm fortè condendis illis legibus, quas posteà tulit, v. c. legi *Juliæ de adulteriis*, legi *Papiæ Poppææ de maritandis ordinibus*, operam dederit, admodùm probabile est. — *Rabiem civicam :* de bellis civilibus, ut passim *furor civium*. — *Si quæret Pater Urbium :* si hujus gloriæ appetens erit, ut nomen suum aliquandò sub titulo, *Pater Urbium*, statuis incidatur. Nondùm quidèm tùm Augustus, quem Nostrum innuisse putant, ex publico Senatûs consulto *Patris patriæ* nomine insignitus fuit; sed populus, ut docent numismata quædam, jàm plures annos antè, hunc titulum honorificum ei tribuerat. — *Postgenitis :* posteris, τοῖς ὀψιγόνοις. — *Virtutem*

Quid tristes querimoniæ [9],
Si non supplicio culpa reciditur?
Quid leges sine moribus
Vanæ proficiunt? si neque fervidis
Pars inclusa caloribus
Mundi, nec Boreæ finitimum latus [10],
Duratæque solo nives
Mercatorem abigunt? Horrida callidi
Vincunt æquora navitæ?
Magnum pauperies opprobrium, jubet
Quidvis et facere, et pati,
Virtutisque viam deserit arduæ?
Vèl nos in Capitolium [11],
Quò clamor vocat et turba faventium;

incolumem, viros egregios, dùm vivunt. — *Invidi*, tàm ad *odimus*, quàm ad *quærimus* referendum. Ad sententiam laudant Vell. II, 92 : *Præsentia invidiâ, præterita veneratione persequimur; his nos obrui, illis instrui credimus.*—cf. infr. Epist. II, 1, 14.

9. *Quid tristes querimoniæ?* eamdem sententiam expressit Racinius, Magni filius, in poemate, *De Religione : Mais, sans les échafauds, que serviroient les lois? — Quid leges sine moribus Vanæ proficiunt?* vanæ leges, si ad illas non vivitur, si divitiæ et luxûs instrumenta è remotissimis terræ partibus summâ cupiditate conquiruntur, paupertati verò nullus honor tribuitur; si cives à pueritiâ non sunt benè instituti, atque ad virtutem informati. *Mores* hìc interpretor, cum Varrone, rectum animi propositum, et reverentiam cultumque numinis, populi consuetudine firmatum, quibus rebus cùm destitutæ sunt leges, earum inanis, ac propè sepulta vis jacet.

10. *Boreæ finitimum latus :* pars orbis, polo, undè spirat Boreas, vicina. — *Duratæque solo nives :* nives quæ nunquàm sole resolvantur, et continuo gelu terræ adhærentes. — *Mercatorem abigunt!* absterrent mercatorem, quominùs ad ea loca accedat. — *Pauperies :* non, ut jàm vidimus, turpis illa egestas, quæ mala suadet, et honestis moribus inimica est; sed tolerabilis victus, qui probo viro sufficit, neque ullum post se opprobrium trahit. — *Virtutisque viam deserit arduæ :* in virtute *arduâ*, et locum accessu difficilem tenente, facilè Hesiodeum figmentum agnoveris, quod multi posteà poetæ adornaverunt.

11. *Vel nos in Capitolium :* quò opes nostras Jovi patriæ

Vèl nos in mare proximum
Gemmas, et lapides, aurum et inutile,
Summi materiem mali,
Mittamus! Scelerum si benè pœnitet,
Eradenda cupidinis
Pravi sunt elementa [12]; et teneræ nimìs
Mentes asperioribus
Formandæ studiis. Nescit equo rudis
Hærere ingenuus puer,
Venarique timet, ludere doctior
Seu græco jubeas trocho,
Seu malis vetitâ legibus aleâ;

tutori consecrandas, inter *clamores faventis* populi deferamus. Sic illæ, quæ in usu privato, mores corrumpendo, damnosæ sunt, piâ consecratione, Jovis patrocinium reipublicæ asserentes, utilitatem consequentur. — *Vel nos in mare proximum :* quî feliciùs locus ille illustrabitur quàm mirâ illâ J. B. Russæi imitatione, Od. II, 8, ad marchion. De La Fare?

Réservons pour nos tabernacles
Cet or, ces rubis, ces métaux;
Ou dans le sein des mers avides
Jetons ces richesses perfides,
L'unique élément de nos maux.

12. *Eradendæ cupidinis Pravi sunt elementa :* radicitùs exstirpanda sunt avaritiæ, quâ animi depravantur, semina. — *Teneræ nimìs :* nimiùm molles et effeminatæ. — *Asperioribus studiis :* comparativum illud, *asperioribus*, opponitur τῷ *nimìs teneræ*. — *Nescit equo rudis Hærere ingenuus puer :* pars institutionis nobilium puerorum erat, ars equitandi et venandi. Vide supr. Od. I, 8, 7 et 8, quomodò Sybaris incusetur, proptèr turpem in iis artibus imperitiam, aut saltèm negligentiam. — *Trocho : trochus* (τροχός) circulus æneus, rotæ similis, quem pueri ludentes virgâ ferreâ circumagebant, dùm valdè delectabantur ejus strepitu, quem annexi annuli iuter agendum edebant. — *Græco :* è Græciâ enìm in Italiam translatum fuerat hoc instrumentum lusorium ; *græcabantur* igitùr, ut iufr. Sat. II, 2, 11, dicitur, pueri Romani. Dæring. — *Vetitâ legibus aleâ :* legibus vetitam fuisse, titulus ille de *Aleatoribus*, lib. XI Pandectarum

Cùm perjura patris fides [13]
Consortem socium fallat, et hospitem;
Indignoque pecuniam
Hæredi properet. Scilicet improbæ
Crescunt divitiæ; tamèn
Curtæ nescio quid semper abest rei.

satìs manifestè ostendit. Probrosum etiam fuisse aleæ lusum, hoc quoque testatur, quòd Decembri tantùm mense, Saturnalibus maximè, permittebatur. Addam etiam ad Ædiles spectasse eam coërcitionem. Alciatus quoque *Parergon* lib. 6 *Talariam* antiquitùs vocatam legem autumat, ad quam hoc loco respexerit Horatius. Aleæ lusus puniebatur lege Cornelià et lege Tatià.

13. *Cùm perjura patris fides:* dùm filius indignis et sine dubio puniendis lusibus indulget, pater, non per modum ludi, sed pejerando, sed fidem ergà consortem commercii, sed sanctissima hospitii jura violando, legum majestatem, morumque innocentiam infringit. — *Indigno hæredi:* inter cujus manus malè parta malè dilabentur. — *Pecuniam properet:* sic et Juvenal. XIV, 177 : *Quæ reverentia legum, Quis metus aut pudor est unquàm properantis avari?* Probus enìm paterfamilias lentâ et laboriosâ industriâ hæredi suo pecuniam comparat; homo avidus et malæ fidei nihil non intentatum relinquit, ut quàm brevissimo tempore, artibus vel scelestissimis injustas divitias coacervet. — *Improbæ divitiæ:* vel, quià iniquâ viâ comparatæ sunt; vèl quià, quoquomodo comparatæ, possessorem scelestiorem efficiunt. — *Curtæ nescio quid semper abest rei:* exquisitissimè, *nescio quid;* nàm quomodo definiri posset quibus opulentissimi illi homines adhùc egeant? Ea tamen est eorum insatiabilis et nunquàm expleta cupiditas, ut, immensis opibus nunquàm contenti, semper majora appetant, et ipsis res sua nimis *curta*, non satis ampla, videatur. Nàm, ut suprà, Od. III, 16, 42 : *Multa petentibus, Desunt multa.*

ODE VIGESIMA QUINTA

AD BACCHUM.

Jàm suprà, Od. II, 19, *Bacchi laudes cecinit Horatius; hìc ejusdem Dei præconium iterat, eumque precatur ut sibi ingentes illos spiritus afflet, quibus Augusti apotheosim dignè celebrare possit. Vivido Dithyrambi impetu volvitur carmen istud exquisitissimum, ad quod non semèl respexit, quodque mirâ arte imitatus est lyricus noster, J. B. Russæus, in* Cantatâ *quæ* Bacchi *nomine inscribitur.*

Quo me, Bacche, rapis tuî
Plenum [1]! quæ nemora, aut quos agor in specus
Velox mente novâ! quibus
Antris, egregii Cæsaris audiar
Æternum meditans decus [2] 5

1. *Tuî plenum* : Non liquoris tui plenum, nt benignè interpretati sunt faceti quidam interpretes; sed, tuo numine instinctum, tuâ vi perculsum et attonitum; eodem et non minùs severo sensu quàm suprà, Od. II, 19, 6, *Plenoque Bacchi pectore turbidùm Lætatur.* — *Quos agor in specus :* vox illa, *specus*, ad quartam declinationem pertinet; in Cicerone, Livio, Horatio et Ovidio, masculini generis, in Ennio, Silio, et Aulo Gellio feminei reperitur; in Virgilio, neutrius; *Est specus horrendum et sævi spiracula Ditis*, Æneid. VII, 568. — *Velox mente novâ :* novo donatus ingenio, quo, veluti alarum remigio fretus, in specus illos à Baccho habitatos evolem. — *Quibus antris? Sur quel vallon sacré, dans quels bois solitaires Suis-je en ce moment transporté? Bacchus à mes regards dévoile ses mystères?* J. B. Russæus, vide suprà *Argumentum.*

2. *Æternum meditans decus: meditari*, apud poëtas, sæpis-

Stellis inserere, et consilio Jovis!
Dicam insigne, recens [3], adhùc
Indictum ore alio. Non secùs in jugis
Exsomnis stupet Evias,
Hebrum prospiciens, et nive candidam
Thracen, ac pede barbaro
Lustratam Rhodopen. Ut mihi devio [4]
Rupes et vacuum nemus
Mirari libet! O Naïadum potens,
Baccharumque [5] valentium

similè pro *canere* usurpatur. *Silvestrem tenui musam meditaris avenâ*, Virg. Ecl. I, 2. — *Stellis inserere et consilio Jovis :* idem ferè cecinit de Romulo, suprà, Od. III, 3, 33 : *illum ego lucidas Inire sedes etc. et adscribi quietis Ordinibus patiar deorum. Consilio* antèm lege, non *concilio*, ut in multis editionibus. Consilio Jovis rectè inseri dicitur, qui, recentiùs admissus inter Deos, in partem deliberationum cœlestium, à supremo earum arbitro, venire sinitur. Quid est porrò *concilium Jovis? Concilium* nunquàm vocatur, nisi plures personæ conveniant; sic in Virg. Æn. III, 679, Cyclopes simùl ruunt è silvis, *concilium horrendum!* sic, VI, 433, Minos silentùm *concilium* vocat; sic, X, 2, *Conciliumque vocat divûm pater atque hominum rex.* Cùm de unâ personâ agitur, nusquàm *concilium* adhibitum esse reperies.

3. *Recens :* res recentèr ab Augusto gestas, quibus divinos honores obtinuit, et quæ nondùm ab alio poetâ celebratæ sunt. — *Non secùs :* tam sublimia cantaturus, non alitèr, non minùs vividè moveor, quàm Baccha, quæ, *insomnis*, id est, nocturnos somnos temnens vel excutiens (nam per noctem orgia celebrabantur), è summo montium vertice, *Hebrum* prospicit Thraciæ fluvium, et totius Thraciæ, regionis frigidissimæ, immensitatem, et *Rhodopen*, Thraciæ montem, à *barbaris* et ferocibus incolis peragratum. Rhodope Orphei cantibus fuit illustrata, cùm, mortuâ illius divini cantoris uxore, *arces Rhodopeias flevisse* testetur Virg. Georg. IV, 461. Hodiè vocatur *Dervent.*

4. *Ut mihi devio :* sunt verba poetæ præ admiratione exclamantis; neque ad præcedentia, *non secùs*, ulla tenùs referenda sunt. *Devium* se dicit Vates, qui solitas Romæ vel Tiburis sedes, antris illis, et frigidis ripis, et desertis nemoribus, à Baccho mirabilitèr translatus, subitò mutaverit.

5. *O Naïadum potens Bac-*

Proceras manibus vertere fraxinos!
Nil parvum, aut humili modo,
Nil mortale loquar. Dulce periculum est [6],
O Lenæe! sequi Deum
Cingentem viridi tempora pampino.

charumque : dicitur Bacchus potestatem exercere in Naiadas, quæ fontibus præsident, quià primus edocuit potus aquaticos meliore et validiore liquore corrigere, *Poculaque inventis Acheloïa miscuit uvis ;* Virg. Georg. I, 9. Bacchum igitur dominum et quasi domitorem suum Nymphæ agnoscere coactæ sunt. — *Valentium Proceras manibus vertere fraxinos :* alludit ad fabulam Penthei, qui, cùm Agaven, matrem suam, et Bacchantes insequentes fugeret, inter celsos fraxini ramos salutem quæsivit, frustrà; nam arbos à Bacchis eradicata et dejecta fuit cum Pentheo qui statìm dilaceratus est.

6. *Dulce periculum est :* tàm grandia tractare, vèl Baccho duce, periculosum quidèm est; sed periculum non certâ quâdam amœnitate caret; dulce est, sequi Bacchum, vèl per avia vèl in abrupta; Bacchum, cujus frontì viridis pampinus perpetuò insidens, poëtæ signum securitatis, et divini patrocinii pignus prætentare videtur.

ODE VIGESIMA SEXTA

AD VENEREM.

Poeta se amorum, quibus hactenùs indulserit, lusibus nùnc defunctum esse profitetur. Comparat autèm se cum milite emerito, et quemadmodùm miles arma, post partam sibi per ea in bello gloriam, Marti consecrare solet, ità instrumenta illa, quibus aditum ad puellas sibi aperire tentaverat, tanquàm ἀναθήματα, solemni more, Veneri dedicat. Videtur autèm hujus consilii causa imprimis fuisse Chloe, cujus extremo amorum suorum tempore superbiam expertus fuerat; hinc, precibus ad illius arrogantiam ulciscendam spectantibus, armorum suorum dedicationem peragit.

Vixi puellis nupèr [1] idoneus,
Et militavi non sine gloriâ;
Nùnc arma, defunctumque bello
Barbiton hic paries habebit [2],
Lævum marinæ qui Veneris latus 5

1. *Nupèr :* juventutis ardore fervens. Ad ætatem maturam, ad annum scilicèt ætatis suæ quadragesimum secundum pervenerat Horatius, cùm hanc oden scripsit, quæ tamèn indignantis potiùs contrà Chloës perfidiam, quàm verè emeriti militis opus videtur. — *Militavi :* qui amant, Veneris vexilla et Cupidinis castra sequi vulgò dicuntur. Notum illud Ovidii, Amor. I, 9, 1 : *Militat omnis amans, et habet sua castra Cupido.*— *Nùnc arma :* qualia illa sint, inferiùs docebit. — *Defunctumque bello Barbiton :* allegoriam sustinet. Lyra, quâ puellas et lusus amatorios totiès cecinit, pars instrumenti bellici jure haberi potest.

2. *Hic paries habebit :* quasi digito indicat certam domûs suæ partem, in quâ votivum Veneri sacellum exstruxerat.— *Marinæ Veneris :* Veneris *Anadyome-*

Custodit. Hic, hìc ponite [3] lucida
Funalia, et vectes, et arcus
Oppositis foribus minaces.
O ! quæ beatam, Diva, tenes Cyprum, et
Memphin carentem Sithoniâ nive,
Regina, sublimi flagello
Tange Chloën semèl arrogantem.

nes, depictæ vel sculptæ in ipso natalium momento, cùm à spumâ maris exoritur. — *Lævum latus :* facilè crediderim, ideò lævam statuæ partem hic indicatam esse, ut mali et infortunati ominis, quippè quòd aliquid sempèr insit tristitiæ in illâ amorum missione, quam vel necessitas vel ipsa ratio postulat. — *Custodit :* ambit, protegit.

3. *Hìc ponite :* servos vel ministros suos alloquitur. — *Funalia :* faces quibus armati juvenes protervi, *fores* puellarum rebellium, *sibi oppositas*, incensuros, se minabantur. — *Vectes :* ad portas evertendas (*des leviers*). — *Arcus :* nocturni illi cursores, sagittarum quoque jactu, portarum custodes terrere et amovere tentabant.

4. *Memphin :* urbem veteris Ægypti primariam, in quâ Venus Hospita templum magnificum habuisse traditur; vid. Herodotum, II, 112, et Strabonem, XVII. — *Carentem Sythoniâ nive :* per poeticam periphrasim indicat regionem æstuosam et fervidissimam; nihil ampliùs. — *Sublimi flagello :* flagellum attollens, ut indè gravior ictus in Chloën decidat; sed mòx, quasì votum crudele retractans, delicatissimâ correctione ad sensus humaniores redit; non dicit *feri*, sed *tange*, quod multò dulcius; non ictus repetitos poscit, sed uno ultionis levissimæ signo contentus, addit statìm, *semèl ;* en quo ferè sempèr recidit amantium ira! Suavissimam Horatii furoris picturam iisdem propè coloribus expressit non ultimus inter nostros poetas eroticos Bernard. Unam inducit puellam Amori iratam, quæ crudeli deo severiorem pœnam meditatur. Primùm illa optat fulmen Jovis, Herculis clavam, Medeæ venena, mitiora adhùc, ut sibi videtur, supplicii instrumenta. Apparet Amor; jàm deferbuit puellæ minitantis furor. Nè tamèn inulta omninò abeat, rosis armat manus :

On dit méme que la bergère
Dans ses bras n'osoit le presser;
Et, frappant d'une main légère,
Craignoit encor de le blesser.

ODE VIGESIMA SEPTIMA

AD GALATEAM.

Galateam quamdam (quæ illa fuerit Galatea prorsùs ignoratur et scire minimi est momenti), à suscipiendo maritimo itinere ad quod accingebatur, deterrere conatur Horatius. Non malis quidèm auspiciis quæ soli impio reservantur, illam retineri asserit; imò, etiamsì adversa omina apparerent, ea precibus corrigere, et feliciora adducere in promptu esset. Sed navigationis pericula, et maris Hadriatici perfidiam, et venti etiàm secundissimi inconstantiam objicit. Quantum autèm terrorem fœminæ vèl fortissimæ hæc omnia incutere possint, exemplo celeberrimo edocet, Europæ scilicèt, ad cujus fabulam de integro enarrandam delabitur. Quod suprà, in argumento ad hujus libri carmen tertium, de longiore illâ, quâ Juno loquens inducitur, digressione monuimus, id quoque de Europæ fabulâ scitè hujus carminis argumento accommodatâ, valet. Scilicèt poeta in Europæ fabulâ nùnc unicè temeritatem, quâ illa tauro se credidisse fertur, spectavit, quam cum Galateæ, hyemali tempore navi se commissuræ, temeritate comparat. Quantùm suavitatis autèm, sublimitatis et dignitatis Horatius huic carmini conciliaverit, eò quòd Europam tàm agentem quàm loquentem induxit, lectores ipsi sentient.

Impios parræ recinentis omen
Ducat [1], et prægnans canis, aut ab agro

1. *Impios parræ recinentis omen Ducat:* sic ferè procedit paulò longioris hujus periodi interpretatio. Impios, quos nulla tangit religio, re ipsâ experiri cupio, quid sit adversis auspiciis iter aliquod suscipere, quemadmodùm evenit, cùm vix è do-

Rava decurrens lupa Lanuvino,
Fœtaque vulpes!
Rumpat et serpens iter institutum,
Si per obliquum [2], similis sagittæ

mo suâ egressis parra recinit, prægnans occurrit canis, vel rava lupa, vèl vulpes recèns enixa, etc. etc. Ego autèm, quemcunque amicitiâ meâ, ut bonum, ut pium, dignatus fuerim, illum non antè iter instituere permittam, quàm cœlo sereno, nondùm debacchante tempestate, *auspex providus*, fausti augurii corvum ab oriente precibus suscitaverim, è cujus cantu felicem navigationem sperare liceat. Neque tamen tanta reponenda est in fausto illo omine securitas, ut nihil posteà ex ipsâ maris aut ventorum subitâ conversione metuendum sit. Bona enim omina, prosperum quidem è portu exitum, prosperum per dies aliquot cursùs maritimi tractum prænuntiare possunt. Sed non adeò durat illorum auctoritas, ut perpetuam fluctibus quietem et ventis imperent. Testis Europa, quæ, ipso Jovis numine defensa, non minùs ad aspectum belluarum marinarum fraudumque omnis generis quibus scatet pontus expalluit. Sub quibus tamen potentioribus auspiciis navigare poterat? His ità expositis, ad singula verba transeamus. — *Parræ recinentis :* sinistri ominis vocem iterùm iterùmque repetentis. Parra ad avium nocturnarum genus pertinet, et ideò inauspicata. Testis est Plinius, lib. XIX, *Parram, oriente Sirio, ipso die non apparere.* Quæ sequuntur nullius interpretationis egent, et ad veterum superstitiones tantummodò referenda sunt. — *Rava lupa :* sivè de voce intelligat; nam in Cicerone *vox rava*, id est, rauca, reperitur : sivè de illarum colore; color autèm *ravus*, medius est inter flavum et rubrum (*la couleur rousse*). — *Ab agro Lanuvino :* Lanuvinum Latii oppidum est, propè viam Appiam, per quam iter habitura erat Galatea, Brundusium versùs, ubi portus, undè solvebatur in Græciam quò illa ire meditabatur. —*Fœtaque vulpes :* fœta, sivè sensu communi, gravida, ut *prægnans canis;* sivè, fœtus recentèr enixa, ut in illo Virgiliano, Æneid. VIII, 630 : *Fecerat et viridi* fœtam *Mavortis in antro Procubuisse lupam.*

2. *Si per obliquum :* cùm evenit ut, transverso quasi volatu viam interrumpens, *similis sagittæ terreat mannos*, id est equos currum trahentes, et sic vocatos *mannos*, quasi aurigæ *manui* assuetos. De isto serpentum genere fidem facit Plinius VIII, 23: *Vulgatum est serpentes illos quasi jaculum ex arborum ramis vibrari, nec pedibus tantùm cavendos, sed et missili volare tormento.* Idem reperias in Ælian., de Hist. anim. VI, 18;

Terruit mannos. Ego, cui timebo
Providus auspex [3],
Antequàm stantes repetat paludes
Imbrium divina avis imminentûm,
Oscinem corvum prece suscitabo
Solis ab ortu.

eadem quoque observavit, et graphicè descripsit vir clariss. de Lacépède, Hist. natur. serpentum, III, p. 17, 1790, in-12, edit. Lupar. *Lorsque certains serpens ne cherchent qu'à se jeter sur une proie par un seul bond, ils tendent, pour ainsi dire, toutes leurs parties élastiques, et réunissant par là toutes les forces qu'ils emploient l'une après l'autre dans leurs courses ordinaires, allongeant tout d'un coup toute leur masse, et leurs ressorts se débandant tout à la fois, ils se déroulent*, et s'élancent vers l'objet qu'ils veulent atteindre, avec la rapidité d'une flèche fortement vibrée, *et en franchissant un espace de plusieurs pieds.*

3. *Ego, cui timebo Providus auspex :* ego, providens illi cujus iter, propter amicitiam, justos mihi timores injicit, et ideò auspicia pro ejus prosperitate præcipiens. — *Antequàm stantes repetat paludes :* hæc verba jungantur cum præcedentibus. Notum est, imminente pluviâ et tempestate, cornicem, idcircò dictam hìc *divinam*, id est, prænuntiam imbrium, cœlum deserere, et littus maris, fluminum, paludum stagnantium petere. *Et sola in siccâ secum spatiatur arenâ*, Virgil. Georg. I, 389. — *Oscinem corvum : oscinem*, quasi *ore canentem.* — *Solis ab ortu :* oriens, utpote lucis et diei principium ac fons, boni ferè ominis erat, et aves fausta censebantur quæ ab ortu advolarent, præsertim corvi. Sed quià Græci auguria captaturi convertebant se ad septentrionem, idcircò solem orientem habebant à dextrâ, occidentem à sinistrâ : contra verò cùm Romani converterent se ad meridiem, illis oriens lævus, occidens dexter erat. Itaque cùm Romani læva et sinistra omina, vocant felicia, dextra verò, infelicia, more suo loquuntur : cùm sinistra interdùm vocant, infausta, dextra verò, fausta, Græcorum loquuntur more. Certè corvum hunc, quem se suscitaturum ait Horatius, benè ominatum esse persuadet ipsa hujus loci sententia. At enìm apud Romanos, corvus à dextrâ volans, hoc est ab occidente, boni ominis erat ; mali verò cùm à lævâ, sivè ab oriente advolaret ? Respondeo id quidèm ità se habere, si quis morem Romanorum augurum servet : Horatium verò Græcorum morem, de quo jàm dixi, secutum fuisse. JUVENC.

Sis licèt felix, ubicumque mâvis [4],
Et memor nostrî, Galatea, vivas!
Teque nec lævus vetet ire picus, 15
Nec vaga cornix.
Sed [5] vides quanto trepidet tumultu
Pronus Orion? Ego, quid sit ater
Hadriæ novi sinus, et quid albus
Peccet Iapix. 20
Hostium uxores puerique [6], cæcos
Sentiant motus orientis Austri, et
Æquoris nigri fremitum, et trementes
Verbere ripas.
Sic [7] et Europe niveum doloso

4. *Sis licèt felix ubicumque mâvis :* hæc à præcedentibus pendent. Nihil non tentavi, inquit Horatius, ut tibi proficiscenti felix augurium obtinerem; nùnc unum mihi optandum superest, ut, cùm à me recedere tibi demùm constitutum sit, non me fallat susceptum omen, et ubicumque sedem tuam fixeris, ibi fortunata et meî memor vivas. — *Teque nec lævus vetet ire picus :* neque ullus picus (*le pivert*) à lævâ volans, aut aliqua *cornix vagans* pariter à lævâ, prosperum augurium in malum convertat.

5. *Sed :* per correctionem, concessum Galateæ navigandi arbitrium retractat. Quid de auspiciis, de ominibus loquor? Quantumvìs prospera sint, nullam vim habere possunt ad evitanda quæ tibi è fluctibus et ventis imminent pericula. Vides etenìm quantos tumultus excitet Orion, in devexà cœli parte jàm constitutus, et ad occasum *trepidans*, id est, festinans. Vide suprà, Od. I, 28, 21 : *Me quoque devexi rapidus comes Orionis ;* et iufrà, Epod. 15, 7 : *Nautis infestus Orion.* — *Et quid albus peccet Iapix :* et quàm perfidus sit, ventus ille, Iapix, quem *album*, id est, navigantibus propitium vulgò reputant. Peccat igitùr, cùm fidem fallat.

6. *Hostium uxores puerique :* usitatum erat apud Romanos, hostibus, vel, quod idem valet, hostium conjugibus imprecari, quæ à se ipsis deprecabantur. *Dî meliora piis, erroremque hostibus illum!* Virg. Georg. III, 513. — *Et trementes Verbere ripas :* et littora fluctibus ad ea allisis concussa.

7. *Sic :* cave, Galatea, ne eosdem timores concipias, iisdem desideriis medio in mari exagi-

Credidit tauro latus, et scatentem
Belluis pontum, mediasque fraudes
Palluit audax.
Nupèr [8] in pratis studiosa florum, et
Debitæ Nymphis opifex coronæ,
Nocte sublustri, nihil astra prætèr
Vidit et undas.
Quæ simùl centum tetigit potentem
Oppidis Creten [9] : « Pater! ô relictum
« Filiæ nomen, pietasque, dixit,
« Victa furore!
« Undè? quò veni [10]? levis una mors est

teris, ac illa Europa quæ graves temerarii ausi pœnas tulit; cujus quidem totam tibi evoluturus sum historiam. Vide in argumento quid de illâ appositâ narratione sentiendum sit. — *Credidit :* sic simplicitatem et fiduciam Europes signat. — *Scatentem Belluis pontum :* monstris marinis refertum. Μεγαχήτεα πόντον, Odyss. III, 158. — *Mediasque fraudes :* et varia pericula quibus se circumventam intellexit. — *Palluit audax :* quamvis audacissima, *palluit* aspectu tot discriminum quæ temerè incurrerat.

8. *Nupèr :* paulo antè. — *Studiosa florum :* floribus legendis et nectendis in *coronam* intenta, ut votum ergà Nymphas susceptum adimpleret. Suavitèr opponit studiorum illorum et operum puellarium securitatem formidando spectaculo quo jàm Europes oculi terrentur. — *Nocte sublustri :* quæ malignà tantummodò stellarum luce illustrabatur. *Cette obscure clarté qui tombe des étoiles;* Cornel. *Le Cid.* act. IV, scen. 3. — *Nihil astra prætèr vidit et undas : cœlum undique et undique pontus.* Virg. Æneid. III, 193.

9. *Centum potentem Oppidis Creten :* Creten Homerus appellat ἑκατόμπολιν. — *Pater, ô relictum Filiæ nomen :* prima sese offerunt Europes animo patris indignè à se relicti imago et memoria. Quid naturæ legibus magìs consentaneum? Nota hoc verbum, *filiæ*, in dativo casu esse accipiendum; ô nomen, ô jura paterna à *me filiâ* derelicta, contempta, prodita! — *Pietasque, dixit Victa furore!* O pietas, *victa furore*, id est, oppressa amore illo insano in quem abripi me permisi ergà taurum!

10. *Undè? quò veni?* Mens Europes magìs ac magìs turbatur. Hen! non ignara est undè effugerit; sed, scelere admisso, in veram dementiam adigitur. — *Levis una mors est Virginum*

« Virginum culpæ. Vigilansne ploro
« Turpe commissum? àn vitiis carentem
« Ludit imago
« Vana, quæ portâ fugiens eburnâ
« Somnium ducit? meliusne fluctus
« Ire per longos fuit, àn recentes
« Carpere flores?
« Si quis infamem mihi nunc juvencum
« Dedat iratæ [11]! Lacerare ferro, et
« Frangere enitar modò multùm amati
« Cornua tauri.
« Impudens liqui patrios penates!
« Impudens Orcum moror [12]! O Deorum
« Si quis hæc audis, utinàm intèr errem
« Nuda leones!

culpæ : attenuat crimen suum, præpudore; sed, quoàd pœnam, quasi conscientiæ cruciatibus, exaggerat. *Culpa* est; nàm quo nomine tantùm facinus dignè nominēt, quæ se tauro nimiùm amato subjecerit? Sed amissum virginitatis honorem deflet, neque id *unâ morte* satìs puniri posse fatetur. Sic Propertius de Tarpeiâ, unâ è virginibus Vestalibus, quæ se Tatio, Sabinorum regi, prostituerat : *Et satìs una malæ potuit mors esse puellæ Quæ voluit flammas fallere, Vesta, tuas? — Vigilansne ploro :* dubitare vult, an reverâ nocens sit, an, licèt innoxia, vanâ somnii fallacis imagine deludatur. — *Quæ portâ fugiens eburnâ.* Somnia scilicet, ut veteres poetæ finxerunt, per duas portas, falsa quidem per eburneam, vera autèm per corneam è locis inferis emittuntur. Vid. Hom. Odyss. XIX, 562, et Virg. Æneid. VI, 894. — *Meliusne fluctus ire per longos :* quod nupèr descripsit poeta, repetit nùnc Europe, panlò forsàn languidiùs.

11. *Si quis infamem mihi nùnc juvencum Dedat iratæ :* detestandum, eò quòd mihi illuserit. Vividæ Europes ob *culpam* suam tardiùs ingemiscentis querimoniæ! — *Lacerare ferro :* hoc est in mulierum moribus, ut injurias sibi illatas, eas ipsas quas sæpè sæpiùs provocant, quas non sine quodam voluptatis sensu accipiunt, ubì cupido deferbuit, manibus suis, ultrà etiàm modum, punire gestiant.

12. *Impudens Orcum moror :* pudicità amissâ, Plutonis domos adire moror! — *Nuda :* stricto et proprio sensu; pudori senim

« Antequàm turpis macies decentes
« Occupet malas [13], teneræque succus
« Defluat prædæ, speciosa quæro
« Pascere tigres.
« Vilis Europe! pater urget absens [14]:
« Quid mori cessas? potes hâc ab orno
« Pendulum, zonâ benè te secutâ [15],
« Lædere collum.
« Sivè te rupes [16] et acuta letho
« Saxa delectant, age, te procellæ
« Crede veloci; nisi herile mâvis
« Carpere pensum [17],
« Regius sanguis, dominæque tradi

quæ cura Europæ jàm esse potest? Vestibus autem abjectis, faciliorem prædam leonibus offeret.

13. *Antè quàm turpis macies decentes Occupet malas :* antè quàm macies dehonestet genarum pulchritudinem. — *Speciosa quæro Pascere tigres :* formosa peccavit; formosa culpam vult eluere.

14. *Vilis Europe, pater urget absens :* conversâ per vividam apostrophen ad se ipsam oratione, vilitatem suam primùm incusat; dein patris, à quo querelam inceperat suam, memoriam revocat, qui filiam alloqui videtur, et turpes necis moras ei exprobrare. Ipse enim pater ab Europâ audiri censetur, exclamans : *Quid mori cessas?* Multò vividior est patris oratio, mortem filiæ suæ imperantis, quàm si ipsa, his iisdem verbis se compellaret.

15. *Zonâ benè te secutâ :* quam ad hunc fatalem usum justè et felicitèr tecum attulisti.

16. *Sivè te rupes :* sivè tibi magis arridet, placet lethum quærere, te præcipitem agendo in rupes et saxa acutis verticibus eminentia, et ideò ad mortem afferendam maximè idonea. — *Age te veloci crede procellæ :* quæ te protinùs scopulis illidat. Procellam illicò exortam fuisse, aut saltèm perturbatis Europes oculis exoriri visam admittendum est.

17. *Nisi herile mâvis Carpere pensum :* nihil nobili fœminæ tristius accidere poterat, quàm servilis conditio; hinc Ariadne, apùd Ovid., Heroid. X, 89; *Tantùm ne religer durâ captiva catenâ, Neve traham servâ grandia pensa manu.* — *Regius sanguis :* Agenoris, Phœniciæ regis, filia. — *Pellex :* propriè dicitur *pellex*, illa quæ cum alterius conjugis marito vivit, le-

« Barbaræ pellex. » Aderat querenti
Perfidum rídens Venus [18], et remisso
Filius arcu.
Mox ubi lusit satis [19] : « Abstineto,
« Dixit, irarum, calidæque rixæ,
« Cùm tibi invisus laceranda reddet
« Cornua taurus.
« Uxor invicti Jovis esse nescis [20] ?
« Mitte singultus; benè ferre magnam
« Disce fortunam; tua sectus orbis
« Nomina ducet. »

gitimæ uxoris æmula. *Concubina* autèm quæ, sinè justis nuptiis, viro libero aut soluto adhæret.

18. *Aderat quærenti Perfidum ridens Venus :* post orationem tantis affectibus plenam, quid delectando lectori accommodatius, quàm suavissima illa in genere prorsùs opposito pictura ? In unâ tabellæ parte Europen aspicis, in gemitus et imprecationes erumpentem, et de solâ violentæ necis specie deliberantem ; in alterâ Venerem puellæ doloribus maligno risu insultantem, et filium Veneris, reportatâ de Jove et de infelici Phœnissâ victoriâ superbum, arcu otiosè remisso, quasi, post geminum hunc triumphum, nihil sibi ampliùs agendum esset. Digna verè egregiis nostri temporis pictoribus artis suæ materies !

19. *Mòx ubi lusit satis :* mox, ubi è crudeli illo spectaculo sat voluptatis percepisse se credidit. Quàm mirificè adumbratum est unico illo vocabulo, *lusit*, Veneris ingenium ! — *Calidæque rixæ :* et rixæ illius quam tauro tibi ignoto, præ sanguinis *calore*, præ irâ nullam seriam causam habente, intentas. — *Cùm tibi invisus :* ironicè. — *Laceranda reddet Cornua taurus :* cùm taurus ille quem ardes discerpere, veræ formæ redditus, ultrò ad te veniet, supplicium quod ab eo exposcis, sine querelâ, sine metu, subiturus.

20. *Uxor invicti Jovis esse nescis ?* noto hellenismo, pro nescis, non intelligis te esse *uxorem* Jovis ? Verbum augendo, rei turpitudinem dissimulat. Jovis amplexus non uxorio, sed meretricio jure Europe acceperat. — *Benè ferre magnam Disce fortunam :* tibi, quæ te *vilem* modò prædicabas, nihil magis nunc metuendum est, quàm ne ad tantùm evecta gloriæ fastigium, tuâ felicitate nimium efferaris. — *Tua sectus orbis Nomina ducet :* pars terræ à tuo nomine *Europa* appellabitur.

ODE VIGESIMA OCTAVA

AD LYDEN.

Diem Neptuno sacrum poeta se hilaritèr apud amicam suam, Lyden, bibendo canendoque ad multam usque noctem transigere velle declarat. Ut igitùr lectorem in mediam rem statìm abripiat, Lyden, in cujus domo se jàm adesse fingit, festinantiùs vinum Cæcubum depromere, alterno carmine Neptunum et Nereïdas secum celebrare, ipsam solam, Latonæ et Dianæ laudes ad lyram dicere, et postremo, mutuo iterùm carmine, Venerem et Noctem secum canere jubet. Per Lyden haud dubiè est intelligenda eadem cujus suprà quoque II, 11, 22, *ut fidicinæ et meretricis mentio fit.*

Festo quid potiùs die
Neptuni [1] faciam? Prome reconditum,
Lyde strenua, Cæcubum,
Munitæque adhibe vim sapientiæ.

1. *Festo die Neptuni:* Neptunalia, mense Julio, die quinto Cal. *August.* celebrabantur. Vide Varron. de Ling. Lat. V, 3. — *Lyde strenua:* jocosum epitheton, quod uni meretricis nomini addi potest, cumque ironiâ subsequenti maximè convenit; quasi intelligeret Horatius: tu quæ tantam in rebus ad Venerem et ad Bacchum spectantibus, exhibere soles *strenuitatem*, alacritatem, diligentiam. Malè ferè omnes *strenua* pro *strenuè*, adverbialitèr interpretantur. Quid est *strenuè* vinum in horreo reconditum *promere?* quis in hoc actu, *strenuitati* locus? Hæc verba, *strenua Lyde*, gallicè libentèr verterem: *infatigable Lydé.* — *Munitæque adhibe vim sapientiæ:* evidentèr jocatur Horatius, dùm *sapientiam* meretricis et fidicinæ *munitam* jactat, dùm violentiâ opus esse ut ea perdometur, asserit. Facetissimè de Lyde hìc loquitur, ut suprà III, 21, 11, de prisco Catone

Inclinare meridiem
Sentis, ac, veluti stet volucris dies,
Parcis deripere horreo [2]
Cessantem Bibuli consulis amphoram.
Nos cantabimus invicèm [3]
Neptunum, et virides Nereïdum comas;
Tu curvâ recines lyrâ
Latonam, et celeris spicula Cynthiæ;
Summo carmine, quæ Cnidon
Fulgentesque tenet Cycladas, et Paphon
Junctis visit oloribus.
Dicetur meritâ Nox quoque næniâ.

locutus est. Vide notam in hunc locum.

2. *Deripere horreo :* vide suprà, Od. III, 21, 7, notam 3, in hanc vocem *descende.* — *Cessantem amphoram :* amphora enim, cessante, non festinante Lyde, morari ipsa videtur. — — *Bibuli consulis :* plenam vino, sub consulatu Bibuli, expresso; Bibulus consulatum gesserat anno U. C DCXCIV, quo tempore annos septem natus erat Horatius. Itaque, Cæcubo, de quo agitur, laudanda vetustas inerat.

3. *Invicèm :* carmine amœbæo; per vices, alternatim. — *Virides :* aut potiùs, cæruleos, in viridem colorem delabentes, ab aquæ marinæ colore. — *Tu :* postquàm alteruo carmine Nereidas et Neptunum, ut in die festo decet, celebraverimus, *Tu,* sola, lyram suscipiens, recines Latonam et filiam Latonæ, Dianam venatricem. — *Summo carmine :* ultimi nostri cantus Veneri consecrabuntur. — *Cnidon :* vid. supra, Od. I, 30, 1. — *Fulgentes Cycladas :* Od. I, 14, 19. — *Paphon :* I, 30, 1. — *Junctis oloribus :* junctis cygnis, quibus Veneris currus trahebatur. — *Dicetur meritâ Nox quoque næniâ :* non obscurè notat Venereum carmen junctim canendum, idque fore supremum : ait enim Noctem desiderare suam næniam, quasi velit in gremio Lyde velut in cunis vagire sopirique; et nescio an non alludat ad eam cantionem, quâ nutrices uti solent, ut infantium somnum provocent.

ODE VIGESIMA NONA

AD MÆCENATEM.

Jàm, in Ode octavâ hujusce tertii libri, patronum suum Urbis administrationi, absente Augusto, præpositum monuerat Horatius, ut civiles curas aliquamdiù omitteret, et inter geniales epulas rure otiari cum amico suo non dedignaretur. In hoc præsenti carmine invitationem iterat, argumentumque præcipuum sumit è bono rerum publicarum statu, è tranquillitate urbis, et è sævientibus furentis Caniculæ ardoribus, quo tempore rusticari gratissimum est. Indè, ad philosophicas sententias de more delabitur, et mediocritatis laudes inchoat, utrique fortunæ parem se professus.

Thyrrena regum progenies [1], tibi
Non antè verso lene merum cado
Cum flore, Mæcenas, rosarum, et
Pressa tuis balanus capillis
Jamdudùm apud me est. Eripe te moræ [2]; 5

1. *Tyrrhena regum progenies :* vide suprà, Od. I, 1, 1. — *Tibi :* in tuum honorem. — *Non antè verso cado :* non jacebant, ut in nostris cellis dolia, sed recta stabant veterum vasa vinaria; undè, ut ex iis vinum, ad mensarum usum, hauriretur, necesse erat ea inclinari, quod eo loco *verti* appellatur. Cùm autèm declarat Horatius *non antè* cadum versum fuisse, illum adhùc intactum, et amico dignè recipiendo religiosè servatum innuit. — *Balanus :* glandis odoriferæ genus, è cujus nucleo oleum pretiosissimum exprimebatur. — *Jamdudùm :* per hanc vocem, longam visendi Mæcenatis impatientiam notat.

2. *Eripe te moræ :* non morare; citò adveni; nihil ampliùs.

Ne semper udum Tibur, et Æsulæ
Declive comtempleris arvum, et
Telegoni juga parricidæ.
Fastidiosam desere copiam [3], et
Molem propinquam nubibus arduis;
Omitte mirari beatæ
Fumum, et opes, strepitumque Romæ.
Plerumque gratæ divitibus vices [4];
Mundæque parvo sub lare pauperum
Cœnæ, sine aulæis et ostro,
Sollicitam explicuere frontem.
Jàm clarus occultum Andromedes pater

— *Æsulæ declive arvum :* Æsula est oppidum in latere montis collocatum, Tiburi vicinum. — *Ne sempèr contempleris :* ne tibi satìs sit è celso palatii tui fastigio, loca undarum et arborum frigore amœnissima *contemplari*, ea propiùs invise; veni, eorum deliciis tandèm fruiturus. — *Telegoni juga parricidæ :* Tusculum intelligit, hodiè *Frascati*, à Telegono Ulyssis et Circes filio conditum, qui patrem imprudens occidit. *Factaque Tęlegoni mœnia celsa manu;* Ovid. Fast. III, 92.

3. *Fastidiosam desere copiam :* obliviscere tantispèr divitiarum illarum quibus diffluis, quæque, propter consuetudinem, viles tibi et fastidiosæ videri debent. — *Molem propinquam nubibus arduis :* ædes in altum adeò exstructas, ut *turris Mœcenatianæ* nomen accepissent; *Sueton.* Ner. c. 38. — *Beatæ Romæ :* opulentæ, magnificæ. — *Fumum : Adieu, Paris, ville de bruit, de fumée et de boue ;* J. J. Russæus, Emil. lib. IV, in fine.

4. *Plerumque gratæ divitibus vices :* subaudit. *sunt.* Divites enìm, ut cœlum solumque mutare amant, sìc aliquando et ipsam vivendi, epulandi, confabulandi disciplinam, ut alacriori deindè affectu ad usitatas voluptates et delicias redeant. — *Mundæque pauperum cœnæ : pauperum* quidèm, id est mediocri fortunâ utentium, quæ, cum principum opibus comparata, *pauperies* habenda est, nec tamèn *munditiem* excludit. — *Sine aulæis et ostro : aulæa,* pretiosa tentoria super mensas ad arcendum pulverem suspendebantur; *ostro,* id est purpureis tapetibus, sternebantur lecti tricliniares. (Gallicè, *un dais et des tapis de pourpre.*) *Stratoque supèr discumbitur ostro ;* Virg. Æneid. I, 700. — *Sollicitam explicuere frontem :* lætitia frontis rugas *explicat*, tristitia contrahit.

5. *Jàm clarus occultum An-*

Ostendit ignem [5]; jàm Procyon furit,
Et stella vesani Leonis,
Sole dies referente siccos.
Jàm pastor umbras [6] cum grege languido
Rivumque fessus quærit, et horridi
Dumeta Sylvani; caretque
Ripa vagis taciturna ventis.
Tu, civitatem quis deceat status
Curas, et Urbi sollicitus, times

dromedes pater Ostendit ignem: poeticè æstatem, ab ortu et dominatione æstivalium siderum notat. Andromede, Cephi, Æthiopum regis, et Cassiopes filia, cùm ob matris suæ superbiam Nereïdas et earum formam præ suâ contemnentis, scopulo fuisset à Nymphis alligata, et monstro marino exposita, liberata est à Perseo; demùm à Minervâ in siderum parte collocata, itemque Cephens, qui propè circulum Arcticum à tergo minoris Ursæ conspicitur. Juvenc. — *Procyon:* est sidus constans, ut vult Keplerus, stellis quinque; ex quibus una lucidior vocatur totius astri nomine, *Procyon*, sivè *Canis minor*, et ut vertit Marcus Tullius, *Antecanis;* Plinius *Caniculam* vocat. Plures tamèn *Canículæ* nomine intelligunt stellam insignem, et fixarum, ut apparet, maximam, quæ cernitur in linguâ Canis majoris, quod sidus est quintum in signis extrà Zodiacum Australibus et minori Cani proximum. Vocatur vulgò hæc stella *Sirius*, ad quam cùm sol propiùs accedit, maximi calores existunt. — *Stella leonis:* Leo est quintum astrum Zodiaci, constans stellis 27. In quibus insignis est una, dicta *Cor Leonis*, sivè *Regulus:* de quâ hìc Horatius loquitur: altera item insignis, in extremâ Leonis caudâ. Id.

6. *Jàm pastor umbras: Nùnc etiàm pecudes umbras et frigora captant;* Virg. Eclog. II, 8. — *Et horridi Dumeta Sylvani:* sivè in genitivo singulari, *Dumeta* quibus præest *Sylvanus*, dictus hìc horridus, ob incultam Dei agrestis formam; sivè, quod mallem, in plurali nominativo, *horridi Sylvani*, subaud. *quærunt dumeta*, id est nemorum loca vepribus et dumis aspera, quæque, ut minùs trita, densioribus arborum ramis calorem defendunt. Uterque sensus laudabilis. — *Caretque Ripa vagis taciturna ventis:* jamdiù observatum est et à viris physicis notatum, regnante temperiei ardentis æstu, ventos, fluctus, totam denique naturam quasi calore oppressam, obmutescere, nisì fortè per violentam procellam è somno suo quasì excitetur.

Quid Seres [7], et regnata Cyro
Bactra parent, Tanaïsque discors.
Prudens futuri [8] temporis exitum
Caliginosâ nocte premit Deus,
Ridetque si mortalis ultrà
Fas trepidat. Quod adest, memento
Componere æquus [9]; cætera fluminis
Ritu feruntur, nùnc medio alveo
Cum pace delabentis Etruscum
In mare; nùnc lapides adesos,
Stirpesque raptas, et pecus, et domos
Volventis unà, non sine montium

7. *Seres :* gens Indica; vide suprà Od. I, 12, 56. — *Bactra:* urbs primaria in Bactrianâ, Persarum provinciâ, pro universo Parthorum imperio. — *Tanaïsque discors :* fluvius (hodiè, *le Don*) Europam et Asiam dividens; Scythæ ejus accolæ, cùm Parthis contrà Romanos societatem inierant. Dissidentes autem inter se populos, Romæ minùs metuendos esse, et ideò minores curas Mæcenati injicere debere significat, ut suprà Od, III, 8, 19, de Parthis monuit. *Medus, infestus sibi, luctuosis Dissidet armis.*

8. *Prudens :* sapientèr hominibus providens. Quid enìm miserius excogitari posset quàm humanum genus, si futura mala et ipsum mortis momentum præsagiret? — *Ridetque :* irridet istorum pseudoprophetarum insaniam, qui *ultrà fas,* ultrà quod illis cognoscere concessum est, de rebus futuris certiores se jactitant. Fatendum tamèn est vixisse unâ quâque ætate sibilandos istos circulatores, qui futura prædicerent, et, quod ridiculum magìs, credulos eorum sectatores, qui non solùm ipsis fidem suam adhibere, sed aliorum quoque asserere non dubitarent. Eo quo scribimus tempore, tres exstiterunt Nostradami commentatores, homines aliundè neque doctrinâ, neque ingenio destituti, qui in famosis fatui medici *Centuriis* totam ætatis nostræ historiam, præcipuèque, ut aiunt, *Gallicam revolutionem* in singulis suis circumstantiis prædictam seriò contenderent.

9. *Quod adest memento Componere æquus : quod adest, eo decet uti,* Cic. de Senect., c. 9. *Æquus,* id est, æquo animo, patientèr, et si necessitas jubet, fortitèr; ad præceptum græci proverbii, τὸ παρὸν ἐυ ποιεῖν, τὸ παρὸν ἐυ τιθέναι. — *Cætera fluminis Ritu feruntur :* fata quæ nos manent, non magìs sollicitudinibus nostris mutari pos-

Clamore vicinæque sylvæ,
Cùm fera diluvies quietos
Irritat amnes. Ille potens suî [10],
Lætusque deget, cui licet in diem
Dixisse : Vixi. Cràs vel atrâ
Nube polum Pater occupato,
Vel sole puro; non tamèn irritum
Quodcumque retrò est efficiet; neque
Diffinget infectumque reddet
Quod fugiens semèl hora vexit.
Fortuna, sævo læta negotio [11], et
Ludum insolentem ludere pertinax,
Transmutat incertos honores
Nùnc mihi, nùnc alii benigna.
Laudo manentem [12]; si celeres quatit

sunt, quàm cursus fluvii qui, modò placidè delabitur, modò gravitèr intumescens, et omnia secum rapiens, magno cum fragore undas devolvit.

10. *Ille potens sui :* cupiditatibus suis, et timoribus inanibus, ut virum sapientem decet, imperans. — *Lætusque :* nulla enim ei sincera voluptas puraque lætitia, qui cupiditatibus servit, et, ob turpem illum et ignavum famulatum, officia adimplere negligit, *Virtutisque viam deserit arduæ.* — *Occupato :* imperat. pro subjunct. *occupet.* —*In diem :* unumquemque diem lucro apposui; hæc verba *in diem*, sivè ad verbum *dixisse*, sivè ad verbum *vixi*, referas, sensus idem. — *Non diffinget :* non destruet aut immutabit. — *Infectumque reddet :* neque impedire poterit quominùs ea quibus usus sum, mea sint; nullum in præterita Fortunæ jus competit; benè facta cum voluptate, malè autèm gesta per dolores et conscientiæ stimulos ità ad nos pertinent, ut nulla vis eorum sensum et memoriam eripere possit.

11. *Fortuna, sævo læta negotio :* sententiæ cum præcedentibus nexus; ego, potens mei, Fortunæ mancipium esse nolo; crudeles ejus jocos novi, æquè firmus et securus, sivè sortis asperitatem, sivè favorem experturus sim; neque ignoro quàm insolentèr votis nostris, sævam se præbendo, *illudere* gestiat. —*Transmutat incertos honores :* suprà, Od. I, 34, 14.

12. *Laudo manentem :* plaudo equidèm, si mihi fida et propitia adsit. — *Si celeres quatit Pennas :* imago egregiè ducta ab

Pennas, resigno quæ dedit, et meâ
Virtute me involvo, probamque
Pauperiem sine dote quæro [13].
Non est meum [14], si mugiat Africis
Malus procellis, ad miseras preces
Decurrere, et votis pacisci,
Ne Cypriæ Tyriæque merces
Addant avaro divitias mari;
Tùnc me biremis præsidio scaphæ [15]

avibus, quæ in nidis vèl alicubi sedentes, fugæ proximæ signum dant, alis cum clangore agitatis. Fortunam autèm deam alatam veteres fingebant. — *Resigno quæ dedit :* dona ejus ipsi tranquillâ mente restituo. — *Meâ virtute me involvo :* rectè de viro sapiente, qui, amissis omnibus, amisso etiàm ultimo pallio, virtute suâ saltèm quæ è fortunæ ictibus salva et incolumis evasit, involvere se prohiberi nequit.

3. *Probamque Pauperiem sine dote quæro :* suavissimam imaginem ex eo quod in contrahendis matrimoniis plerumque fit, ducit poeta. Ut juvenes, antequàm ad nuptias transeant, oculos hùc usque circumferunt quærentes, alii uxorem cui opes magnæ suppetant, etiamsi bona pretiosiora, ut virtus, ingenium, generis nobilitas defuerint, alii conjugem cui unica dos sit propria et parentium probitas; sic Horatius, Paupertati quidèm, sed Paupertati probæ, quæ hìc personæ formam induere fingitur, sese cœlibem mancipat, ipsius consortium expetit, eam solam, quamvis indotatam, vitæ suæ sociam et auxiliatricem invocat.

14. *Non est meum :* mihi non opus est, non ad vitæ meæ rationem et institutum pertinet. — *Ad miseras preces decurrere :* descendere ad preces humiles, miserabilitèr deos precibus sollicitare. — *Et votis pacisci :* plerique, non sine privatæ suæ utilitatis respectu, vota Diis nuncupant, sacrificia pollicentur, undè in illis precibus et votis, mercatorii *pacti* aliquid intercedere dixeris. Eo sensu *: Non tu prece poscis emaci Quæ nisi seductis nequeas committere divis;* Pers., Sat. II, 3. Vide etiàm Fontanii nostri fabulam, cui titulus : *Jupiter et le Passager :* lib. IX, 13. *O combien le péril enrichiroit les dieux, Si nous nous souvenions des vœux qu'il nous fait faire!*

15. *Tùnc me, biremis præsidio scaphæ :* quandò alii mecum navigantes, ortâ sævissimâ tempestate, de servandâ vitâ multò minùs quàm de mercium suarum salute solliciti, in navi, ubì majus periculum, præ avaritiâ, ma-

Tutum per Ægæos tumultus
Aura ferat, geminusque Pollux.

nebunt, ego, relictâ nave onerariâ, levem scapham (*l'esquif, la chaloupe*), ei annexam, conscendere, vel nudus, vel omnibus opibus destitutus, non dubitabo, sicque pauper, sed incolumis, favente vento, faventibus Helenæ fratribus qui navigantibus semper propitii sunt, in littus evadam.

ODE TRIGESIMA

Quam in ultimo libri præcedentis carmine sibi jàm promiserat Horatius immortalitatem, nùnc, absoluto tertio libro, certiore jure sibi rursùs vindicat, quippe qui sibi ipsi non parem, sed longè superiorem hìc præstiterit, quod præcipuas hujusce libri odas revolventi facilè manifestum erit. Quæ autèm austerioribus criticis suprà respondimus, qui vatem nostrum sibi tantùm arrogare crimìnati sunt, iterare non vacat; vide Argumentum odes XX, lib. II. Damnent illi quidèm, si placet, mediocris ingenii poetas, qui, cùm non ærea monumenta, sed coctiles et verè gypseas, jàmque in pulverem redactas imagines ingenti labore exegerint, nobilem Horatii[1] *fiduciam æmulari, et grande vaticinium sibi assumere ausi sunt; sed condonent poetæ verè immortali, quod ætatum sequentium judicio obviam iverit, neque aliud de se præsumpserit, quàm quod unanimi eruditiorum litteratorum consensu declaratum hodiè manet, et in perpetuum manebit confirmatum.*

Exegi monumentum [1] ære perennius,
Regalique situ pyramidum altius;

1. *Exegi monumentum :* complevi, perfeci, ad finem perduxi. Quamvìs enìm posteriora carmina Noster ediderit, completo unoquoque odarum libro, eoque in lucem emisso, censeri poterat opus integrum et nullâ parte mancum absolvisse. Sic et Ovidius in fine Metamorphoseon : *Jàmque opus exegi quod nec Jovis ira, nec ignes, Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas.* — *Regaliquc situ pyramidum altius :* per *situm* intellige structuram pyramidum, earum molem incredibili sumptu à regibus Ægyptiis exstructam. Nulla autem monumenta in orbe celebriora quàm pyramides, quæ sic vocabantur à voce græcâ, τὸ πῦρ, quià, flammæ instàr, è latissimâ basi gradatìm in acu-

Quod non imber edax [2], non Aquilo impotens
Possit diruere, aut innumerabilis
Annorum series, et fuga temporum.
Non omnis moriar [3], multaque pars meî
Vitabit Libitinam. Usque ego posterâ
Crescam laude [4] recens, dùm Capitolium
Scandet cum tacitâ virgine Pontifex.
Dicar [5], quâ violens obstrepit Aufidus,

tum fastigium decrescunt. Porrò, cùm propter altitudinem maximè celebrentur, quarum una trecentis et septuaginta pedibus solo eminet, ideò vox, *altius*, ad indicandam majorem carminum celebritatem, usurpatur.

2. *Quod non imber edax :* quamvis enim hùc usque tenùs, pyramides omnibus destructionis elementis restiterint, et, ut ait Delillius noster : *Leur masse indestructible ait fatigué le temps,* sortem omni materiæ communem non vitabunt ; sublimia autèm ingenii opera, ab ipsâ antiquitate novum robur et perennitatem ducunt.

3. *Non omnis moriar :* hanc sententiam felicitèr, de more, expressit Racinius, Iphigen., act. I, sc. 2 : *Et toujours de la gloire évitant le sentier, Ne laisser aucun nom et mourir tout entier.* — *Multaque pars meî :* melior pars hominis, mens, ingenium. — *Vitabit Libitinam :* Venus Libitina funeribus præsidebat, et in ejus templo deposita erant omnia quæ ad sepulturæ apparatus pertinebant, ut scilicèt, eo ipso, inquit Plutarchus, Quæstion. roman. XXIII, fragilitatis humanæ admoneremur, certò scientes exitum ab ortu non procul abesse, cùm eadem dea morientibus præsit, et vitam ingredientibus.

4. *Posterâ laude :* laude apud posteros de die in diem semper crescente. — *Usquè recens :* nunquàm senescens. — *Dùm Capitolium Scandet cum tacitâ virgine Pontifex :* dùm stabit Capitolium : in perpetuum ; per *tacitam virginem* intellige sivè universum Vestalium collegium quæ sacris omnibus intercedebant, sivè unam ex iis, quæ Pontifici maximo sacra facturo sempèr assidebat, neque tamèn quidquam quod ad rem divinam pertineret, pronuntiabat.

5. *Dicar :* pars mihi laudis erit, quod, *princeps*, h. e. primus, carmina olim à Sappho et ab Alcæo, in insulâ Lesbo, præcipuâ *Æoliæ* gentis sede decantata, in Italiam deduxerim. Pro Italiâ autèm, Apuliam, undè oriundus erat, per periphrasim poeticam designat. Aufidus, hodiè *Ofanto*, Apuliam alluit ; violentia ejus cursùs graphicè exprimitur infrà, Od. IV, 14, 25.

Et quà pauper aquæ Daunus agrestium
Regnavit populorum, ex humili potens,
Princeps Æolium carmen ad Italos
Deduxisse modos. Sume superbiam
Quæsitam meritis, et mihi Delphicâ
Lauro cinge volens, Melpomene, comam.

— *Pauper aquæ Daunus :* Daunus, unus è primis Apuliæ regibus, qui à terrâ, cujus imperium tenebat, aridâ et siliculosâ ipse, per lyricam translationem, *pauper aquæ* nuncupatur. — *Agrestium regnavit populorum :* noto hellenismo, pro, regnavit in agrestes populos, ἦρξε λαῶν. *Ex humili potens :* hæc verba ad Horatium referenda sunt, qui ex obscuro loco, libertino patre natus, ad celebritatem evectus est, et ad genus potentiæ quæ celebritate et magnatum amicitiâ per celebritatem partâ innititur. — *Sume superbiam :* sume grandes spiritus. Dùm musam alloquitur vates, sibi ipsi eodem tempore blanditur et favet. — *Delphicâ Lauro :* sic infrà, Od. IV, 2, 9, de Pindaro, qui, *laureâ donandus Apollinari.* — *Volens :* θέλων, propitia. *Pacem precibus exposcunt, uti volens propitius, suam semper sospitet progeniem ;* Liv. I, 16, de Romulo.

52632

LL
H8113Du

Horace
Quintus Horatius Flaccus; ed. by
Duviquet. Vol.1.

University of Toronto
Library

DO NOT
REMOVE
THE
CARD
FROM
THIS
POCKET

Acme Library Card Pocket
LOWE-MARTIN CO. LIMITED